

PETRI ADRIANI VANDEN BROECKE BELGAE A'...

Pieter Adrian : van Broecke




A. 11/8
6
21-c
14
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
20 MA
12
…iotheca
…ll. Rom.
…ociet. Jesu
21-f-41
21
8
53

PETRI ADRIANI
VANDEN BROECKE
BELGÆ.
POEMATA.



PETRI ADRIANI
VANDEN BROECKE
BELGÆ
A' TENARAMONDÂ
PVBLICI ELOQVENTIÆ PROFESSORIS PISIS
POEMATA.


Editio altera longè auctior.



LUCÆ, CIↃ IↃC LXXIII.

Apud Hiacynthum Pacium.

De Superiorum Licentia.



SERENISSIMO, AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

LEOPOLDO

AB HETRVRIA

CARDINALI

MEDICEO.



Vcubrationes meas hac nouâ editione auctiores REVERENDISSIMAE CELSITVDINI TVAE iterùm SERENISSIME PRINCEPS nuncupaui; tibi enim, Augusteq; domui Tyrrhenę meipsum, & mea omnia me ab annis iam compluribus debere intellexi. Proindè

vbi tuis olim auſpicijs ſtipendia Piſana obtinui, ea vnica animo meo cogitatio ſemper inſedit, vt, quantum per virium mearum imbecillitatem liceret, aliquid eiuſmodi benè iuuantibus Superis molirer, quod & otium meum honeſtiſſimè exigi teſtaretur, & à me procul ingrati animi labem aduerſus beneficentiſſimos Principes amoueret. Tribus itaq; & decem abhinc annis, cùm hìc lucubrationum mearum editio ſub Auguſto tuo nomine vulgaretur, neq. ea hominibus litteratis diſpliceret, idq; etiam felicitatis nacta eſſet, vt non ſemel Auguſtę quoquè Celſitudinis tuæ iudicio comprobaretur, incredibile dictu eſt, quanto repentè amore, deſiderioque ad hęc ipſa ſtudia proſequenda exarſerim. Hinc me muneris mei ratio ſpontè incitabat, hinc ſpes, futuruſque fortaſsè, ſi quid aggrederer, haud illaudabilis conatus ſtimulabat; fauor tuus, totiuſq; Auguſtiſſimę domus Tyrrhenę in mente verſabatur, ſi Diuina ope adiutus ſancta inprimis argumenta haud infeliciter tractarem. Quapropter prioribus meis lucubrationibus res potiſſimum Sacras adnexi, omniq. ſtudio id efficere conatus

ſum,

ſum, vt rerum Sacrarum ſtylus Romanę Eccleſię Maieſtati, quam mihi ſcopum, & vltimam metam propoſui, aliquo decore, & elegante cultu reſponderet. Tuę verò Reuerendiſſimæ Celſitudini cum ſumma venerandi demiſſione qualecumq; hoc grati animi monumentum do, dico, dedico; quod vtinam & huic æuo poſſit, & venturæ fortaſſis poſteritati oſtendere, quantum tibi Sereniſſime Princeps debeam, qui me olim Florentię munificentię tuę opibus iuuiſti, atq; ipſa quoq; ſtipendia noſtra Piſana auxiſti. Quid dicam? cum pronâ humilitate tuis aduolutus genibus exclamo: non hęc Auguſtę indolis magnanimitas alpibus includitur, ſed peruadit Orbem terrarum meritis, ſed denuò Laurentes, maximoſq; Leones Europę reddit. Dic tu, prima Hetruria: qui in hoc Cœli feliciſſimo tractu eruditi degunt, nonnè omnes SERENISSIMI LEOPOLDI amicitiâ illuſtres, omnes patrocinio, multi etiã opibus ornatis omnes. Dic, tota Italia: eſtnè alicubi inſigni nomine in quâuis diſciplinâ litteratus, quem non amet spontè, non tueatur munificè CELSITVDO LEOPOLDI?

Nemo. Dic tu noster Septentrio: qui aduenę in Italiam, seù natalibus, seù doctrinâ nobiles vnquam venère, qui non statim post limina Vaticana Florentiam profecti, vt SERENISSIMO LEOPOLDO venerationis obsequia testarentur, coramque spectarent non minus alto sanguine, quam altâ doctrinâ Principem? Cuius fama à tot nobilibus, qui ad suos regressi, vbiq; diffusa est, hinc à fonte Danubij ad vastissimos tractus accolarum; hinc à Vistulâ, & Tanai ad limites Moschos; indè totâ Cymbriâ ad flumen Albim, & interiora Germaniæ, Svveuos, Cheruscos, tum ad Rheni, Vahalis, & Mosæ ostia sparsa est; iretq; vlteriùs nisi magnum, & sinè terminis mare Oceanus obstaret. At Vos antiquissimæ Pisę loquimini: non in optimi Principis patrocinio publica omnibus, & priuata singulis felicitas accedit? nonnè hìc publica omnium disciplinarum palestra, magna Italię Academia? vbi Bartolus, & Decij ius Romanum viuę vocis oraculo docuerunt, & scriptis toti Orbi illustre reliquerunt: vbi Medicen Mercurialis, Mathesin Galilæus Galilei mirificè extulere; & nunc quoquè

le-


lectissimi ex tota Italia Viri alias, atque alias nobilissimas disciplinas profitetur, quos hìc vndiq; munificentia Principis ad se trahit, atq; ab ipso etiam Septentrione præstantissimę doctrinę homines inuitat. Erat quidem in desiderio meo de priuatis animi tui Virtutibus, quæ nullius laudatissimi Principis glorię in omnis retroactę antiquitatis spatio concedunt, aliquid quoq; delibare; Sed & nimia Epistolæ prolixitas futura sit, neq; mea tanto oneri sustinendo par infantia. Silentio itaquè, vt in sacris solet, Augustas, quibus toti Orbi innotuisti, atq; in omni posteritatis memoriâ victurus es, animi dotes venerabor. Salue Romanę Purpurę, & Principum Europæ decus, ac me minimum è clientibus tuis Serenissimo patrocinio amantèr complectere. Vale.

Pisis Prid. Kal. Ianuarias CIↃ IↃC LXXII.

REVERENDISSIMAE CELSITVDINI TVAE

Deuinctissimus Seruus

Petrus Adrianus Vanden Broecke Belga, tuusq; Ciuis Pisanus.



Erudito, & Beneuolo LECTORI

Salutem plurimam dico.

CVM prioris editionis pauci admodum libelli, aut nulli potius distrahendi inuenirentur, atque ego interim alys, atque alijs temporibus plerasque nouas lucubrationes, quæ partim ad res sacras, partim ad alia argumenta pertinerent, emolitus essem, constitui eas omnes hac altera editione simul comprehendere, tuæque denuò humanitati amicissime Lector exhibere. Si mea tibi diligentia, ipsiusque imitandæ antiquitatis studium, seù potius meus in istam rem conatus probabitur, atque adeò non inutilem operam in his amænioribus litteris posuiße existimabor, benè cum conatibus

meus,

meis actum putabo, & id, quod mihi summoperè in votis fuit, vt tuo scilicet erudito à me possit iudicio satisfieri, planè consequutus videbor. Si verò in ijs versibus, quibus Sanctorum elogia complexus fui, me aliquid ad pietatis studia promouenda contulisse, siuè vt alij id multò elegantius præstent, occasionem præbuisse ex tua quoquè sententia iudicabis; tum certè fructus è vigilijs nostris, laboribusque multò me vberrimos accepisse credã, eoque nomine CHRISTO Optimo Maximo, eiusque Sacratissimæ Parenti, alijsque Sanctis Cælitibus, quos Diuini auxilij spe inductus celebrandos suscepi, singulares gratias habiturus sum, quod mea quoquè infirmitas ingenij nonnihil ad rem litterariam, & amplectendam virtutem attulerit. In Hymnis, opinor, vbi mei iuris esse non potui, ipsique quodammodò alligatus argumento scripsi, ea venustatum lenocinia, quæ in materia libera adhiberi solent, haud magnoperè desiderabis. Fortè in Epithalamijs, alijsque argumentis, quæ arbitratu meo digessi, tua desideria vtcumque explebo. Nunc te etiã, atque etiam rogo, vt quæ olim de Diui Hieronymi memoria cum alijs elegijs emi-

simus,

simus, & mihi admodum Iuueni exciderunt, velis, si in ea fortè incides, vt iuuenilia legere, & habere. Salue ad annos multò plurimos sospes, & fortunatus, quemque nunc ingredimur, cum alijs multis consecuturis tibi faustissimum à bonis Cœlitibus opto, voueoque.

Vale.

PISIS *kal. Ianuarijs* CIↃ IↃC LXXIII.

Die meo Natali quinquagesimo quarto.


ERICII PVTEANI

De ingenio, & Carmine

PETRI ADRIANI VANDEN BROECKE

Iudicium.





IVdicium expectas? Elogium promo, quo & ingenij tui dites dotes, & carminis Dias diuitias complector. Ingenium dignum carmine erat, & sic Musis, sed pijs: carmen ingenio, & sic Gratijs, sed Latinis: prorsùs vt inter vtrasque natus mihi, & educatus videare. Hoc nunc age, & surge nomine, vt eminere ingenio, & carmine potuisti. Clarum te eruditio tua faciet, si priuatam non habebis: vtilis omnibus, si legi, & laudari publicè incipies. Ede in lucem, quæ scripsisti, & in lucem ipse venies: ego sic verò meũ gaudebo elogium publico iudicio confirmari.

Louanij in Arce, postridie kalendas Maias CIↃ IↃC XLV.

Mens Authoris.



Vdi, Chriſtiane Lector, vocibus Fatum, aut Fata, Deos, aut Deas, aut Numina, & ſique his ſimilia ſint; item epithetis Fatalis, Diuinus, Sanctus, alijſq; eiuſmodi ſolius poeticæ venuſtatis gratiâ vtimur. Neq; hic, neq; vllâ in re à Romanâ Orthodoxâ Fide, in quâ ſemper vixi, viuo, & Dei ope victurus ſum, volo diſcedere.

Salue.



IVſsu Reuerendiſs. D. Flaminij Nobilij Vicarij Gener. Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. D. Hieronymi Card. Bonuiſij Epiſcopi Lucenſis, legi Carmina D. Petri Adriani Vandenbroecke; in eiſque non ſolum cuncta moribus, & pietati conſentanea, ſed priſcam ſtyli maieſtatem, puritatemq; ſermonis, omniaque tàm Latina, ac Poetica agnoui, vt felici illo æuo ſcripta videri poſſint: proindè, digna eſſe quæ in lucem edantur publico bono cenſeo: Viroque doctiſſimo, & amiciſſimo, hoc iudicij, & amoris mei monumentum pono. Lucæ kal. Martij M. DC. LXXIII. in Ædib. S. Mariæ Curtis Orlandingorum.

Bartholomæus Beuerinius.


Imprimatur.

Flamin. Nob. Vic. Gen. Luc.



QVisquis es Musarum cultor,
Siste in hoc opere
Non tam oculos, quàm aciem studiosæ mentis.
Quicquid olim in Phocide, quicquid in Bęotia
Cum suis inuentis
Venerata fuit Antiquitas,
Totum hoc exhibent
BELGÆ nostri
Eruditissimæ paginæ;
Eas volue; In Parnasso eris, Helicon patebit:
Lege numeros; Puriores dabit Castalius latices.
Percurre cantus; Voces dixeris Aonidum,
Et cecinisse Apollinem.
Idq. Diuinis proximum, æternùm non viuet?
Prodeat in lucem,
Quod lux ipsa ad sui nominis gloriã expostulat
Et doctissimi Ingenij foetus iste
Sit perpetuum in posteros exemplar,
Non quod possint, sed quod imitari desiderent.

Ita ego Io: Baptista Saminiati, olim Authoris Alumnus, nunc I. V. C. & PerIll. Offici super Iurisdictione Præpositus.



PETRI ADRIANI VANDEN BROECKE BELGÆ SYLVARVM LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

Exquiliç olim à Saturno, qui Arcadibus vsum aratri ostendit, insignes fuere; nunc vero à Cçlesti Virgine in sedem virginei honoris adoptatæ. Hinc capta fuit occasio sæuiendi in Venerem. Cçlestes ministri, audita voluntate Dominæ, arces, & templa huic Deç sacrata euertunt. At Virgo vinctam cum Cupidine matrem triumphali curru in Exquilias vehit; ibidemque lapsa divinitus Niue faculam Cupidinis extinguit. Quod cum videret in reditu à Thracibus Pluto; superba indignatione animi accensus, se dolet ab una Virgine, quam, & ipse laudat tandem, superari.

VENVS TRIVMPHATA IN NIVE EXQVILINA

Populo Romano inscripta.

QVI primi currus, quæ ducta ex Æthere pōpa,
Cum Diuū primo Genitrix inuecta triūphe
Idaliam Venerem, Idalium deduxit Amorem
Captiuos, traxitq; sacris data colla catenis:
Atque adeò patrui lamenta immania Ditis
Expediam cantu; felix si Delius audit;
Nec Musæ abnuerint celsum mecū ire per Axem.
Tuq; adeò votis Stirps alta à Stirpe Quiritum
Annue, dum sanctas portento ostendimus arces,
Dū canimus sacrum iam sacro flumine Tybrim.
Sylua antiqua fuit: Rex olim Euandrius illā
Saturni insignem latebris, lucoque virenti
Sacrarat; primas illic dum vomere glebas
Subruit, & sulcis segetem monstrauit aratis.
Nunc vero Exquiliæ propter Tyberina fluenta
Vmbriferæ Diuis nota cœlestibus arces.
Quas Dea cœlestis Libani redolentibus aris
Plus cara quondam Solyma, plus ditis Idumes
Dilexit palmis. hìc illius aurea zona,
Hìc vittas habet. has Virgo pulcherrima sedes
Intacto proprias thalamo, teneroque pudori
Sacrauit. Sed enim posset quid sæua Dione,
Quid Puer Idalius, quæ spicula tenderet arcu,
Audierat; Solimis quondam dum crimina Nati
Sæpè exprobraret, sontesque ardentibus Orco
Terreret flammis: quin sæpe oracula vatum
Euoluens diros arcus, nimiumque potentem

Damnarat pharetrã. Memori sub mente recursãt
Diluuia vndarum, mersaque iniuria terra,
Totque superfuso pereuntia corpora ponto.
Nec quina Phœnicum Vrbes cœlestibus icta
Exciderant flammis; quæ nunc (miserabile visu)
Sub pigro absorpta pelago sua crimina pendunt.
His flammata odijs, Erycemq; Gnidõq; superbam,
Delendamque Paphon castas deposcit in iras.
Haud mora. Cælicolæ, qui grãdia iussa frequẽtãt,
Quæque acies latè Dominam comitatur ouantem
Bis mille electi iuuenes, bis mille Ministri
Protinus auratis pulcherrima corpora pennis
Demittunt celeres, atque obuia nubila vincunt.
Pars Amathunta ruit, pars alta tecta Cytheræ,
Pars delubra Erycis, dirasque à sedibus imis
Euertunt arces, auulsaque marmora pellunt
Marmoribus; pictis insunt lacerata ruinis
Crimina; dimidium Martem Vulcania vincla
Includunt; nec totus aper, nec totus Adonis
Apparent; Syluæ tantum, densique recessu
Vmbrifero rami; iacet alta Paphusque, Gnidosq;
At Virgo Æthereas altè subuecta per auras
Solam oculis Venerem, solum vestigat Amorem:
Nec magnam euersis consumere sedibus iram
Sustinet; Idalio totas detorquet habenas,
Idalio currus; hic cuncta excussa latebris.
Ætherei pueri circa intima tecta laborant.
Hi spicula Eois certatim læuia gemmis
Elidunt manibus; teneris illi aurea signis
Diripiunt vasa, & spargunt in nubila rorem
Aßyrium: liquidis alij pigmenta venenis
Gaudent Carpathijs in dona effundere ventis.
Mox Paphiæ inuentæ volucres, mox aurea mala

Dardania monimenta Ida, palmaque recepta.
Deiu educta Venus sub nigris abdita myrtis,
Sub platano Puer, ambo oculis manantibus udi,
Ambo humiles, & nequicquam sua crimina fassi.
Prima Cypris tãtorum auctrix infanda malorũ,
Mox Puer insuetis submittunt colla catenis,
Suspirantque altè manibus post terga ligatis.
At Virgo aurato captiuos subligat axi
Sublimesque rapit strepitante per Æthera curru.
Continuò Superum lituique, tubaque canora
Victrices iterant palmas, Dominamq; potentem
Virgineo paeane, & grandi carmine dicunt.
Auditaque procul voces, auditaque longè
Tympana: Carpatia responsant omnia ripa,
Inuisosque iterum Cyprus Neptunia cantus.
Alipedes Pueri, plaudentique agmina gyro
Adglomerant curru, miroque ex ordine ducunt
Insuetos alij flexus, variantque vicissim
Nunc prona in lapsu, nunc ardua corpora Caelo.
Milleni alternos intorquent orbibus orbes,
Inde alios ineunt nexus, aliasque frequentant
Experti choreas. Non sic Troiana Cybele
Olim Dardanias iuit turrita per Vrbes,
Aut sic euerso rupes Tarpeia Nilo
Victorem accepit, quondam dum victa Canopi
Regina effigies curru deducta superbo est.
Iam septem gemina primis despectibus arces
Apparent, fluuioque Pater Tyberinus ouanti
Radit iter flauum, ripisque immurmurat unda.
Cum Dea conuersum detorquens Æthere currum
Flectit in Exquilias, & colle potitur amato.
Atque hic extemplò visu mirabile monstrum,
Dum cuncta Arcadico tellus flagrata Leone,

Non

Non astus armenta queunt, non ferre bubulci;
Insueta ex alto tempestas labitur axe
Vna hyemem, secumq; niues, glaciemq; pruinamq;
Atro præcipitans nimbo; latè omnia candent
Exquilia iuga; tum primùm stella Icaris alsit,
Ipse pater verti metuebat Cinthius annum.
Illa ardens animis, magnumq; ultura dolorem
Ter circum Exquilios bigis volitantibus arces
Euinctam rapuit prolem rapuitque parentem;
Ardentē niuibusq; facem, niuibusque pharetram
Ardentem extinxit, flammas sic ulta nocentes.
Ecce autem Odrysijs Pluto remeabat ab oris,
Deuectusque nigro findebat nubila curru,
Et captam Venerem, prolemque ex nubibus altis
Idaliam Baijs longe cognouit ab vndis
Cernit pennipedes captis illudere Catus,
Et flentes vexare Deos: stetit incitus ira
Defixus, geminosque angues repressit habena.
Tum veteri tactus rabie, flagransque pudore,
Has secum infandas effudit pectore voces.
Heu vim fœmineam! Sic Virgine vincar ab vna?
Is nempe Æthereo moui qui dira Tonanti
Bella prior? qui ausus solium sperare superbum?
Vnum quem propter telis ciuilibus Æther
Exarsit? quem ductorem, Dominumque secutę
Tot millena acies, tot millenaque phalanges?
Hæc olim potui. Quid sumpti forma colubri
Nunc prodest? quid depulsi felicibus aruis
Ambo homines? tristi quid stirps obnoxia fato,
Morbique inuecti, curaque & mille labores?
Si nunc vna meis illudit fœmina Regnis.
Quæ, mirum, quamuis hostilem enixa Tonantem,
Nunc quoq; Virgo manet; nostro hanc sine crimine
uidi

Solã hominũ ſuperas venientem in luminis oras.
Ah Venus, ah Puer, ambo mei pars maxima Regni
Ventum ad ſuprema eſt. Victũ me Virginis huius
Fata premunt, huius Proles diuina coercet.
Hac ait; & currus vicino immerſit Auerno.

ARGVMENTVM.

Inducta eſt Romuli, ac Remi mater Ilia, quę hortatibus Nympharum Oceani delinita finit Coniugem Tyberinum in marino Senatu Deorum abeſſe, breuique compendio, vt In Tito Liuio eſt, ſuam, natorumque infelicitatem acu depingit. Inter hæc plauſu Quiritum excitata in ſummo Flumine cum Nymphis apparet, viſaq; in Exquilijs Niue, Sibillæ Tyburtinæ dicta recinit, quibus Deiparæ Virginis encomia è Sacris Literis deducta continentur.

ILIA TYBERINA
SEV
EXQVILIARVM NIVES.

His etiam numeris, captoque ſecunda labori
Aſpires Romana Erato, ſi candidus aſto,
Si nec ſonte manu Cyrrhea altaria tango.

Dic

Dic Dea qui nimbi? quæ olim cădentibus arces
Prodigijs tacta, quæ missa ex Æthere nubes?
Tum quoq; fatidicam Tyberina quid Ilia vatem
Audierit quondam Tiburna in rupe canentem?
Dum senior Tybris diuinum euolueret amnem
Oceano, fors vndisoni penetralia Regni
Caruleas sedes, ac nantum glauca Deorum
Limina, cætusque vndarum de more frequentat.
Illi Memnonijs sublucent cornua gemmis,
Humentemque comam Peneia laurus inumbrat,
Tum Fluuij sceptro cœlestibus aurea pennis
Stat Romana Aquila, & læuo tenet vngue micātē,
Exiguumque Globum terræque, marisque subacti,
Quā quondā (vt fama est) æterno Mulciber auro
Æolia in Lipare noctesque, diesque laborans
Extudit imperij Cœleste insigne Latini.
Æneas gessit. Diu stagna habuere Numici.
Eripuit Venus, atque inuicto præbuit Amni:
Huic tunc innixus se propter Nerea Tybris
Gemmato posuit solio, toruusque resedit
Nutibus Oceani, rebusque intentus aquarum.
At sola in thalamis, humentique Ilia luco
Mærebat curis, & latè rauca fluenta,
Et tumidos lapsus, curuisque ambagibus vndas
Frænabat nutu, Tybrimque, vdosque Senatus
Increpitat Pelagi, se solam ad tanta relinqui
Flumina, nec sat consilio, nec viribus æquam;
Hanc centum Natæ dictis mulcere querentem,
Omnes Oceani Natæ, fluuioque receptæ,
Quas Tyberi paruas Anieno in gurgite Doris
Erudijt Thuscis paulatim assuescere ripis.
Amphitoe, Glaucisq; Atteque, & flaua Lycaste,
Amphiro, Plioneque, Amathiaque, Laodiceque,

Gnara coli Thisbe, quam centum nulla Dearum
Tortilibus superet digitis, meliorue sonantem
Aut sinit, aut relegit torta vertigine fusum.
Est auro cunctis, est gemmis lucida vestis
Cærula, laurigeræque comæ, pictique cothurni.
Cunctis læta acies, totoque æterna iuuenta
Corpore, diuinis formosa vigoribus ætas;
Electra Hesperidum luco, Laurensque Marica
Regum ambæ Thalamis, & natis Regibus ambæ
Insignes Matres, tum fusis crinibus Ægle,
Tumque oculis Panope glaucis, nigrisque Thiella,
Tum Diuina Hiale, quæ subter viscera terræ
Humente anfractu, mirisque ascensibus undas
Diducit pelago, Thyrrenisque alpibus effert
Egelidos latices, lymphamque perenne cadentem,
Quam sitis agrestis lasso in sudore frequentet.
Has iuxtà Beroe, iuxtà & Sicana Peloris
Oenotrias Tyrio bis fucant murice lanas.
Inter quas Pelagus paulatim oblita, Tybrimq;
Ilia Serrano curas consumit in ostro.
Hìc nitet eois fatalis tela smaragdis.
Aurata impietas Patrui, dulcesque Nepotes
Abrepti vberibus: ripasque, lupamque Gradiui
Aspiceres, circàque abiectam littore Prolem
Agricolas flere, & crudelia temnere iussa.
Mirumque intuitu, sacris vagitibus vnda
Ceu mota in medio collecta exuberat Amne,
Nec refluit spumis, nec libat corpora rore.
Haud procul egreditur syluis horrenda Sabinis
Immanis rictu lupa; lingua exerta ferinis
Spumescit labris; olli fœta vbera circum
Pendula succussant aluo, villisque resultant.
Se quoq; mœrentem curis, Vestamq; Gradiuũq;
Assi-

Assimilem clamanti, ac diro in carcere vinctam
Staminibus pullis, & tristi incluserat auro.
Hinc spernentem Aras, & fas, & numina Regem
In rapto immanem solio, circaque Tyrannum
Custodem exsuerat densum. Cum gurgite toto,
Caeruleaque domo fluuij, thalamoque repentè
Exsonuit strepitus. Bis dulci ripa tumultu,
Bis plausu intremuit, bis clamor littora circùm
Obstantes rupit latices, penitusque sub alta
Ingemuit spelunca. Hic glaucis sedibus haerent
Attonitae, lanasque sinu, pictosque labores
Dimittunt Natae. Sanies ostrina, liquorque
Cristallo emanat fracta, ditique veneno
Nequicquam labens vicina aspergitur vnda.
Quas vbi pallentes vana formidine soluit,
Exemitque metus superatis Ilia limphis
Emicuit prima, & celeri formosa natatu
Ter ripas omnes, ter obiuit flumina Victrix.
Haud mora: caerulea pulcherrima corpora Natae
Educunt latebris, Dominamq; Ducēq; frequētant.
Omnes apparent pleno Tyberinides Amne,
Limphaque diuinis spumescit cana lacertis.
Quales millena pelago Nereides alto
Coram Amphitrite, coram Oceanoque natantes
Circa nexilibus Venerem lusere choreis;
Cum prima emersit spumantibus aurea lymphis,
Primaque Sicanis perlabitur aequora conchis.
Exquilijs Nimphae ostentum mirabile Siluis.
Insuetam glaciem totas operire cupressus,
Miranturque Niues latè excandescere luco,
Praeter fas anni, & Nemeai sideris ignes.
Ollis ignaris, stupefactis Numine Diuum,
Ipsa oculis Coelo latis, manibusque supinis

Ilia diuinam sic rupit pectore vocem.
O Sylua Euandri Cœlo acceptissima Tempe.
Saluete Herculeis vos olim admorsa Iuuencis
Gramina, tuque nouis salue candoribus umbra.
Hic Superûm Domus, hic sedes, Araque futura
Augusta, ingentes, totis quas vndique terris
Longinqui Æthiopes, & gens Eoa frequentet.
Sic cecinit quondam, sic Tyburtina Sacerdos.
Nunc animis repeto, meminiq; hæc talia Vates
Iuxtà præcipites Tyburnis lapsibus vndas,
Populea in ripa fati haud ignara ferebat.
Vt quondã immanẽ squamis horrẽtibus Anguẽ
Terribilem maculis, taboque, irisque superbum,
Qui (mirum) Æthereos spiris ingentibus axes
Complexus rapuit stellas, & Sidera Cœlo,
Hunc tãdem opprimeret prostratũ fœmineus Pes.
Tum Pharij propter septemplicis ostia Nili,
Res insueta oculis, flammis strepitantibus ardet,
Collucetque procul syluis agreste rubetum;
Nec tamen in cineres flagrata illabitur arbos.
Idem sub folijs rigor ijdem stipite rami,
Admissique errant intactis frondibus ignes.
Quin etiam Solimis tunc vilia rubibus antra
Vagitu Æthereo quondam sonitura canebat,
Eoasque vias, & ductos Sidere Reges
Diuitias mauras, & grandia dona ferentes.
Vt latebras Nili Materque, Deusque secuti.
Et lapsa euersis delubra immania templis.
Longe pulsa Isis, longe latrator Anubis.
Mox diuum flagrantem animis Heroa Iuuentem
Supplicia immerita, immanique atrocia letho,
Lucifonamq; Trabẽ, quæ olim mortalibus ægris
Obstructas Superi sedes recludat Olympi.

Tum

Tum demum Matrē post fata expleta senecta
Deberi Superis, Dominamque ad Regna vocari
Æetherea, ingentes Cœli quæ diuidat arces,
Terrarumque olim cum Prole assuescat habenis.
Hæc quoq; Germana, quæ cădent vallibus istis
Portenta, & latè siluas texere pruinis,
Quæ tantos æstus, & tantum admittere Sidus
Miramur Glacie incolumi, incolumique nitore.
Hæc Rex Sidereus nunc Æthere misit ab alto
Haud dubia intactæ fecundæ insignia Zonæ.
Dixit, & vndisonis Dea læta immergitur antris.

ARGVMENTVM.

Hæc triumphalis effigies Seruatoris in Cruce, vt pia traditione credimus, à Nicodemo Christi discipulo sculpta est. Diù metu Iudæorum in Oriente latuit, tandem à Gualfredo Episcopo diuinitùs inuenta, & vacuæ naui imposita fuit, quæ tātos sinus mediterranei maris emēsa, sine vlla ope humana in Hetrusco porto Lunēsiū immota stetit. Indè salutaris imago elata, cum pariter Luca pariter Luna venerabile donum deposceret, vt lis amborum dirimeretur, currui à Iuuencis indomitis pertrahendo imponitur ijs cessura, ad quos cum sacro onere currus traheretur. Fauit Lucensibus diuina benignitas. Ibi cum summa veneratione Hetruriæ asseruatur, longeque ab aduenis transalpinis colitur. Vide Hetrusca opera Patris Franciotti, & elegiam hi-

historicam de Vultu Sancto Lucensi quam elegantissimis numeris absoluit Io: Baptista Saminiati, omniū, qui hodie in Hetruria viuunt, cultissimi ingenij Iuuenis.

SERVATOR
IN CRVCE LVCANA
SEV PRIMA A PARTA SALVTE
In Salutari Ligno effigies
A NICODEMO EXPRESSA.

Fortunata dies, si quid Minoia possunt,
Hoc iubar auricomū, signent hanc marmora lucem,
Tu solis smaragdis, solis gemmata pyropis
Semper inoccidũum radijs crinalibus aurum
Eiibra, lætisque solum fulgoribus imple.
Tu veteres tenebras, diram tu pellere noctem,
Venistique Erebi crudele euertere robur.
Hæc olim. Nunc Sancta refers venerabile donum,
Victricemq; Trabē Populis. Iam pulchra Tonātis
Ora tui, iam nullis obnoxia corpora letho
Ostendis. Non hic paliuri dira corona,
Vulnificum dumis sertum, torquesque nefandas
Quæ fodiat frontē, quæque ora angusta terebrans
Liuenti spargat tabo, maculetque cruore.
Hic nec hiat fossum crudeli vulnere pectus
Immeritum. Non hic visu lachrymabilis horror
Illapsi vultus humero, plagisque cruentis

Con

Conuulsi trepidant artus, moribundaq; membra.
At nunc Ætherea semper mansura Iuuenta
Forma redux. Toto maiestas plurima vultu
Incumbit, nescitque Deum celare latentem.
Sancta, verenda acies, Cœlesti plena decore
Et blandè trahit, & blanda formidine terret
Mortalem intuitum, metuiq; immiscet amorem.
Qualis ab Eoo Neptuni gurgite Titan
Exoriens, primis immittit lumina terris;
Cœlum Memnonius si fors suspectat arator,
Dum radios sequitur, tenera dum gaudia lucis,
Horret ad immensam radianti corpore molem.
O Pater, ò rerũ, Diuumq; hominumq; Repertor,
Da Diam Effigiem, da pignus amabile fari',
Et tanta Aesaridum fata exaquare canendo.
Exangui inferias, supremaque dona Magistro
Iam dederat Senior, iam lamentabile corpus
Condiderat lachrymans, mœstisq; sacrauerat aris
Ingentem Tumulum, proprij solatia luctus
Vana agitans. Olli Trabs vsque, & flebilis vsq;
Antè oculos facies, mentique', animoq; recurrit
Atrata rursum tectus ferrugine Titan,
Et luna labor, & medias audita per auras
Cœlicolum lamenta, iterum disrupta sepulchra
Mœrenti subeunt, mirisque axanguia formis
Apparent simulacra, iterũ tremere omnia circũ,
Et motu insolito tellus testata dolorem.
Nec Diuum effigies sacro manare cruore,
Nec signa attonitum cessant horrenda per aquor.
Sic tacitè secum magnum miseratus Amicum
Voluebat tristes casus, lachrymisque seniles
Largè humectabat vultus. Iamq; alta quadrigis
Nox atrum torquebat iter, cunctique laborum
Obli-

Obliti placida lenibant membra quiete.
At vigili solus thalamo, tristique recumbit
Infelix Senior, curis redeuntibus ægrum
Præbuerat pectus; cum clara repentè per omnem
Lux diffusa thorum, seque ipsa ostendit imago
Extincti Herois; iam nota augustior ora
Insignis Trabe, purpureoque insignis amictu.
Mens rapto stupefacta Seni, stat vertice toto
Canities arrecta, & vox in faucibus hæsit.
Cui prior hæc roseo Iuuenis cœlestis ab ore.
Tandem fide Senex, hos tandem mitte dolores,
Mitte superuacuos. Mecum victoria pulchra,
Mecum pulcher honos. Diris iacet eruta valuis
Inferni domus, & latè spoliauimus Orcum.
Quin Angue horrificũ, Noctisq; Erebiq, potentem
Tanarijs domui vinclis, ac carcere cæco
Frenaui; gemit antiqui vis obruta fati.
Heroum grandes animas, manesque piorum
(Me reducem Cœlo magnus cum nuper ouantem
Acciperet Genitor, geminusq; applauderet Axis)
Hos comites duxi, Regnique in parte locaui
Sic meritos, præclara olim dum vita maneret.
Nunc fundata salus. Patet alti ianua Cœli;
Desertasque domos, vacuique sedilia Regni
Fas homini complere. Hæc nostri tanta laboris
Est merces, obitusque ferunt hæc præmia diri.
Sed nè venturos lateat sors tanta nepotes,
Ne pondus fatale, humeris quod victima gessi,
Aut ignota operum maneant tot facta meorum,
Tu ritè Effigiem, non quam sub stipite diro
Vidisti lachrymas, sed qua nunc aspicis ora,
Quem lætum spectas vultum, signare memento,
Nostraque Idumæa sculpantur corpora cedro.

Hoc

Hoc ſerum Auſoniæ pignus labentibus annis
Decreui, noſtriſque feret quæ prima litabit
Thus Tyrrenum Aris. Satis hoc in munere felix
Quæcumque eſt patrio Luca haud ignota Tonāti.
Dixerat. In nigram ſe Lux pulcherrima noctem
Abſcondit, repetitque Polum cœleſtis Imago.
At Senior, quò Sancte fugis? quem deſeris? hæc nè
Promiſſa hoſpitio merces? hæc reddis amico?
Vt ſpreti amplexus, vt non ſit copia fandi,
Cur ſaltem Tyria prohibes ferre oſcula veſti?
Cur libare Trabi, tantumque attingere donum?
Hæc memorans feſſos è ſtrato corripit artus;
Tum iuſſo curas operi, primumque laborem
Deſtinat. Auſoniæ tellus quæ deindè volutat,
Quæ Luca Æthereum non ignorata per Axem.
Et quamquā neſcit loca, quamquā neſciat Vrbē,
Se fouet, & fama gaudet venientis amore.
Radices contrà Libani, magnique fluenta
Iordanis viret aerijs denſiſſima cedris
Sylua vetus, quam priſca ſuis ſacrarat Idume
Vatibus, vmbriferum lucum, viridemq; quietem.
Hic Senior, Solymas quondam, populumq; ſuperbū
Extorris fugiens, ſolus lenire ſolebat
Expulſæ caſus, & triſtia fata ſenectæ.
Hic operis tanti Cœleſtia iuſſa capeſſit
Illum oriens Titan, illum venientibus aſtris
Deſerit affixum Cedro; ſerumque laborem
Nocturnæ ingeminant valles, dum creber acuto
Inſiſtit chalybi, ſequiturque in ſtipite pulſus.
Iamque adeò è Trunco Cœleſtis membra Iuuentæ
Elicit, & dios mirè diſcriminat artus.
Certatim Superi ſe ſe alto mittere Cœlo
Præcipites, pubeſque leuis ſuccedere ſylua

Spe-

Spectatum; visusque Deum sub nube corusca
Delabi Genitor, lucumque subire verendum.
Assistunt densi, & primi mirantur honorem
Insolitum Signi, tum grandi stipite robur,
Tum pulchros artus, proceraq; corpora laudant.
Rex ipse Æthereus miro perculsus amore
Dū gaudet, dū membra oculos per singula voluit,
Hæc Nati victrix, hæc, inquit, ouantis Imago,
Hæc prima Effigies: sit fausta, sit omine nostro
Æterna, & seri vim nullam sentiat æui.
Nil Erebus contrà, nil impia dextera possit.
Tantum Luca olim promissum pignus habeto.
Hoc ventura dies, hoc conscia sydera firment.
Sic Pater. Emicuit ter claris ignibus Aether,
Terque Poli tonuere ambo, ter grandia dicta
Sanciit insueto tellus quassata tremore.
Ista olim. Aesarida tanti ne gratia facti
Exciderit, grati ne mens oblita Tonantis,
Instaurate aras, & thus adolete Sabæum.
Aetherea Effigies iam serta recentia carpi,
Et virides palmas, & debita dona reposcit.
Prodigium ratis Eoo fulgere sub auro
Nunc decuit tandem; nunc plaustra argētea duci,
Auratosque boues splendentia subdere colla
Temoni indomito. Nedum aurea tota refulget
Seu Galli effigies, seu Belgæ insontis imago.
Cui potius ripis Ganges felicibus aurum
Educet? aut Parii submittant marmora colles?
Hic illa Effigies, quam talia dona decere
Et maiora queunt. O terq; quaterque beata!
O Luca, hunc vnum subiecta agnoscito Regem;
Sic tua neu vllo Libertas occidet Aeuo.

ARGVMENTVM.

Descripta est initio gentilis Regia Tyrannidis. Hùc se infert Tysiphone, narratque gentilium Deorum aras in summo discrimine versari ob aduentũ Petri Apostolorum Principis, qui Numen ignotum Romæ, idest Iesu Christi diuinitatem, prædicat, multisq; prodigijs initia fidei confirmat, iussit Simonem magum ex aere præcipitem labi, plerosque Romanorum ad nouo Numini credẽdum induxit, & iam per Italię fines Episcopos mittit, Lucam in Hetruria Paulinum Autiochenum, qui Lucenses conuertit, docuitq; numina Gentilium Dæmones esse cælesti regno eiectos. Tandem hortatur atrocem Virginem Tyrannida vt secum volatu aereo Romam tendat. Dum illæ volant Nero Imperator Tyburi rusticatur, creberque venationibus indulget. Intereà rupi capitolinæ ambæ illabuntur. Tisiphone in vultum Neronis conuersa cum ingenti præda ferarum ad Poppeã redit. Ipsa Tyrannis in faciem Poppeæ mutata in Villam Tiburtinam concedit, ac de imminenti periculo Neronem monet, de plebe conuersa ad nouum Numen, de crebris incẽdijs Sacrarum ædium, de Statua Cæsarea deiecta, de progressu primitiuæ Ecclesiæ nascẽtis, de audacia Lucensium, Pastorisq; Paulini, quem Nero per Hetruriæ ministros necari iubet. Post inducitur Paulinus in amænissima Villa apud amnem Æsarem concionari, ibidemque ab immissis satellitibus capi. Quæ sequuntur vsque in finem poematij

sunt ipsa historia Martirii quãtum licuit breui venustate compendii numeris inclusa, reliqua. Vbi in poematio Æsaridæ dicuntur, Lucẽses, sic ab amne Æsare dictos intelligimus; vbi Solymus vates, vbi Aduena longæuus S. Petrum Apostolorum Principem; vbi horrida Virgo, vbi nec ignaua Virago, Tyrannidem; vbi trux animo Iuuenis, item insano Iuuenis, &c. Neronem vt in Suetonio videri potest, exprimimus. Plura qui volet, plura in Surio nostro, & Abbate Raggi, qui Vitas SS. Hetruriæ Clementi VIII. inscripsit, de hoc maximo in primitiua Ecclesia Martyre videbit.

DIVI PAVLINI MARTYRIS PRIMI APVD LVCENSES IN HETRVRIA EPISCOPI, ET TVTELARIS, CÆDES LIBATA.

Hic lugubre nefas, & lamentabile fatum
Aut dic, aut plores Erato; quæ viuida virtus
Impulerit Iuuenem tot diros ferre labores?
Quisuè animus membris auelli membra cruẽtis,
Et nolle optando se se permittere letho?
Vos tamen Æsaridæ priscos dimittite luctus;
Non hùc antiqua reditura in colla catena,
Non ferrum. Tristi tantum sub carmine corpus
Exanimum cadet, & merito reddemus Olympo.
Est propè Cimmerios atro spelunca recessu,
Qua nulla Eous submittit lumina Titan;

At

At latebra tristes, & nox aterna, metusque,
Pallorque, horrendi circumstant limina tecti.
Hìc Virgo effrenis quæ Graiis dicta Tyrannis
Inuisam sedem, posuitque immania Regna.
Fasque, fidemq; odit, solaque in cæde superbi
Spes trepidas animi, ponitque insana quietem.
Intus crudeli liuescunt corpora tabo,
Horrentque humano penetralia tincta cruore.
Stant diræ effigies circum, deformia visu
Monstra, Isisque, Apisque antiqui Numina Nili.
Hinc atro Pluton, atro Proserpina vultu.
Dij quoque cœlestes miris inclusa figuris
Ora gerunt; illic clausos meditatus amores
Iuppiter in pluuio stillans delabitur auro.
Illic est Liber sub olenti corpora capro
Conditus, est Poean destructus in ora Bubulci:
Queis dum fortè aras mactatis ritè iuuencis
Instaurat, nigroque ardet flamma impia tecto;
Visa repentè domus tremere, & ruere omnia circũ,
Cumque ara labique Caper, labique Bubulcus,
Et findi tellus, & toto sibilus antro
Audiri horrificus, cum dira filia noctis
Thisiphone propior, iam sæua apparet imago,
Antiqua ruga, sparsique in crinibus hydri.
His virgo, exclamat, tu nunc secura Deorum
Indulges latebris? non hæc tempusque, Deiuè
Sacra, vllouè aras aspergi sanguine poscunt.
Nunc, heu nunc clades Regno suprema paratur,
Ni properas, ni iam rebus pereuntibus adsis.
En Solymus Vates ad Tybridis ostia venit,
Canitie rara, vultuque, habituque decorus.
Is grandi, nec adhuc sat noto Numine fretus
Inuadit ritus, & sacra abolere vetusta

Iam capit. Crebris ingentia capta secundat
Prodigiis Numen. Quid nostri funera Vatis?
Quid memoro infelix, dũ tranat nubila pennis?
Dum cadit? & miseros lapsu diuellitur artus?
Inuisus Senior mirando carmine vicit.
Ergo Tarpea passim diffiditur Arci.
Plebs furere incapit, Vatique, Deoque recenti
Iam fauet, & priscas Diuum conuellere Sedes,
Et delubra audet, dum nox obscura tenebris
Horruit, & tantis sunt tuta silentia factis.
Hic neque meta mali. Latis successibus ardet
Aduena longauus. Iam Roma angusta videri,
Iam Latio exigui fines. Per viscera tendit
Ausonia pestis, iam sentit Hetruria labem,
Thyrrenique fouent, qua se pulcherrimus Æsar
Explicat, & vitreis descendit in aquora lymphis.
Huc Iuuenem misit primaua flore iuuenta,
Fidentemque animis, & eodem tota calentem
Corda Deo. Hic simulacra palam, Diuinaq; signa
Æsarida sauis gaudent exurere flammis:
Gens tota incumbit, iam res exosa priores,
Proh dolor! à Solymo Iordane, à stipite diro
Accepit Numen, cumulatque ingentibus aris.
Se sceleri tanto, se ausis immanibus vnum
Obtulit auctorem Iuuenis, qui Vate relicto
Hac ipsa vt strueret, Thyrrenis appulit oris.
Si memini, vulgus Paulinum nomine dicunt.
Iam vetuit lucos, sacrasque oracula quercus
Edere, nec luci possunt, nec reddere quercus
Ambiguas voces; sunt posta silentia victis.
Quaque olim Grauii, & semper coluere Latini
Numina, qua gentes Romano Marte subacta;
Hos ille alipedes atros, hac athere toto
Agmi-

Agmina pulsa canit, quæ nunc in nubibus hærent
Aut terra, pelagoque latent, aut carcere vincta,
Aut alibi lugent amissi præmia Regni.
Ast omnes fato debere in Tartara mitti
Præcipites, mergique illic Acheronte sub imo.
Sic fastu meruisse olim. Quin horrida Virgo
(Si nedum atroces animi, nedum impia languent
Consilia in cædes, aut hoc mansuescere tecto
Mauis) te sociam præbes, comitemque labori
Te pulchro accingis? nos fama æterna manebit,
Et Superi Cœlum, seruataque sydera nobis
Debere incipient, si Numen vicimus vnum.
Omnia tuque potes crudeli inuoluere cæde,
Nec mihi nequicquam pendent à crinibus angues.
Neu ventos, neu vana time, per nubila tendam
Dux secura viæ; Tarpeo in limine victrix
Consistes. Terris hic præbet iura subactis
Trux animo Iuuenis, totusq; à Numine pendet
Eumenidum, quæcumque atra monuere sorores
Spontè audit, sequiturq; nefas, & crimine gaudet.
Vidi ego dementi materno in funere, vidi
Tam cæde in tristi crebrescere risibus ora.
Satnè furit? matri flagrata incendia Romæ
Colluxere rogo; siuè omnes temnere Diuos,
Siuè omnes seruare audax, sed cura tueri est.
Huic satis indomitas accendere cædibus iras.
Sic ait, & mediis se totam nubibus infert.
Haud timida assequitur, tenditq; in nubila Virgo.
Interea syluis, & molli Tybure Cæsar
Otia læta colit, nec cura tangitur vlla,
Nec mole Imperii: veteri Poppæa Senatu,
Scilicet & victis ius dicit fœmina Parthis.
Ille omnes saltus, omnes indagine syluas.

In-

Includit latè, creberque per omnia tendit,
Vestigatq; oculis, nunc vallibus errat opacis,
Nunc silice aeria, seu fracta culmine rupis
Quadrupedem sistit, pressaque reflectit habena,
Optatque horribiles aliquà decurrere Tygres,
Lyncesuè, aut sæuos si ferret sylua Leones.
Nunc æstu languens Aniena in margine ripa
Accensos artus, & corpora fessa reclinat;
Tum strepitu leni, lymphisque à rupe volutis
Paulatim dulci vincitur membra quiete.
At miseri manes taboque, & sanguine multo
Fœdati apparent, cæsa Genitricis imago
Sopitum terret, mirisque horroribus actum
Inuoluit, curisque premit, tædaque lacessit
Vltrice. Ille amens dira formidine captus
Se vigilem ripis, & turbida lumina reddit;
Nec tota abscedit tædis vltricibus vmbra.
Mœrenti comites dant aurea plectra, lyramque
Æoliis vinctam fidibus, qua Graius Orestes
Maternos aliò potuit deflectere Manes.
Iamque adeò Diua Capitolia celsa tenebant,
Illapsaque solo despectant mœnia Martis.
Haud mora Thisiphone furiales exuit artus,
Subque truci aspectu, sub Cæsaris abdita vultu
Poppæa ad limen prædam venatibus actam
Assiduis, aprorum horrentia corpora centum,
Et centum elatos ramosa in cornua Ceruos
Inuehit, & notis mulcet complexibus ægram.
His nec iners monstris, nec adest ignaua Virago,
Fit socia exemplo, fit formosissima visu
Poppæa, & similes artus, similisque iuuentæ
Ora capit, simili collectis crinibus Auro,
Lasciua incedit, flammisque salacibus ardet

Lu-

Lumina, nec voci, nec sunt discrimina cultu;
His armata dolis se spissis nubibus audax,
Se ventis reddit, gaudetque animosa volatu;
Tandemque aereo pennis defuncta labore
Herculeis propior, propiorque illabitur aruis.
Hìc humeris alas, quas antè aptarat Erymnis,
Clam tegit in syluis sub mœsta stirpe cupressi.
Mox oculis Tybur, discitque Aniena fluenta,
Et passim toto diffusa palatia rure.
Hùc decreta via est, celato limine tecti
(Quà crebrò Poppæa olim incomitata subibat)
Se mediã thalamis, mediam penetralibus infert.
Fors Graia Ausonio reddebat carmina cantu
Insano Iuuenis succensus amore theatri,
Seque fouet laude immensa, famaque perenni.
Illa autem, solam potuisti linquere Cæsar?
Qua sine nec Soles grati, nec sydera noctis
Illuxere tibi? rebus despecta Quirinis
Poppæa inuigilat? tu syluarum ocia quæris?
At nescis rerum quæ te discrimina tangunt.
Non populi Aurora, tellusque extrema sub Arcto,
Aut iuga detractat longinquo flumine Nilus.
Res Romana perit. Iam Dijs cœlestibus aræ,
Heu tristi augurio! Flammis crudelibus uri
Cæpere; Eoo lux nulla emergit ab Indo,
Quæ non succensas horrendo crimine sedes
Diuorum prodit; simulacra auulsa videmus;
Effigiesque tui, quæ sacro in marmore viuit
Deiecta est Cæsar, tu stirps, sanguisque Deorum.
Causa mali inuectum peregrino à littore Numen
Ingens, ignotum, quodque est mirabile dictu,
Supplicio immani raptum, sed ducere Cœlo
Progeniem miram, soloque hac omnia nutu

Ter-

Terrasque, tractusq; Poli, Neptuniaque arua
Molitum memorant. Hinc manat origo furendi,
Prodigijs instant, factisque ingentibus ipsi
Auctores sceleris, vel solo hoc nomine freti
Funesta macie languentia corpora soluunt.
Pallida mastities animi, sauique dolores
Excedunt membris, olim vestigia vincti
Nunc lati incedunt, dant Solem lumine captis
Aspicere, & manes audent tentare sepultos,
Si que ità collibuit, reddunt vitalibus auris.
Quin populi Æsarida subuertunt omnia ferro.
Stant Solymo delubra Deo, stant aurea Templa.
Dijque vbi Romani sedes tenuere superbas,
Sacrilego glebas nunc vomere vertit arator.
Cuncta illic mouit, templique, araque sacerdos
Paulinus studijs, odiisque immanibus actus
Iordanem Tybri prafert, stultaque ruina
Imperii molem, Diuosque inuoluere tentat.
Hic animis ardens, notoque accensa furore
Corda tumens, lumen Poppaa in lumina figit,
Collectaque haret rabie, nec causa furentem
Dia mouet, nec Templa mouent flagrataq; tantū,
Quantum in fragminibus signi, vulsaq; moratur
Effigie vultus: Huc omnes colligit iras,
Huc se se accendit. Getula per auia qualis,
Si graue venantum descendit in ilia telum,
Frendit aper syluis, nec teli auctore reperto
In quercus furit, atque obliquo immania dente
Labra madet spumis, rabies ex vulnere crescit
Accensa, in quercus rursus, virgultaque tendit
Horribile incursu, syluaeque, nemusque resultant.
Talis se Casar tecto interiore ferebat,
Se stimulis acuit, se coram adsistere, coram
Ab-

Absentes optat, vocemque ità turbibus effert.
Sacrilegi auctores sæuis cruciatibus acti
Dent mihi, dent superis scelerato sanguine pœnas.
Hæc mea Tyrrheni faxint mandata Ministri.
Est vallis nemorosa situ, quà plurimus Æsar
Labitur, & Lucæ pulcherrima mœnia radit.
Stant circùm innumeræ platani, circàq; cupressi
Innumeræ, leni nemus omne inuoluitur vmbra,
Grata quies, æstiuo ardet dum sydere tellus.
Hìc fessi Agrestes componere membra sopore
Sæpè solent, pecus vmbrosis in collibus hæret.
Hùc vrbe effusi crebrò iuuenesque, senesque
Concedunt, mira capti dulcedine ruris.
Hìc etiam missus Tyberino à flumine Vates
Æthereo aspectu Iuuenis, dum fortè Tonantem,
Dum veteres iras, & clausi limina regni,
Insidiasq; docet colubri, primamq; parentem
Fatali aggressam fœtus decerpere ramo.
Heu dolor! hinc generi labes, lethumq; laborq;
Incubuit miseris, damnataq; sentibus arua
Non segetem Agricolis, non mitis dona Lyei
Pampineæ Vites, non quercus mella dedere.
At nunc Æsaridæ magni Genitoris ad astra
Quæ rediјt proles seruati victima mundi
Illa nefas crudele, & crimina fœda Parentum
Spontè sua extinxit moriens. Iam scandere sedes
Æthereas licet, & meritis in sydera ferri.
Hoc moniti memores, hoc primi agnoscite Numen.
Talia dũ memorat lachrymãs, de colle propinquo
Improuisa ruit, totoq; à vertice sylua
Se manus agglomerat districtis horrida telis.
Ingens fit strepitus luco, sæuusque repentè
Immugit platanis clamor, turbamq; frequentem

Pallore exanimam cæcis formido latebris
Abscondit. Stat dira acies mucrone corusco,
Stant torui vultus, nec iam fugientibus instant,
Nec tentare nemus, latebrasq; inuadere cura est;
Pastorem antè alios rapiunt, huic tendere contrà
Huic geminas manicis certatim includere palmas
Huic tela intentant, & dicta ferocia gaudent
Captiuo ingerere. In socios pars cætera sæuit,
Expediunt alij funes, alijque catenas
Diductas nodis immani pondere ferri
Horrentes, hæsura viris in gutture vincla.
Nec mora. Iam rapiunt, iã luco absceditur omni
Raucisono gemitu ferri, tractæque catenæ
Horrifico lapsu vallisque, amnisque remugit.
Dum trahitur Vates, dum lethi occurrit imago,
His vltrò socijs accendit pectora dictis.

Nunc finis suprema venit, mercesq; laborum;
Hæc semel ò comites debemus corpora letho,
Seù natura vocat, seù vis insana Tyranni,
Nunc animis opus est, nunc tota feruere mente;
Seù flammis optent, seù nos absumere ponto,
Non graue sit flammis vri, non æquore mergi.
Hæc sinè diuino non est sancita cruore
Relligio, magno Proles æquæua Parenti
Occidit, & Solymi viderunt funera Ciues.
Hùc iuuet insontes, & nos fudisse cruorem.
Hìc cæde extinctos cœlesti protinus axe
Vita manet, vinci hìc vicisse est sydera victis.
Iamq. adeò carcer, iam tristia tecta propinquant,
Squallentesque situ latebræ, cum Cæsaris ira
Prætorem incendit, poscitque in verbera vinctos
Heù facinus crudele, atrox, immane, nefandum!
Certatim sæui contorquet lora Ministri,

Cor-

Corripiuntque viros, & toto corpore nudant.
Exuuiæ ramis hærent, vittæque sacratæ.
Sæuitur flagris, sequiturque in vulnere vulnus.
At prima in Vatē rabies; huic verbera torquent,
Huic totum euellunt ferrata cuspide corpus.
Confossi trepidant artus, auulsaque membris
Hærent membra suis, plagisq; abscißa cruentis
Compago fluit, effusum bibit herba cruorem.
Omnia quid memoro? stat circumfusa Iuuentus
Pallore exanimis, flent affusæ ordine matres.
Hìc Iudex, sat plagarum est, nunc ponite lora.
Esuriē victi venient ad sacra Dianæ.
Ergò sub latebris, & clausis carcere cæco
Memnonio impastis ter surgit ab æquore Tytan.
Educti pulchris membris, pulchraq; iuuenta
Apparet Vates. Irarum fluctuat æstu,
Incertusque animi Iudex. Quæ carminis inquit,
Quæ vis tanta potest? etiàm ne cadauera viuunt
Hæc lacera? hæc tantis horrentia corpora plagis
Nilq; fames potuit? quin talia monstra ministri
Obijcite extemplò dapibus lanianda ferinis.
Collis adest quà Luca olim Pisaque vetustæ
Se dirimunt, spatijq; æquato limite distant.
Hìc horret spelunca situ, fremituq; leonum,
Quos longa esuries vacua ad præsepia torsit.
Continuò latebras, & claustra immania laxant.
Stat Vates, celsoq; intendit lumina Cœlo,
Intrepidiq; adstant comites, rictusque ferarum,
Oraque diductis expectant horrida labris,
Incurruntque feræ, sed magni Rector Olympi
Detestans scelus impastas compescuit iras,
Delinulsitque animos; ollæ consistere circùm,
Fuluis blandiri caudis, & lambere Vatem,

Et comites. Magna Prætor se proripit ira,
Exclamatq; ardens rabie; Geminate catenas,
Stent hostes magici, stent atro carcere vincti,
Decidat ense caput post mille, & verbera mille.
Hìc pia mæstities animi, finisque laborum
Æthereæ sedes, scandendaque sydera Vati
Occurrunt, sed Luca premit, Luca insidet vni
Sola animo, subeuntque aræ, ciuesque relicti,
Heù miseri in lacrymas ciues, fletusq; relicti!
Ergò hæc effudit suprema voce Tonanti:
Da Pater, arcano qui dirigis omnia nutu,
Omnia quique potes, da sacro Numine freti
Esaridæ crescant, da templa æterna manere,
Quæ tibi, quæ Nato, & dio stant ardua Amori.
Hæc Vates. Cæcis infusa repentè latebris
Lux tenebras vicit, seq; vna ostendit imago
Ætherei Iuuenis, roseoque hæc addidit ore:
Luca sibi stabit, nulloque premetur ab hoste,
Dum tibi, dum tumulo reddent solemnia sacra.
Vix lux cœlestis, vix magna euanuit vmbra.
En rabidi postes, & claustra horrentia pandunt,
Dumq; trahunt Vatem, resonant lugubre catenæ.
Hunc flagris lacerant, totumq; auellere corpus
Stat plagis furor; hinc alij stridentia lora
Lictores vibrant, fluit atro flumine sanguis,
Pars parti auulsa est, plagis confusa cruentis
Membra, ingens, dirum sunt toto corpore vulnus,
Iam cadit exanimis Vates, iam lumina Cœlo
Supremùm attollit, iam præbet corpora letho;
Vitaque felici se tollit in æthera cursu,

ARGVMENTVM.

Astant magno funeri Solymi Ciues. Alij alia timent,& alia queruntur de Henoc,& Elia Vatibus,&c. At Deus è nube ridet humana consilia, iubetq; exuuias maternas inferri Cælo,indiciq; honorem Superis. Obtemperant omnes ministri,vt suis quisq; muneribus præest,nouasque ædes Reginæ in firmamento moliuntur, cælestesque annales in foribus sculpunt, Chaos, primi Solis procretionem, Paradisum, Arborem primis hominibus fatalẽ, prælia super Æthere m pugnata, Pelagi, terrarumq; globum, alij adornant diuino apparatu conuiuia. Accumbentes Genius Gabriel cantu mulcet, genusque humanum ad regna cælestia inuitat.

THALAMI NVPTIALES

SEV

DVM VIRGO ASSVMERETVR TRIVMPHALIS CÆLICOLVM APPARATVS.

Postquàm Virginea iam fata expleta senecta,
Iam Solymis totis ingens pallescit Imago
Exanima, & sacro stant lumina vincta sopore,
It sola exangui Maiestas insidet ori,
Et tanta exuuiæ, funusque apparuit Orbi.
Diuisis hæsere animis, hi multa timere,

Quid viduis reliquum Terris, raptoq; Tonante,
Et rapta Genitrice manet? cui triste nocere
Aut nequijt crimen, labesue vetusta Parentum,
Cur potuit tali mors olim ex crimine nata
Immeritò Augusta iucundam abrumpere lucem?
At sacro gemini luco pulcherrima Vates
Otia semoti degunt, nec mœsta sepulchra
Ambobus metuenda Viris, ni fessa minetur
Natura interitum, supremisq; omnia flammis
Inuoluat pelagusq; solumq; & sydera Cœli.
Cur eadem sors? cur deest Matri aeterna iuuenta?
Ast alij lacrymis, miseroq; incendere luctu
Omnia, non trepidi castum dimittere corpus,
Non ausi à tumulo vestigia mœsta referre.
Hìc Rex aetherea Cœli sublimis ab Arce
Diuina in Solymas defixus lumina rupes
Vsque adeò trepidare, inquit, sauosq; labores
Fingere dulce homini? sua nunc solatia Terra
Amisere? mori labes exempta vetabat
Me quondam extincto? tandem sua funera Vates
Etsi sera manent? Genitrici aeterna iuuenta
Communi dabitur Regno, nec luctibus vllis,
Aut lacrymis opus, aut curis ingentibus angi
Et se se irrisit mentes, Animosque minores.
Exin Regiuam dulci compellat amore.
O Virgo aethereis iam pridèm debita Regnis,
Iam thalamis pridèm aequauo nuptura Parenti,
Scis suprà Lachesin, & ferrea iura sororum,
Quae propter Solymas tua nunc exanguia mēbra,
Exuuiaque iacent tumulo composita superbo,
Deberi Superis, ternoque à Sole renasci;
Et tandèm perfecta dies, promissaq; signa,
Si quando ingentes animo molirer honores,

Si

Si te, sique tua efferrem cœlestibus aris,
Numina, sique tibi foret omnis subdita Tellus.
Quarè age nos primùm Cœlo testemur honorem,
Et prima è Cœlo deriuent gaudia Terræ.
Sìc ait, à læuo sonuere tonitrua; terque
Idem per Solymàs latè fragor intonat arces,
Nec mora, sy derei Vigiles, veterisq; phalangis
Primores, rutilaque acies, clypeataq; Diuùm
Agmina, queis olim discreto fœdere Tellus,
Et queis humentum custodia cessit aquarum;
Quique ambos axes æterna stare quiete,
Præcipitique iubent conuerti sydera lapsu;
Quiq; imbres, ventosque, & sæua tonitrua Cœli,
Fulgurq; pluuiasque atris componere nimbis
Norunt, & stragem mœstis auertere Terris,
Tũ manus Alipedum, quæ regia tecta frequentat,
Et res humanas miro tutatur amore.
Cuncti præcipites supremo protinùs Axe
Delabi, gaudentq; Euros præuertere pennis,
Cuncti, quà radijs, flammisq; ingentibus ardent
Sydera, quà puris se se explicat ignibus Æther,
Insolitas Thalami sedes, mirosque penates
Moliri Æthereo Regi, Æthereaq; Parenti,
Quæ prima Augustæ stent sacra Palatia Diuæ.
Aurea vestibuli facies, effusa superbis
Porticibus spatia, & latè se limina pandunt.
Pars cœleste polit marmor, pars postibus addit
Immortale ebur, & secti dentes elephanti.
Lucent parietibus Gemmæ, rutiliq; smaragdi.
Ast alij nebulas diuina aspergine roris,
Plenasq; ambrosia, & mirè fragrantibus auris
Adijciunt Thalamo nubes, hi maxima tecta,
Hi rarè accumulant sacro penetralia cultu,

Omniaque exercent signis, perq; omnia latè
Æthereis fulget pictis Annalibus aurum.
In foribus Chaos antiqui primordia Mundi
Informe horrescit primùm caligine cæca,
Tùm lux obscuro diuisis corpore rebus,
Et longè apparent primi incunabula Solis.
Tùm primæua patent hortis fœlicibus arua,
Arbosque auricomis ramis, fœtuque comante
Insignis, subtusque, nefas, pulcherrima visu
Fœmina conuellit fatalem ex arbore fœtum,
Ostentansque Viro dat lamentabile donum.
At victor ramis lugubre exsibilat Anguis.
Hinc Æther, & quæ pugnata sub Æthere bella.
Corruit atra phalanx, densoque per aera lapsu
Præcipites pendent, clypeis, signisque relictis
Indecores, hic immanem Plutona videres
In faciem Colubri deforme extendere corpus,
Iactantemq; minas; at mox formidine turpi
Sub stygias sedes, & tristia tendere Regna.
Hic omnem latè Oceanum, terrasque patentes
Addiderant Superi, stant miro ex ordine Regna.
Ausonia, Ausoniæque Vrbes, populiq; futuri.
Stat Roma armipotens, stant Pisæ viribus æquis,
Audentque in totum dimittere carbasa pontum.
Stant Sardis, Siculisque olim rapienda carinis
Rostra, augustum, ingens, & nulli imitabile tẽplũ.
Nec minus intereà diuino splendida luxu
Alipedes medijs curant conuiuia tectis.
Impositis aurum dapibus, mensaque relucet
Cœleste argentum; gemmata sedilia circùm
Chrisolitis ardent, circà prosternitur ostrum.
Vt ventum ad sedes, & Rex hominumq; Deumq;
Aureaque accubuit stratis Regina superbis.

Con-

Continuò Solymis (visu lætabile) siluis
Florescit Tellus, herbisque recentibus halat,
Ignoti passim flores, nascique repentè
Ingens visa arbos, quæ ramis sydera lambit,
Et Thalamũ densè redolēti amplectitur vmbra,
Hanc palmam, & ramos Vates cecinere priores.
Iàm primi Heroes Diuùm, iam lectaque Pubes,
Quæ capiti ardentes stellarum innexa coronas,
Quæ clypeos angui, rapuitque insignia victo.
Iamque alij passim cœlestia munera libant.
Cum mira insignis facie, incessuque decoro
Apparet Iuuenis, cui toto dia Iuuenta
Corpore, cui latè crinali fluctuat auro
Cæsaries, & fusa humeris patat aurea vestis.
Versi primores magni formosa ministri
Ora, habitusq; notant, & quæ lætissima Terris
Fœdera, quæ Superum Matri mandata ferebat.
Mox ingens mirantur ebur, mox aurea plectra.
Ille canit prisci primæua exordia mundi.
Quæ sua sit Superis, quæ primaq; rebus origo.
Vndè Poli, & gemino currentia sydera Cœlo.
Quæ causæ irarum tot longa in sæcula gentem
Arcerent Superis, humana in funera Parcæ
Quid tantum potuere olim, tum fœdera Cœli,
Terrarumque canit, patefacti limen Olympi,
Vim lethi extinctam letho, victasque iacere
Hostiles Erebi vires, ac lurida regna.
Tum dulci ingentes sic libat carmine tædas.
Et vos Cœlicolæ diuinas promite voces,
Consortis Terræ, Cœli consortis habenas
Regia Nupta geret, nunc olli maximus Æther,
Olli subiectis lucebunt sydera flammis.
Quæ quondam Alphæi mirati sydera Ciues

Millena accendent castis funalia Sacris.
Hanc Dominam nobis nos toto admittimus axe
Vnanimes Superi, rerum nam quicquid vbiq; est
Dos Thalami cœlestis habet, tantique hymenei.
Et Vos mortales stirpi stirps - mula nostr æ,
Nec iam ortu minor hùc socias aduertite mentes,
Et tandem æthereo quoque vos assuescite cantu.

ARGVMENTVM.

Sumitur inductio poematii à S. Torpete Martyre Pisano, qui suos cruciatus succincta oratione Cœlesti Virgini Matri exponit, eiusdemque tutelæ, patrocinioque Pisas tunc gentili superstitione laborantes commendat. Illi clementissima Virgo annuit, suorumque Ciuiũ tutelam capit; immò in cœlestem speculam Martyrem ducit, vndè globus terrarũ cum toto Oceano videtur; ibì pleraque Italiæ, at præcipuè Pisis euẽtura canit in primis quæ irruptio à Gotthis, & VVandalis in Italiam futura sit, quę desolatio veteris Imperii Romani, lingua latina in peregrinę affinitatem linguę transitura. Intereà Pisæ populorum frequentia illustres fient, reique naualis studia auspicabuntur, post progressu temporis, vt Sardinia, Corsica, vetusque Carthago, vulgò Tunetum, Pisanis classibus subiuganda sint; quin etiam magna pietas in Victore populo elucescet, præcipuè in sacra Basilica admi-

mirandi operis templo. Mox interrumpēti Martyri de futura sanctitate Ciuium, addit Virgo de Sanctis Ciuibus, sacrisque Virginibus Pisanis, Bonna, Vbaldescha, & Clara Gambacorti, at maximè de Sancto Rainerio, cuius vita breui compendio tota absoluitur, pergit porrò in describendo sepulchreto Pisarum vulgò *Campo Santo*; recensetq; obtinendas in Sicilia victorias, danda quoq; Gotifredo Bullioni in expugnatione Solymarum, Palestinæ, Asiæ, & Aphricæ auxilia, hìc denuò subdenti Martyri an felicitas Pisana augeri, aut minui aliquandò possit; hæc Virgo reddit ob peccata in Deum admissa casuros à prisca felicitate Pisanos; tamen addit felicissima quiete sub Domo Medicea fruituros. Tum priuata merita magnorum Ducum memorantur, Cosmi Primi, Primi, & Secundi Ferdinandi. De SS. Torpete, & Rainerio, vide Abbatem Raggi in Vitis Sanctorum Hetruriæ, vbi denique in poematio dicimus *Alphæus* Sanctum Ciuem Torpetem intelligi velim, & vbi aut Alphæus, aut Alphæa epithetum in Poematio legitur, vt significet aliquid ad rem Pisanam attinens, cætera facile est, vel mediocriter erudito capere.

AL-

ALPHÆA PANEGYRIS,

SIVE

DE REBVS PISANIS TERRA, MARIQVE GESTIS INCÆPTA DELINEARI IMAGO

SERENISSIMO PRINCIPI FERDINANDO SECVNDO MAGNO DVCI HETRVRIÆ NVPER OBLATA.

SYderibus medijs stant sacra Palatia Diuæ,
Stāt thalami ingētes, stat Regia Nupta Tonāti
Iuncta suo, Terræque sapit consortis habenas.
Vestrū opus, Aonides. Seu nūc quid tale Camœnis,
Seu minus ordimur, tamen aspirate canenti
Tuq; adeo FERRANS Augusto sanguine Regū
Edite, cui læto nunc paret Hetruria cultu;
Dum toti Europæ, toti Pax aurea Mundo
Nunc redit, & sæuum nunc ponit Iberia ferrum,
Gallia nunc ponit; binique in fœdera Reges
Placati redeunt; & nunc tremit impia Thrace
Vnanime Hesperiæ robur, Gallasque phalanges.
Huc ades, auspicijsque tuis, nutuq; secundo.
Sit fas Pisarum fatale euoluere robur,
Ac dira eximijs arcere obliuia factis,
Sitque triumphali rursum suspendere classi
Carbasa, & Ismarijs vi quondā erepta Tyrannis
Regna,

Regna, Arcesq; loqui. Sit scandere limina Diuûm,
Atque hinc sy derea responsa arcana Parentis
Haurire, & memori vulgare in sæcula cantu.
Iam suus, at hereoque magis succensus amore
Perstabat Iuuenis (Torpete à nomine dicunt
Torpetem, genus Alphæo de sanguine Regum)
Perstabat volucri iam lætus imagine, iamque
Exanimes artus neglecta membra iuuenta,
Exuuiasque omnes longè sublimis ab æthra
Despicit, & cymbam, cymbæq; aspersa cruore
Transtra patare suo, permissaque fluctibus ossa.
Iamque adeò Solem propior, propiorque micantes
Astrorum euehitur sedes, iam totus Olympo
Imminet, & totis se pandunt limina valuis.
Cum manus Alipedum circà, circà aurea Virgo
Certatim agglomerant lateri, stipantq; frequẽtes.
Ille quidem Alipedum pictis insignia pennis
Corpora, cœlestesq; habitus, formosaq; membra
Non sat mirari, sed Virgine fixus in ipsa
Vsque manet, similis, similisq; apparet imago,
Qu sibi supremis morituro apparuit vndis,
Exemitque metus ipso in discrimine lethi,
Dum trunca est mediæ ceruix illata carinæ.
Ergò animis supplex, Diuæque incensus amore
Cœlicolum tali sic demum voce profatur.
Sola Tonãte minor, thalamisq; accepta superbis,
Centum suprà acies, centum supràq; phalanges,
Ætherei robur belli, super agmina mille
Primorũm, Alipedumq; manus electa Virago.
Has primi sedes à Thusco ascendimus amne,
Primi, delubris, & tot crudelibus aris,
Tot monstris Erebi Tyrrhena negauimus vsque
Thura cremare focis; neq; ad simulacra Dianæ

Ne-

Nequicquam rapuere suæ, mens addita castis
Incubuit sacris, hausitque à Numine robur.
Nequicquã Cæsar, magniq; eadem ore frementes
Romulidæ amentem monitisque, minisq; superbi
Increpitant, fer sacra Deæ, fer thura Dianæ:
Si secus, horrendi tormenta atrocia lethi
Expecta, & membris abrumpi membra reuulsis.
Persto animis ardens, plagaq; immunis ab omni
Exupero pœnas, nec me crudelia lædunt
Lora intorta Viris, rabiesue immissa ferarum.
Olli autem attoniti monstris, tacique furore
In Thusca vnanimes ceruicem abscindere ripa,
Exanguesque artus quassata imponere cymba
Approperant, cineri ne gleba obtingat adempto.
Nunc me Pontus habet, rapiuntq; feruntq; procellæ
Quà libet insanis pelagus propellere ventis.
At tu Diua Parens patriæ miserere cadentis.
(Seù Pelopea domus, sic fama antiqua recepit,
Hùc olim Alphæa deduxit ab Elide Graios,
Seù sua Thraconi debent hæc mœnia Pisæ,
Seù Celtis debent, seu nos Hetrusca Iuuentus
Planitie capti propter consedimus amnem,
Crebrique ex aliјs, aliјsque aduenimus oris)
Fac Virgo liceant Stygio non omnia Regi.
Da noctem superare animis, da ciuibus aura
Æthereæ afflari, atq; Erebi contemnere Manes.
Da sontes aras Thyrreno inuadere ferro,
Diraq; Thyrrenis delubra absumere flammis,
Omnia namque potes cœlesti freta Tonante.
Sit sola hæc merces, obitusq; hæc præmia diri
Sola ferant, maneantque meo sancita cruore
Mœnia sub nutu, sub te custode perenni,
Donec summa dies supremo inuoluerit igni.

Omnia,

Omnia, iamque odijs stabunt elementa sepultis.
Hæc ait, & largo suffusus lumina fletu
In genua incubuit, Diuæ testatus honorem.
Sublato Heroi pars crini innectere lauros,
Pars manibus præbet cum grandi lilia ramo
Magnanimis assueta Viris in limine ferri
Cœlicolum dona, & sacrati muneris instar;
At Diuina Parens dictis compellat amicis.
O cui nunc lætis scintillant omnia flammis
Sydera, cui semper regna hæc cessere merenti;
Annuimus votis, & nunc damus omnia Diue.
Post breue, sacrilegas aras (absiste moueri)
Signaque conuellent Diuina Numinis aura
Inducti; nemo non Templa immania ferro
Excindet, passimque pijs incendia flammis
Miscebit latè, qua lex dominatur Auerni.
Sunt nobis Pisæ, sunt cordi Thusca fluenta,
Me quoque (nescibas?) monitis celestibus acti
Oratum Alphæi venient, sim manibus ipsis,
Sim genti custos, vt si res ingruit arcta,
(Qualia multa animis fient discordibus olim)
Assistam tamen, & tuta in statione reponam.
Hic specula effulget cœlestibus aurea gemmis,
Vndè potest omnis tellus, omnisque videri
Oceanus, quantoque ferant se sydera lapsu.
Huc Heros vnà solio sessurus in alto
Concede, & mentem rebus grauioribus apta.
Quandoquidē Genitor dat fata aperire futuri,
Ortusque, interitusque omnes cognoscere rerum,
Dat quidcumque olim incipiet, seù desinet olim
Iam nosse, & natam tali dignatur honore.
Iam breuiter casus & grandia facta tuorum
Hic aliqua in summo libabo vertice rerum.

Principio vasta iam re labente Quiritum
Post diram illuuiem, post Arctoasq; phalanges,
Immanesque acies, quas tristi sydere mittet
Triste Arctos sydus, post pugnata horrida bella;
Post Italo, Geticoque vndantes sanguine riuos;
Demum Tarpea post saua incendia rupis,
Captiuumque Tybrim; Gens debellata Quirini
Euganeis monitu Diuùm considet in oris.
Illic Hadriacis medijs in fluctibus vrbem,
Attollentque arces. Veneti, labentibus annis,
Et passim toto genus insuperabile ponto,
Dicentur. Metuant Thraces hæc arma Tyranni.
Quin Flora, quin Pisarum sub mœnia tendent
Romulidæ iunctis animis, opibusq; parati
Cũ socijs stare, aut pulchra succumbere morti,
Aut procul Hetruscis descendere manibus hostem
Hùc vsque à Tanai, diroque Boristhenis amne
Inuectum, heù quantos miserandæ stragis aceruos
Æmilia, Æmiliaque arces, tellusque latina
Accipiet! cæsis mœrebunt arua colonis.
Iam nunc Flaminias natorum ob funera matres
Heu miseras! olim syluis vlulare sub altis,
Et sera audimus lamenta in nocte cientes.
Nunc mihi sanguineo cunctatur gurgite labi
Eridanus, tabent (visu miserabilis horror)
Nequicquam forti succincta cadauera ferro.
Arma virum, clypeiq; alto cumulantur in amne,
Vnda redit, nescitq; viam, lapsusq; secundos
Moliri in pelagus, tot funera densa feruntur.
Ast ea non Geticis sors est ventura maniplis,
Vt quondam Hetruscis sperent succedere Regnis.
Vox sola Ausonibus, Thuscisq; antiqua peribit,
Italidesque Nurus, & quæ nunc cumq; superstes
Oeno-

Oenotriæ pubes, seu nata in mœnibus altis,
Seu medijs syluis, vnà omnes ore latino
Desuescent fari. Sed erit venientibus annis
Hæc lingua Ausonijs, ipsisq; accepta Latinis,
Par Graijs, par Cecropijs, aut maior Athenis.
Vsque adeò facili fient discrimina cultu,
Mollescentque soni, durasque abscedere voces
Flora dabit; Flora Hetruscis quæ Regibus olim
Certa erit hospitio sedes, quam maxima Diuûm
Vel nunc Mediceis dant fata Heroibus aulam.
Gens hæc Aonides Argiuo à vertice Pindi
Ad Patria syluas, Arnique augusta vocabit
Flumina, nec Vatum monumēta antiqua priorū,
Nec sinet aut Sparten, veteresue occūbere Thebas.
At Pisæ intereà (sic res Hetrusca feretur)
Crebrescent populis, auroq; opibusque paratis,
Non Gens illa animos fastu succendet inani,
Sed magis, atque magis diuina capessere sacra,
Incipietque altis ambire hæc sydera votis.
Sic placidè felix tibi multa in sæcula tendet,
Nec timuisse hostem, bellone lacessere certa.
Donec, composita iam sanctis legibus vrbe,
Paulatim incipiet pelagus tentare carinis,
Vt longè ripas, Tyrrhenaque litora seruet,
Bistoniasque rates prædonum auertat, & ausus
Increpet hostiles, si quandò exscendere puppi
Tentauere Afri, Lybicisue incincta pharetris
Maura phalãx prædas animo meditatur agrestes.
Nūc geminas cōuerte acies, & lumina Thuscū
Demitte in pelagus, Tyrrhenaque despice regna.
Hasne vides celsis horrere in collibus arces?
Hasne vrbes salsis latè quas fluctibus ambit
Thusca Amphitrite? Hæc Sardis habitata coloni

In-

Insula diues opum, bellisque asperrima ponti,
Seù libare manu fundas, seu missile telum
Torquere in puppes, seu transtra inimica subire,
Summasque antennas agili conscendere nisu,
Et docta in medios auulsa insignia fluctus
Spargere, vel victo lacerare hærentia malos
Hæc sæpè Alphæo superanda est robore, sæpè
Defectura tuis; nam Mauri plurima Reges
Subsidia, annonamq; & multas æquore classes
Submittent victis, donec iam rebus iniquis,
Iam sorte alterna toties nutantibus armis
Longæuus ductor populari à stirpe legatur,
Qui res pacabit, dum Rex euincta catenis
Colla geret, dum capta parens, dum regia proles,
Et tota ditione suis, patriaque subacta
Ipse triumphali remeauerit æquora classe.
En tibi nunc Cyrnus medio circumdata fluctu
Planities glebis, & pinguibus humida sulcis
Et fruges præbet, dulcique à vite racemos.
At sterili ascensu vicina in nubila tendunt
Aerij montes. Sæuo gens aspera cultu.
Diù tamen hæc tellus armis inuicta Quiritum.
Fortuitò Alphæis hæc est vincenda carinis.
Namque olim nil tale rati, dum litore sæuo,
Et diræ hospitio latè probibentur arenæ,
Nec licet à sæuis donis cerealibus vti,
Nec dulces latices fessæ solatia classi
Inuehere, & tali remorari munere lethum,
Collectis simul vnà animis hostilia rumpent
Agmina, longè arcus, pharetræq; sudesq; iacebunt
Agrestes. Vno superabitur Insula bello.
Hàc despecta oculis, Tyrijs fundata colonis
Rudera prisca vides, desertaque mœnia cultu.

Hæc nunc Carthago est, hæc Punica regna fuere,
Et toties victis trepidata Quiritibus arma.
Hanc iuxtà Mauri crebris includere vallis
Mœnia, certabuntque animis ingentibus Afri
Instaurare noua rursum Carthaginis arces.
Sed tamen hoc pelagus, litusqua hostile carinis
Dant fata Alphæis, dant dira euertere regna.
Nequicquã Lybiç manus omnis, & omnis ab Hęmo
Agglomerata manus consternent æquora velis.
Namque in vincla Duces, & victi Bistones acti
Mœnia, Pisarumque arces captiua videbit
Maurorum pubes.. At Rex infanda suorum
Delubra exosus, dum sacra immania temnet,
Dumque vni assuescet solio, cultuque Quiritum,
Auratasque Poli claues, & Numinis auram
In pastore colet, tum regna amissa tenebit.
Hæc neque virtuti finis, nec meta tuorum.
Mixta armis pietas hæc vincere sydera discet.
Quin mihi Diuino monumenta æterna labore
Educent astris. Viden hæc sine mœnibus arua?
Hæc tũ mœnia erũt. Templa hic pulcherrima visu
Sumptus suprà artemque opus aspectare memẽto.
Auspicijsque meis sedes æterna maneto,
Æternique aditus. Nil vis mutabilis æui,
Nilque Noti possint, elisaque fulmina nimbis,
Nil tellus, si quando tremit, nil robur Auerni,
Hostilesue ira, sparsisue incendia flammis.
Has ego nunc aras præsenti Numine firmo,
Firmaboque magis cum iusta aduenerit ætas:
Namq; olim Aurora populi, quos gemmifer Indus,
Quos latè Eoo Ganges intersecat auro;
Qui serum Oceano Solem, currusque cadentes
Accipiunt trepidi, dum mixti fluctibus ignes
Hor-

Horrificum ſtrident, lituſque remugit Iberum.
Huc crebri aduenient longinqua exoluere vota,
Appendentque ſacris paſſos inſculpta labores
Aurea dona tholis. Hinc prora auulſa feretur;
Pallenteſque viri vix laſſi brachia tollent
Spumanti in pelago. Nil hinc vibrata ſecuris
Inſontem lædit, ferrumque in vulnus hebeſcit;
At turba vnanimi clamore ad ſydera lato
Donari inſontem, donari iudice ferro
Inſontem; rapiuntq; omnes in tuta merentem.
Quin valuæ à Solymis, queis tota ſuperbit Idume,
Ærata aſtabunt foribus decora alta futuris.
Hic ſeries diuina operum, Natique labores.
Stant obitus triſtes, ſtat prima iniuria tecti,
Cum primis olim vagitibus imbuit auras.
Atque alibì tumidum ſedatis fluctibus æquor
Subſidet, fugientq; Noti, dum maxima proles
Iam vigil oſtendit ſocijs pallentibus ora.
Hinc caſti thalami, & tæda genialis imago
Apparet, tenues epulæ, tenuique paratu
Vnanimes vnà coniunctæ ſanguine Matres,
Affineſq; Nurus, omniſq; propinqua Iuuentus
Accumbit, Proles etiam dignata Hymeneos
Me iuxtà exiguoque thoro, cultuque recumbit;
At vix affuſis veſcendi prima cupido
Exempta eſt, caſtæ vix rupta ſilentia pubi,
Cum nullo vitis ſpumarent cymbia rore.
Mirari primùm, placidiſque hortatibus omnes
Increpitant verſi, non iam ceſſate Miniſtri?
Crateres vacuos, & inania cuncta Lyæi
Aſpicitis circùm, ſtatiſne? effundite vina?
Hic Proles, ſtrepituq; ipſiſq; arrecta querelis,
Res inopes Thalami, & fortè miſerata propinqui,
Diu

Diù fixis manet vſque oculis, tum fonte perenni
Hauriri latices, atque æra vndantia lymphis
Inferri iubet; At dictu mirabile monſtrum,
Quales, ſeù Solyma lecti, ſeù vite falerna,
Seruatique cadis iam luſtra annoſa liquores
Exuperant dulces; præbent ærata repentè
Haud alios latices verſis charcheſia lymphis.
Atque animis ardens hìc ore ſilentia rupit
Alphæus. Patriæ ventura oblectat imago;
Me Pietas profuſa rapit, me viuidus ardor.
At, Virgo, anne aliqui tanta de ſtirpe Nepotum
Promiſſi Superis? factiſque ingentibus ipſi
Inſignes venient magnum ſuper Æthera Ciues?
Queis faueat Proles, queis olim in vota vocari
Det Genitor? det collapſis ſuccurrere rebus?
Et paſſim templis, paſſim dignetur & aris?
Sic paucis Heros. Non paucis Regia Coniux
Hæc. Confide animis, Sedeſq; Araſq; dicabit
Patria prima tibi. Sed noſtra ad ſydera multi
Magnanimi Heroes Piſarum à litore tendent,
Multæ etiam patrio defixæ lumina Cœlo
Virgineis ſeptis formoſæ luſtra iuuentæ
Includent, ſanctoque obitu ſua funera ponent:
Aſt vnum cape nunc Iuuenẽ florentibus annis,
Quem Pater ipſe ſuo Superùm ſignauit honore
Inſignem, miriſque dabit clareſcere factis.
Vel nunc Rainerio tu Diue aſſueſce Nepoti,
Hæc Hetruſca olim celebrabit nomina tellus,
Quæ Solymi quoq; quæ Belgæ, Moriniq; Britanniq;
Optent cum lymphis luſtralibus indere natis.
Pubeſcent Puero caſtæ lanuginis anni,
Pubeſcet virtus. Aſt heù maleſuada iuuentus
In præceps ruit, & diuino à tramite recti

Abdu-

Abducit longè ; dum viuida sustinet ætas
Otia læta sequi docet, vltricemque volupta
Nō spectat Nemesin, quæ flagra immania torquet.
Hìc genitor sontes Iuueni contemnere curas,
Mollirique animos dabit, & facta impia mœstis
Diluere in lachrymis. Non miti inducta sopore
Vlla quies ægro obtinget, non vlla cupido
Vescendi ; at mœsti lamenta ciere Parentes
Nequicquam. Iuueni stat sancto crimina luctu
Ingemere, & magnum fletu placare Tonantem.
Stat solis Superis, solique intendere Cœlo
Lumina, seque animis cœlestibus addere Diuis.
Ergò Tyrrhenis trans æquora puppibus ibit.
Quàque olim in tota vestigia pressit Idume,
Quà Proles nasci elegit, quàque abiete dira
Spontè mori, tumuloque tegi cœleste cadauer.
Hæc cuncta æthereo viset succensus amore.
Hic vltrò esuriemque pati, tristesque labores,
Insomnesque volet lachrymis impendere noctes.
Tùm primùm inuoluet spinoso tegmine corpus,
Tùm primùm nudis inducere vincula plantis
Abnuet, infestis seù bruma Aquilonibus horret,
Seù Nemeæ æstas signis lethalibus ardet.
Tum se se abyciens ad casta Altaria supplex
Seù veniente die, seù decedente iacebit.
Hic quoties, dulci dum lumina fessa sopori
Dat fessus, multa Proles in luce corusca
Astabit; veniamque comes spectabilis olli?
Nos quoties solari, & tristes demere curas,
Has olim in sedes, atque aurea tecta vocare?
At postquam Heroi longæua incanuit ætas
Ad Patria sedes, Alphæaque regna redibit:
Queis non hic soboles dabit inclarescere signis?
Quais

Queis non prodigijs? nā olim languentibus ægris
Instantem Lachesin, viciniaq; funera lethi
Auertet; fugientq; procul pallentia morbi
Agmina. Quin etiam deformia corpora visu
Intercisa artus, mæstoque affixa cubili
Exoluet curis, ac primæ flore iuuentæ
Imbuet, olli alacres incessibus omnia visent.
Quin oculis capti pulsa caligine cernent
Mirati Solem, pictisque coloribus arua.
Queis atri Alipedes pulsi cœlestibus oris
Incubuere olim, queis hospita corda fatigant
Indomita rabie, stimulisque immanibus angunt,
Non vlla est requies, aut pax baccantibus ægris.
His tranquilla salus, iam nulli obnoxia fraudi
Nigrorum Alipedum, monstrisue obtinget Auerni.
Iamque obitus cape, signoque ex vno omnia disce.
Dum vix fatali stant lumina vincta sopore,
Vix tanta exuuiæ circà cœlestibus halant
Ambrosia guttis, & odora flentibus aura
Aspirat funus; cum Turribus vndique sacris,
Vndique sacra simul sese æra sonantia pellent
Spontè sua, & lætis tinnitibus omnia circùm
Astrepere, & festis clangoribus excita pubes
Vnà omnis tendet longæui ad funera Vatis.
Visne alia hìc patriæ monumēta insignia Diuæ?
Nunc incumbe animis. Thusco pulcherrima cultu
Se latè attollent fatali tecta quieti
Sacrata, exequijs solis, & lumine cassis
Sacrati campi, sic illos nomine dicent.
Namq; humus à Solymis magno calcata Tonanti
Hùc placidis ventis, & sacra classe feretur,
Quæ gelidos artus, quæque ossa exanguia condat,
Accipiatque sinu. Sed longè plurima circùm

Porticibus latis latè apparebit imago.
Principio primi magna incunabula Mundi
Visere erit, primosq; (nefas) cecidiße Parentes,
Dum miseri ramis inhiant fatalibus ambo.
Has etiam Æthereas arces, inuisaque nobis
Lurida tecta Erebi, mersosq; in Tartara Manes.
Tum quicquid sacris cecinere oracula libris,
Viuida signa canent animoso picta colore;
Mirum opus, & toti solùm admirabile mundo.
Quid tibi nũc Liparen? quid victi claustra Pelor
Commemorem? Alphaeas omnis Trinacria puppes
Horrebit; postquam ventis, Diuisque secundis
Imminet acta phalanx, immanique obice ferri
Abrupto, plenis illabitur ostia velis,
Iam capto portu, iam se dedente Panormo.
Quin vbi iam Solyme cõmunibus occidet armis
Europæ, sanctoque cadet Phœniciæ Marte,
Dum fines Asiæ, dumq; Aphrica tota domanda.
Auxilio socias classes, socia agmina Gallis
Vestri spontè addent, opibusq; animisq; parati
Seù medijs campis, medioue capeßere ponto
Arma manu, pulchrosq; obitus pro laude pacisci.
Hic Syriæ ripis, fluuioque incumbet Oronti
Custos lecta phalanx Tyrrhena, vt vela subire
Thracia, ne possint hostili milite classes.
Dum superata pijs Victoribus inclyta cedat
Vrbs olim Antiochi primæuo à nomine dicta.
Post simul vnanimes victricia signa sequuti
Cum Veneta, Ligurumque manu, cum robore lecto
Ausoniæ Solymas arces, & prisca Tyrannis
Imperia Odrisijs rapient. Tum magna fluenta
Iordanis, tum Phœnicum pulcherrima Regna
Visere, tum valles dabitur, tum sancta videre
Rude-

Rudera, cœlestique animos dulcedine pasci.
Hìc Diuus læto exhalans suspiria corde
Heroina, ait, hæc Patria tam viuida virtus
Sìc vsque augescet factis ingentibus olìm?
Visque, vigorq; animi similis, similisq; cupido
Mansura? aut Pubes studijs insignibus acta
In Martem tendet, pelagiq; animosa labores?
Languescetuè olìm? nèc tali laude minores
Incendent animos capti dulcedine pacis?
His ille illachrymās. His magni Nupta Tonātis.
Desine fata Heros nimiùm cœlestia nosse.
Stat series rerum, stant grandi obnoxia nutu
Omnia; nec Genitor quicquàm sinit esse perenne.
Tā Regna extingui facile est, quā maxima nasci;
Ortusque, interitusque suo concluditur æuo.
Gens Alphæa diù sic Marte inuicta manebit,
Regnabitque mari, Lybiæ metuenda Tyrannis.
At postquàm factis in iustas ire Tonantem
Compulerint iras, nèc auita minoribus olìm
Sit Pietas cordi, sint sancta munia vitæ.
Res retrò labi incipiet, nèc viribus æquis,
Nèc pronis posthàc pugnabitur æquore Diuis.
Tùm Ligurum superare manus, pelagoq; potiri.
Tùm Classes ventis, & tempestatibus acta
Sorberi, tristisque domi discordia Ciues
Haurire, & miseri cognata in viscera ferrò
Decertare odijs. Vrbs prisco à culmine rerum
Deiecta occidere, atque hosti captiua relinqui.
Nè moueare animis Heros; sic Fata tulere
Cœlicolum. At meliore cadent post omnia nutu.
En Medicèa Domus cum magno Numine Diuū,
Auspicijsque altis Regna ad Thyrrena vocatur,
Aurea Progenies COSMI, quæ Regibus orta

Regum magnanimas Matres, Regesque datura
Europa. Mixtus magno cum Cæsare sanguis
Præclaris olim se tollet ad Æthera factis.
Tùm primùm f ssis contingent otia rebus;
Tyrrhenaque Vrbes fessa ciuilibus armis
Se simùl vnanimes sub miti Principis vmbra
Addent, Imperiumque sequi, nutusque paratæ.
Tùm vomer campis, & honos reuocatus aratri
Omnia sufficiet victu, laticesque Lyæos
Tùm Tyrrhena dabit plenis vindemia labris.
Tunc pecus herbosis impunè in vallibus ibit
Depascens lento felicia pabula morsu.
Tympana nec diri Martis, clangorq; tubarum
Ingruet ære cauo, sed pax mulcebit agrestes,
Mulcebit Ciues. Sub COSMO tota redire,
Reddita tota sibi ceù tristi à funere nasci
Vrbs vestra incipiet rursùs. Nã maximus Heros
Sacratam statuet sedem naualibus armis.
Tùm delecti Equites Tyrrhena robora pubis
Instantes animis in Thracia Regna ferentur,
Nec nisi Bistonijs opibus, prædaque potiti
Alphæo appellent Medicèas littore puppes.
Post quoque Palladias arces, ac ardua Cælo
Educet tecta Argolicis æquanda Lyceis.
Quà Tyrrhena olim, quà transalpina Iuuentus
Insignes animi cultus, mansuraque famæ
Nomina pulchra petat; seù discere iura Quiritũ,
Seù res diuinas, seù sancta oracula Vatum,
Seù Panaces herbis instantia fata morari;
Aùt cura est alto metiri sydera Cælo;
Aùt vim Naturæ, causasque euoluere rerum;
Ingenuasque artes, quas omnis Graia vetustas,
Quas serò, at meliùs seri coluere Latini:

Quæ

Quæ tua non Patria à magno FERRANTE videbit
Attolli monumenta operum? Nauale carinis,
Tyrrhenoque mari munitos obice portus.
Porticibus diuisa suis spatia ampla patescent,
Quà fas mercari, quà sit conuentibus vmbra,
Augustasque Ædes Diuis Cælestibus addet.
Hæc eadem amplecti cupiet sua maxima natu
Progenies COSMVS, magni & FERRANTIS imago;
Ipse volet FERRANS nulli pietate, vel armis
Cessurus dum sceptra geret Tyrrhena, suisque
Reddet Auum, Thuscique vltrò confinia Regni
Extendet. Quæ nunc animo sententia Diuæ
Læta subest? cernes magis, ac magis omnia tuta.
Sub custode pio LEOPOLDO Heroe manebit
Vrbs Alphæa tibi, quem cura insignis Auorum
Mens eadem stimulet pulcherrima præmia cũctis
Ponere, qui varias animum excoluere per artes.
FERRANTI Proles, Atauoq; simillima COSMO,
Succedet Regnis; quin HÆC, omnisq; perennè
A Stirpe Augusta Sanguis, mansuraque Proles,
Vos vsque incolumes, Alphæaque mœnia reddet.

ANATOMIA HVMANI CORPORIS LIBATA, ET HVMANA INFELICITAS INITIO EXPENSA.

TILMANNO TRVTVVIN BELGÆ MAGNI DVCIS HETRVRIÆ ANATOMICO CLARISSIMO.

QVid sumus? hic saltē mortales temnere fastus
Incipe mortalis. Vidē hoc exāgue cadauer?
Quæ tetra effigies, aut vultu pallidus horror
Incubuit? mæstis stant lumina vincta tenebris,
Illapsisque rigent gelidi ceruicibus artus.
Hinc sectis squallor membris, hinc viscera tabo
Sparsa madent, aterque cruor penetralia tingit.
Has nempè exuuias olim formosa iuuenta
Exuit, & celeri amentes confidimus æuo?
Lethi mille viæ procurant omnia lethum;
Ipsa iubent elementa mori, nos humida passim,
Nos sicca exanimant passim; vis frigida Parcas,
Vis accensa vocat, cunctis hinc mæsta laborum
Stat series, stant atroces in funera morbi.
Quid memorē sontes Naturæ in crimina causas?
Quæ non sanguineis cecidere cadauera rixis?
Est radix, est herba nocens, sunt marsa venena
Exitiosa thoro, si quandò Thessalis ardet,
Et furit, & vetitos periura insanit amores:
Tyrrheni tamen hùc Iuuenes aduertite mentem.
Hac mole in mæsta nupèr cælestis imago
Æthereis cognata animis, sedesque, laremque
Fixit,

Fixit, vos oculis in singula tendite membra?
Se miræ causæ, mira & discrimina prodent.
Principio capite in summo, velut arce supremâ,
Mens habitat custos, & felix hospita regnat.
Se circùm molli densata in frigore ludit
Humida massa albens membranis obsita binis,
Quæ fluitat latè, niueisq; amplexibus ambit
Interiora laris; Prisci dixere cerebrum.
Hic vim mirificam fomenta arcana vigendi
Mens haurit, ducitque aurai simplicis ignes
Spiritibus leuibus, tenuique in corpore mixtos,
Quos miris Cor antè modis inoleuit, & antè
Sanguineos latices in munia tanta parauit.
Quam tenui anfractu lætis fomenta capillis
Paulatim irrepunt! mirisque in flexibus errat
Venarum ambago, quæ omnes sua munia norunt!
Hinc simùl vnanimes certatìm ascedere neruos,
Atque alias, aliasque vias, aliosque labores
Moliri aspicies; cura omnibus insidet vna
Corporibus motum, certamque afferre quietem.
Nũc huc, nũc asta propius Tyrrhena Iuuentus.
Quæ sedes iecori, quàm feruent omnia cultu?
Hìc secreta alimenta, alboque simillima lacti
Principio fluitant, quæ sensim exuta colorem
Incipiunt roseo venas tentare meatu,
Iàm dici sanguis, viuaxque, volubilis, acer,
Æmulus ætherei motus, hostisque quietis
Ignauæ; læto dùm circuit omnia gyro
Occurritque, reditque sibi. Meander vt olìm
Deuehit Iliacos latices, reuehitque perenni
Circuitu vndarum per pinguia culta relapsus.
Quò Vatem Aonides cyrrhea abducitis arce?
Non ego Phylliriden, Graiumue Machaona tento;

Nec tentare licet, non olim Argiua vetustas
Omnia secreuit diuino in corpore fata.
At si certus amor, si nunc est certa cupido,
Hetrusci, noua Naturæ discrimina nosse,
Amplectique omnes, Tilmanno assistite crebri,
Dùm secat, & miros mirè discriminat artus,
Dùm tenues fibras, & viscera tecta recludit,
Et nil lædit acu, pulchroque ex ordine membra
Secernit, fibrisque dabit noua fata repertis.
Post Iuueni Thusco Iuuenes applaudite more.
Sat mihi sit Belga Belgam cecinisse Sicambrum.

IN CONCIONEM HABITAM PISIS
A' CLARISSIMO ORATORE
CAROLO CANTELLI
E' SOCIETATE IESV
DOMINICA RESVRRECTIONIS
Super illud ERO MORS TVA O' MORS.
Mors apud Hierosolymas moriens loquitur.

SVm surrepta mihi; quo lux discessit? & omnis
Antiqua Solymæ aspectus? nec iã abiete dira,
Suffixisque Viris colles horrescere cerno,
Sparsaue dumosis liuere in vallibus ossa.
Iàm neq; Iordanis mihi sonti murmurat vnda.
Quis potuit de me tantum? sic arbitra fati
(Quæ

(Quæ genus inuisum vesci cœlestibus auris
Sola veto, stygiæque omnes immitto carinæ)
In tenebris nempè, & lugubri nocte latebo?
Non suus hìc cineri locus est, non hospita nostris
Hæc vna exequijs. Me Cœlestûm opprimit ira.
Quid prodest misera quondam felicibus aruis
A ramo auricomo vires traxisse superbas,
Imperioque meo caput omne ascribere Diti?
Hac nè Anguis pater? hac natam sperare iubebas,
Cum iussa hostilis rebare æterna Tonantis,
Et nulla eiectæ deberi fœdera genti?
Sum dictis illusa tuis, à Numine vincor.
Heroa Æthareum dùm tristi inuadere letho
Sustinui demens, dùm membra exanguia condo,
Et iuuit denso munire satellite funus,
Et mihi plaudebam. Spolijs oneratus Auerni
Ipse Heros graditur diuinæ æterna iuuenta
Iàm membra indutus, iàm sacro lucidus auro.
Iàm pulchra trabe, purpureoque insignis amictu;
Alipedes pueri circà, circàque frequentes
Agglomerant lateri comites ex faucibus imi
Præda erepta Erebi. Tunc primũ exterrita dixi,
Iàm mortem sua fata prement, obitusq; perennes.
Haùd mora; nequicquàm me multa, & multa mouentem
Inuadit manus omnis, & addit vincula captæ.
Ipsius atque viri tumulo mœstissima condor,
Hìc ego nunc iaceo infelix, semperque iacebo,
Hìc onera ex humeris quondã metuẽda pharetræ
Lethales arcus, lethali cuspide tela,
Spiculaque atra iacent diro squallentia tabo,
Hìc macies funesta, & pallida monstra dolores,
Et tristes mecùm posuere cubilia morbi.

Non posthàc virus seù marsis collibus orta,
Seù lecta Æmoniÿs spirabit vallibus herba;
Præcipitesuè actæ stimulis atrocibus iræ
In miseras cædes, aùt tristia vulnera tendent:
Linque ratem horrendam tu diræ portitor undæ;
Est euersa palus, fert victus Pluto catenas.
Hùc nostra properate Deæ, fatalia nentes
Stamina, ferte colum, & sæua vertigine fusos,
Quondàm Cecropÿs commenta arguta Camœnis.
Hac mortis quidcumque fuit concluditur vrna.
Dedoluique tamèn, mæstæque obliuia menti
Irrepsere olìm: solus Cantelle senilem
Tu renouas luctum, & priscis singultibus ægros
Ausoniæ ostendis, meà nèc taciturna sepulchro
Hìc saltem in tristi finis ossa quiescere luctu.
Stet tua fama tibi, totiès iàm Roma loquentem
Audÿt, & culta stupuit miracula lingua.
Gensque Alphæa omnis sacro nunc pendet ab ore.
Sàt tibi partus honos. Cineri iàm parce sepulto.
Ingemui quondam à magno superata Tonante,
Nunc rursùm superata à te Cantelle gemisco.

FINIS.

PETRI ADRIANI

VANDEN BROECKE BELGÆ

SYLVARUM

LIBER SECUNDUS.

Ad Illustriss. ac Clariss. Virum

FRANCISCUM REDI

PATRITIUM ARETINUM,

SERENISSIMI PRINCIPIS

FERDINANDI SECUNDI

MAGNI HETRURIÆ DUCIS

ARCHIATRUM.

Illustriss. ac Clariss. Viro

FRANCISCO REDI

PATRITIO ARETINO

SERENISSIMI PRINCIPIS

FERDINANDI SECVNDI

MAGNI DVCIS ÆTRVRIÆ

ARCHIATRO.

S. P. D.

PETRVS ADRIANVS VANDEN BROECKE.



AD vnum iàm à multis annis Clariss. REDI votis meis omnibus concupiui, vt se aliqua legitima occasio offerret, qua dùm vterer, & si nihil eiusmodi, quod tua summa humanitate, summisque beneficijs, quibus me alijs, & alijs temporibus tibi totum deuinxisti, dignum sit, possem rependere;

saltèm ingenui hominis officio defungerer, dùm ea omnia, quæ referre, aut exoluere non possim, me adhùc debere grati animi confessione testarer. Quæ mihi res ex animi sententia accidisse videtur, nàm cũ hæ nostrę lucubrationes, nõ in Gallia, vt id antè sperabamus, sed in Italia recuderentur, meos statìm ad te oculos conuerti, cui hæc in primis nuncupatio deberetur, cùm quod tibi iàm tot nominibus deuincirer, tùm quoque, quod etsi multiplice omnium disciplinarũ cognitione egregia apud omnes Italos laudem consequutus esses, tamèn propria quadam humanitatis laude floreres; qua iàm re effecisti, vt fermè omnes, qui in toto Septentrione, aùt politiori literatura, aùt rerum naturalium peritia celebratissimi viri degunt, te sibi amicitiæ vinculo coniungant, ac certent longinquo literarum obsequio demereri, tùm fœtus ingenij tui præstantissimos, ac vim istam animi perspicacem, qua intima quæque naturæ abdita peruadis, latebrarum cuniculos dissoluit, & si quid antiquæ sapientiæ Doctores latuit, aut fefellit, in lucem protrahis, miris sanè laudibus efferant, accõmẽdent, atque omninò fore

con-

confidant, vt tua singulari industria, & mirifico mentis, quo te natura locupletauit, acumine, tandèm aliquandò, næuis omnibus abstersis, vera philosophiæ imago appareat, tibique plurimùm eo nomine debitura sit posteritas, qui nùnc nullis sumptibus, nullis laboribus parcis, vt omnia naturæ arcana non modò acri, & defixa cogitatione vestiges, sed factis in eam rem experimentis explorare non cesses. Sed hæc hactenùs; per omnes animi tui dotes hìc iri non potest, nì velim limitibus epistolæ onerosas esse. Hos itaq; qualescumque conatus, cum intimæ venerationis sensu, in mei amoris, obseruantiæque pignus, nomini tuo præclarissimo inscripsi, idque pro virili mea parte semper studui, vt si Romani Æui elegantiam exprimere, aùt ingenij tarditas, aùt virium mearum imbecillitas prohiberet, saltèm viderer eò viribus totis, atq; animo contendisse; eaque res me plurimùm sempèr consolata fuit, quod & de numeris meis, atq; ipso poeticæ orationis contextu, si non ex iudicij acrimonia, tui saltèm ex animo in has artes propensissimo non modò honorificè censuisti, sed tu quoque quid de ijs sentires elogio ap

alios

alios prædicasti,& certè totius Italiæ iudicia semper prona expertus fui, immò plùs mihi ab illa delatum est, quàm ego homo aduena, & peregrinus essem ausus in hoc cultissimo Europæ tractu sperare. Proindè plurimùm huius terrę genio nescio quid adhùc magnum sublime, & Romanum spiranti debeo, referamque acceptũ Italiæ, & Serenissimorum Principum Hetruriæ munificentiæ, si me aliquod apud posteros nomen consequatur. Tibi verò REDI clarissimum Hetruriæ decus, qui magni illius Męcenatis ciuis tui Aretini imaginem nobis, ac animum pro viribus tuis repręsentas, ea omnia, quæ optari abs te possint, à Numine optimo maximo voueo. Vale.

Pisis quinto Nonas Maij CIↃIↃCLXVIII.

PE-

PETRI ADRIANI VANDEN BROECKE BELGÆ SYLVARVM LIBER SECVNDVS.

In quo Europa pacata, Epithalamia; Genethliacon pro Principe Hetrurię, & alia varij argumenti.

EVROPA PACATA.

Siuè occasione Pacis initæ à PHILIPPO IV. Catholico Rege, & LVDOVICO XIV. Rege Christianiss. arma in Tyrannidem Orientis, iunctis Christianę Reipublicę copijs, mouenda.

QVid gelidi latices tàm læto flumine manant?
Iãq; (licèt sæuis Aquilonibus horreat aura)
Ripa omnis fluuij myrtis felicibus halat?
Quidue Arnus glauca spoliauit arundine crinem,
Et Pandioniæ ramis deuinxit Oliua,
Deq; vrna Genitor nunc aurea flumina voluit?
Dic Nympha Alphæa interpres fidissima Diuũ
Quid moneant Superi; neque enim siuè Numine magno
Prodigia in ripis, & sacro vidimus amne.
Dùm tota Europe est sæuis obnoxia fatis,
Est diuulsa sibi, studijsque immanibus ardet;
Et gemino Odrÿsius Mauors accenditur axe,

Et

Et gemina Oceani ripa, quà Doris ab ortu,
Quà fluit occasu, sæuis aduecta carinis
Arma videt, totoque horrescere prælia ponto,
Et cæde, & solo spumantes sanguine fluctus.
Hinc seta Nemesi, serisque Britannia diris
Exstimulata furit, nàm magna apparuit vmbra
Occisi Herois, pœnasque reposcit imago.
Hinc sontes pallent, hinc iàm dementibus armis
Dirum abolere nefas optant, sceptrisque potiri
Amentes, ceù nulla sacris sint Numina regnis.
Hinc aduersa phalanx fidis mucronibus horret
Coniurata mori, ni sceptri Regia Proles
Succedat raptis, Manesque sit vlta paternos.
Dùm septem gelidi cogunt horrenda Triones
Agmina, & ancipiti stant Norica regna tumultu,
Turbatisq; animis latè manus omnis ab Arcto
Agglomerata ruit, seù qui vicina Bootæ
Plaustra vidēt seù qui concreti ad marmora pōti
Degunt, quique artus durati frigore Moscho,
Cymbrique, immanesq; Getæ, tùm Sarmatis ora,
Quiq; Albim, Tanaimq; bibūt, iā Marte Gradiuo
Collidunt acies, & rorat sanguine tellus.
Dùmque elata animis nil cedit Iberia Gallis,
Atque elata animis nil Gallia cedit Iberis.
At Rex quisq; suis horrendè fulminat armis.
Fortè Deùm Pater Ætherea sublimis ab arce
Vt Gallas acies, vt robur vidit Iberum
Iàm totiès in bella feris concurrere fatis.
Hinc Arcton bellis, hinc Albion omne tumultu
Discindi, pelagoque omni sæuire Gradiuum.
At contrà Thraces iàm tot voluentibus annis
In Venetas Arces, & Gnossia tendere regna.
Nec cuiquā Solymarū amor est, nec dia Sepulchra
Vlcisci,

Vlciſci, nèc Biſtonijs obſtare Tyrannis:
Vt iuxtà Alipedes Cœleſti aſtabat in auro
Lucida, magnanimoq; placens Pax alma Tonãti,
I mea nata, inquit, velox delabere, cunctis
Sit ſua parta quies; sàt Mauors ſanguinis hauſit,
Placati redeant æternà in fœdera Reges;
In regna Odryſia ire parent: hùc maxima præda,
Hùc quoq; fata vocant; nũ barbara perdere ſacra
Collibuit tandèm, totoque Oriente ſubacto
Gentem omnem Auſonio rursùs ſubmittere Tybri,
Auſonioque Patri, qui nùnc mea regna tuetur,
Ingenti Fabio, cui talia munia curæ.
I nata, i noſtro perſuaſi Numine Reges
Lenibus aſſueſcent animis. Communibus armis
Si tu ſola preces, iàm Thracia concidit omnis.
Sìc pater. Eoo bìs fulmine luxit Olympus,
Bìs Lybica Stella, bìs Thraciæ Luna refugit.
Illa volat; cedunt auratis obuia pennis
Nubila, iàmque Noti poſuere, nèc ampliùs vlli
Apparent nimbi, at lætis micat ignibus æthra;
Omniaque occidui Cœli gratantur eunti
Sydera, quæ Gallis, quæ prono lumine Iberis,
Quæ toti Europæ flammis felicibus ardent.
Iàmque adeò lapſu aerea tenet alta Pyrenes
Saxa ſibi gelidos illìc ſpeculata Penates,
Quà geminus limes confinia regna diremit.
Hìc Dea diuiſo dùm triſtis buccina Marte
Triſtè canit, ſæuitq; furor ſupèr vtraque regna;
Hìnc, ac hìnc baccas ſpargit frondentis Oliuæ.
Intereà denſis nox ingruit atra tenebris,
Nèc Luna Heſperium pelagus, telluſuè relucet
Ignibus vlla Poli; iàm triſti horrore ſileſcunt
Omnia, iàmque quies lenibat caſtra ſopore

Cum

Cùm magno monitu Diuùm Dea conscia fati
Bìs mille à nigro dimisit somnia curru,
Quæ placidis formis, mitiq; abscondita vultu
Inuadant acies, prostrataque corpora somno,
Sopitosque agitent sacra formidine sensus;
Ductores doceant, quæ sit sententia Diuùm,
Deberi tandèm pacatis otia rebus;
Omnibus Europam bellis absoluere fata:
Armaq; nùnc aliò in Lybia vertenda Tyrannos.
Iàm procul Iliaco coniux Aurora cubili
Exoriens primo vestibat lumine terras.
Cùm primi vigiles totis frondescere castris
Palladiæ attoniti ramos mirantur Oliuæ.
Iàmque alij è duris stratis, duraque quiete
Corripiunt artus, & adhùc horrore tenentur,
Nèc tota abscedit, quæ cuique apparuit vmbra
In somnis. Iàm Ductores, quique agmina primi
Antistant miris turbati pectora monstris
Corpora vestibant suspensi, an vera Deorum
Sopitis animis, an falsa illuxit imago.
Iàm simul egressi Diuinæ Palladis omen
Accipiunt læti, felici prælia ramo
Damnari, pacem pacata fronde reposci,
Nèc vana in somnis hausisse oracula Diuùm.
Iàmque ipsi Reges monitis Cœlestibus acti
Mitescunt animis, sæuasque inhibere phalanges
Est amor, est cæpti causas abolere Gradiui.
Tùm magna vnanimes testati Numina Diuùm
Mansura iurant æterna in fœdera pacis.
Iàmq; Arctos pacata silet, iàm Rege recepto
Optatis gaudet tranquilla Britannia fatis.
Quìn etiàm à celsis dû ducimus omnia tædis,
Regnator Rhodani, tumidi Regnator Iberi
Con-

Conuenere simul, quà nubibus alta Pyrene
Imminet, & Solem despectat in æquora labi.
Hìc nouus, eximiusq; labor sese aurea Cœlo
Attollunt tecta amborum communia Regum,
Quà thalami Augusti fiant, tantiq; Hymenæi.
Indo adamante fores, Indis stant limina gemmis
Fulgida, porticibusque sacro stant ære colossi.
Stat passim Austriacis cælatũ annalibus aurum,
Passim Borbonijs, stant inclyta corpora bello.
Hìnc Gallo Heroi Solymarum mænia cedunt.
Hìnc totum Gangem, Auroræ pulcherrima regna,
Austriades vincunt. Hìnc aurea fulget imago,
Quæ cìs Euphratem cum Gallo robore tendit,
Et nunc Cælicolas castis altaribus auget.
At teneri cultus mediæ penetralibus aulæ
Lucescunt gemmis, queis vincla iugalia curæ
Numina, queis tædæ Heroum, thalamiq; superbi.
Cælata Eois stat pronuba Iuno smaragdis,
Ceù cessura Argos, ceù Punica regna maritis,
Dotalemue Samum tædis. Laquearibus aureis
Idaliam Venerem Idalij comitantur Amores.
Hi florum nimbos, hi lutea flamea gestant.
Intereà lecti insignes bìs mille ministri
Ætate assimili, assimilique in vestibus auro
Curauere adytis omni conuiuia luxu.
Inque dapes auro fulgent, laticesque Lyæi
In solis spumant gemmis, solisque smaragdis.
Iàmque Socer Rex Hesperiæ, iàm Regia Nupta
Dotali cultu, dotalibus aurea gazis
Accubuit, iàm Rex Rhodani, iàm Socrus Iberæ,
Auratis omnes solijs, cultuque superbo.
Indè alij Heroes deducti à sanguine Regum
Accubuere thoris; stant omni ex ordine lecti

Pri-

Primores circà, queis omnis cura Lyei,
Omnis cura dapum, demiſſo poplite gemmas
Spumantes dare, ſeù fuluo diſcindere in auro,
Partirique dapes. Iàm cuncti munera libant.
Cùm ſeſe oſtendit medijs pulcherrima tectis
Cœleſti cultu, Cœleſtique ore puella
Inſignis, ſolo cui lux ſcintillat amore.
Hìc cuncti Heroes mirati Virginis ora
Obtutu pendent, caſta decus omne iuuentæ,
Oſque, habituſq; notant, tū ſacros frōde capillos
Palladia nubi, tùm grandia plectra, lyramque.
Illa ebur auratum Cœleſti pectine radit,
Intenditque fides, qualis formoſa Tonanti,
Cœlicoliſque ſolet dùm lux antiqua recurrit,
Quà magno è Cœlo, totiſque è nubibus acta
Decidit atra phalanx Stygia ſubmerſa paludi.
Tùm monitus altos ſic Dio carmine pandit.
Eſt perfecta dies, quà Thracibus vltima regnis
Finis adeſt, Lybiæ deuoluunt vltima parcæ
Stamina, nàm Lybiā nūc fata tyrannide ſoluunt
Iſmaria, ſoluunt Aſiæ quà maxima tellus
Hinc ſubit Æthiopes, hinc longè tendit ad Indos.
Nūc quoq; Myrmidones, nūc tot regnata Mycenis
Oppida priſca cadent. Thebarum rudera vinci,
Cecropiæque optant monumenta incerta ruinæ.
Quid non longa dies, quid non conſumitis anni?
Heù medijs Graijs media quæruntur Athænæ!
Ipſos Arabia lucos, Scyticaſque paludes
Reſponſis crebris Diuorum oracula terrent.
Finita imperia Oſmanidis, ſub triſtia tecta,
Arctoumque gelu, nataliaque arua repoſci
Indecores alto deiectos culmine rerum.
Nùnc etiàm omnis cùm ſacris abolēda prophanis
Relli-

Relligio Thracum est. Sic totò sanciýt axe,
Qui sancire potest, Diuùm inuiolata potestas;
Quin genti occiduæ felix parebit Idume,
Parebit Solyma, & quicquid sæuissima Thrace
Obtinuit ferro terræque, marisque subacti.
Nūc adeò accipite hæc. Sū magni nata Tonātis
Principio rerum, cum mundo educta recenti
Pax dicta à Superis, Pax à mortalibus ægris,
Quæ vos vnanimes hæc ipsa in fœdera duxi,
Quæq; Arctoa meo, quæ regna Britannica nutu
Pacaui, fessisque tuli nunc otia rebus.
At Diuùm Genitor, qui dat, qui regnaq; demit
Vos iubet Euphratem fatali euertere bello,
Et quicquid Thracū fuit, id iàm excindere ferro.
Ipse viam inueniet; vos magnis viribus ite.
Arctoi comites populi, comitesq; Britanni
Aduenient, Italæque acies, Mediceàq; classis
Assueta Ismario prædas auertere ponto.
Tùm validæ puppes Ligurum, Batauaq; carinæ
Indomitum Oceani robur; tùm Pannones ipsis
Finitimi Odrisýs regno, Illyricæque phalanges:
Præcipuè Eneadum magna Regnator ab arce,
Cui nùnc imperý sacræ librantur habenæ,
Cui sese tellus, se ianua debet Olympi,
Auxilio socias classes, opibusque iuuabit,
Quò res cùmque vocet; delectus Numine Diuùm
Hic ille est Fabius, qui Europæ restituit rem.
Me sinite instructas acies, ipsasque phalanges
Cogere, sintque Duces animis communibus acti,
Post breue Bistoniý dabo regna euersa Tyranni.
DesInIt, InqVe poLos se tota reCepIt IMago.

DO-

DORIS MEDITERRANEA

DVM SERENISSIMA VIRGO MARGARITA ALOYSIA BORBONIA SERENISSIMO COSMO PRINCIPI HETRVRIÆ NVPTA

Mari in Hetruriam vehitur, omni suarum Nereidum pompa classem prosequente, ipsa in Regia Centauro vaticinatur.

Epithalamium.

Postquàm læta quies, & pax est aurea toti
Cantata Europæ, sacroque in prælia cantu,
Excidiumque Asiæ Romana accendimus arma.
Hic ego Pegasides magni connubia COSMI
Hetruscis optata suis, optataque cunctis
Italiæ votis, tædasque, & Virginis altos
Valesiæ thalamos dicam. Si nunc quoque Vati
Annuitis, paulùm si fas Helicona relinqui,
Si Cyrrha, si Mnemosynes abscedere luco,
Nec piguit Thuscis pelagus sulcare carinis.
Fors Venus, Oceanusque pater, grandæuaque Tethys,
Oceanique Nurus, & iuxtà Nerea Doris;
Iàm pelagi Vates iuxtàque Palæmona Glaucus
Atque alij Diui, stirps & Saturnia ponti
Sub miris tectis, miris penetralibus aulæ

Annua

Annua Dictæo memores conuiuia Regi
Ducebant Cœli quondàm monumenta recepti,
Dùm gemino solus successit Iupiter axi.
Stant epulæ mensis, stratoque accumbitur ostro:
Ipsa Hiale canit ingenti pæana Tonanti,
Enceladi funus, deiectos fulmine fratres,
Seruatosque Deos, & magni limen Olympi.
Tùm molles curas, ac densos addit amores
Cœlicolum; falso seù qui Deus ardet in auro,
Seù mugit pratis Europæ saucius igni;
Aùt in Amycleas forma candente paludes
Labitur, aùt niueis Ledam circumuolat alis:
Tùm Lyparen, fabrique dolos, & lemnia viucla
Vincla mari totiès, totiès irrisa sub Astris.
Postquã blanda fames, omnisq; extincta cupido
Vescendi, pictique thori, mensæq; remota,
In virides pelagi lucos, syluasque sonantes
Omnis abit chorus, & nemora immortalia visũt,
Secretasque domos, quas soli credidit olìm
Oceano Pater, & dedit hæc recludere tecta.
Hìc saxo latices, immanique obice clausos
Mirantur Natæ, queis olìm à fonte reclusis
Continuò supèr oppositis maria omnia claustris
Vndarunt, tellusque omnis stetit obruta ponto,
Aonio Pyrrha vix salua in monte carina.
Aspiciuntque aliis, aliisque ambagibus amnes
Diduci Oceano omnes, perque volumina cæca,
Humentesque vias terrarum in viscera niti,
Donèc quisque suo de monte erumpat in auras.
Hìc prima apparet secreti fontis origo,
Quà latè erumpunt septemplicis ostia Nili.
Quà Rhodani primi latices, primique Garumnæ
Præcipites, quà mitis Arar tàm lenibus vndis
Ema-

Emanat labens, quà Sequana Regius exit,
Regum qui Gallos amplectitur amne Penates.
Vndè via vndisoni Rheni, liquidique meatus
Danubij; fuluaque sonans ruit Indus arena.
Quà patri Eridano, quà sint primordia Tybri,
Quàq; Arno, quo non alium magis Æthere ab alto
Phoebus amat, Musæque magis coluere libentes.
Talia lustrabant totis miracula syluis.
Cùm celer à Thusca tubicen Neptunius vnda
Se tulit in medios cùm tali voce recessus.
His nùnc Nereides, tuque ò Amathusia Cypri
Indulges latebris? nèc vincla iugalia curæ
Sunt tibi? nõ magni thalami, Thusciq; Hymenæi?
Non amor Augustus, non vota ingentia, non quæ
Regia Borbonio promissa à sanguine Virgo?
At Paphij infantes stirps imperiosa Deorum
Iàm volitant toto plaudentibus æquore pennis;
Ac magno à Rhodano, Gallique à littore ponti
It classis Tyrrhena mari; iàm Regia Nupta
Centauro inuehitur Thusca; iàm mille carinæ
Augustam latè puppim comitantur euntem.
Dulci letitia strepitu, dulcique tumultu
Æquoreis longè ripis caua saxa resultant:
Idalij passim sua quique in munia fratres
Diuisi tendunt. Alij regalibus hærent
Implicciti antennis, librantque insignia pennis
Corpora præcipites; alijque à vertice mali
Excubias pelagi simulant, summosq; rudentes
Vnà omnes alacri gaudent distendere nisu.
Incumbunt alij transtris; illi aurea proræ
Rostra regunt, alijque habiles felicibus Euris
Carbasa tota sinunt, puppiq; Hymenæus ab alta
Prospicit, & cursus Tyrrhena ad littora tendit.
Au-

Auditisnè Deæ? quanto clangore tubarum
Exsonuit pelagus? vox hùc illapsa remugit,
Et sacra in luco mouere cacumina quercus.
His incensæ animis natæ Oceanitides omnes
Certatìm à toto gaudent discedere luco.
Primaque Carpathijs longè super æquora conchis
Emicuit Venus æquoreo pulcherrima cultu.
Cæruleæque omnes pelago Nereides alto
Apparent, vectæ bigis spumantibus omnes,
Omnes auratis prægandia piscibus ora
Frænantes vinclis per summa vehuntur aquarũ.
Cymothoe Tyrrhena, Lygeaque, Glauconomeq;
Puniceis Melite, flauisque Arethusa capillis,
Tùm Dea Parthenope nunc dulci innoxia cantu,
Nunc placida, & nullis magis exitiosa carinis.
Tùm Clymene, tùm Nesæe, tùm Glauca Theano,
Eunomieque altis aßueta in fluctibus olìm
Vndiuagas omnes nando exsuperare sorores.
Atq; Hiale, atq; Ephyre, atq; suis educta latebris
Pulchra Thetis magno spes formidata Tonanti
Æacidæ thalamis, & partu insignis Achillei.
Tùmque sale Hetrusco nantum diuisa Deorũ
Agmina frænatis lucent per cærula monstris,
Rex etiàm pelagi faustos gratatus amores
Magnanimæ Nuptæ tèr circùm Regia rostræ
Cæruleum flexit lymphis rorantibus axem.
At Venus Idalia, & coniux Nereia Doris
Natarum sublatæ humeris è curribus ambæ
Memnonia tectis gemma, viridique smaragdo
Exscendunt alacres Augustæ in limina puppis.
Continuòque alij cantus, alijque Deorum
Nereidum plausus iàm Doride, iàmq; Dione
Centauro accepta. Paphij fulgentibus alis

Exiliunt nati, quà quisque in sedibus hæret,
Gratantes plausu Matrique, Deæque recepta.
Suptùs flexilibus conchis, lituisque canoris
Tritones placido demulcent æquora cantu.
Neù classem scopuli, neù saxa latentia fluctus
Infestent, premit alta Deas ea cura natantes.
Ipsa Cypris ventura comes terraq; marique
Ad thalamos tantis puppim Cœlestibus implet
Ambrosiæ guttis. Circà fragrantibus auris
Diffundit nubes: Tùm castæ Heroidis ignes
Iàm magis, atq; magis Tyrrheni accendit amore
Coniugis; atq; suos nuptæ Venus afflet honores;
Nì similes habeat, nì lumina pulchra iuuentæ
Idalio niteant longè formosius Astro.
Tùm magna Oceani Vates Nereia Doris
Cui fas Heroum ventura euoluere fata,
His placidè dictis felicibus ora resoluit
Salue Progenies felix, salue inclyta Virgo.
Tu decus Europæ, tuque altis Regibus orta,
Et Reges genitura altos, tu Numine grandi,
Auspicioque venis Tyrrhena capessere regna;
Sic triplices memini quondàm neuisse sorores,
Taliaque haùd vano cecinisse oracula cantu.
Quà tu cumq; fluit Tyrrhena ad littora Dori,
Læta flue, & Lybicas his fluctibus obrue naues.
Sitque Domus Tyrrhena tibi tua maxima cura,
Nàm gens hæc fatis, Diuisque electa secundes
Imperia ad magna, & magnas accitur habenas.
Tu spumare Afrum Tyrrhenis classibus æquor,
Tu pelago raptas Asiæ, Lybiaque superbas
Vectari prædas, raptiuaque corpora Thracum
Aspicies tonsis, pelagique laboribus apta
Seruari vinclis; seraque premente senecta
Na-

Nauali inualidos ad nautica munia linqui:
Barbara quanta cadēt Hetrusco victa Gradiuo
Oppida! nunc nobis Tyrrhena incendia Dori,
Nunc Galla illucent, queis olim Graia Canopus
Ardeat, & totus septeno in gurgite Nilus,
Totaque cum victo dedatur Anubide tellus,
Dedatur quodcumque Asiæ rapuere tyranni,
Stamina sic Gallis, sic Thuscis voluimus æquæ.
Quìn etiàm fato sub Dias luminis auras
Augustæ venient Tyrrhena à stirpe Puellæ
Ambæ animis altis, altaque Heroides ambæ,
Quas quondàm genitas alijs, alijsque sub annis
Optabunt Galli magna ad connubia Reges.
Has pelago accipies Dori, incolumesq; per altum
Sistes Massiliæ ripis, vbì Regius Heros,
(Nàm sua cuique dies perfectis Solibus ibit)
Tyrrhenæ Nuptæ magnis dabit aurea gemmis
Sceptra tenere manu, & populis dare iura vocatis.
Hæc ea Progenies, à qua ceù fonte perenni,
Magnorũ Heroum, magnarumq; inclyta matrũ.
Descendet series, quæ Regum sanguine creta
Non nisi magnanimosque Duces, Regesq. datura
Est toti Europæ, queis sit nil maius in armis.
Norica Sarmatiæ tellus, Tanaisque niuali
Indomitus lapsu Tyrrhena stirpe creatos
Accipiet Rhodani Reges. Quìn æquore toto
Hac etiàm natos diuisa Britannia Reges
Accipiet; natos hac magna Hispania Reges.
Sint longæ ambages, si fata hìc omnia Dori
Persequar. Ast vna est Augusti filia Regni
Borbonis, & magno Tyrrhenùm à sanguine ducta
Augusto Cosmo thalamis, tædisque iuganda.
Hanc Dea cærulei cui se placidissima ponti

Substernit latè facies, hanc omnibus vndis,
Omnibus obsequijs pelagi, densisque tuarum
Nereidum choreis olim accepisse memento.
Hæc illa est magnis promissa Aloysia fatis.
Da manibus plenis tu prima Hetruria natæ
Lilia, tu flores, tu tantam Heroida Regnis
Infer læta tuis supèr altæ mœnia Flora.
Tunc magìs augescent felicibus otia rebus,
Tyrrhenis tunc alma quies, tunc prisca redibit
Quæ melior fluxit priscis mortalibus ætas.
Hactenùs vnanimi nutu, vnanimiq; labore
Stamina ducta semèl veris euentibus implent
Fatidicæ Parcæ. Sed tu Valesia Virgo,
Seù thalami monumenta tui, seù pignus amoris
Mauis esse mei, quas toto legimus Indo
Has centum ingenti Smaragdos fulgore micantes
Læta tene, totidemque nouo sub gurgite ponti
Inuentas alijs radijs, alijsque nitentes
Prodigijs gemmas. Simùl hoc memorabile textũ
Regia Nupta cape. Hìc robur fatale tuorum,
Tyrrhenumque vides, animoso hæc neuit in auro
Prælia Cymothoe: viden? omnis Thracia pallet;
Bistoniæque cadunt Gallo Mauorte phalanges.
Stant sociæ Tyrrhenæ acies, & clade suprema
Omnis latè Oriens fatalibus occidit armis;
Threyciaquè latènt extincta insignia Lunæ:
Hæc quoquè quæ gessit baccata monilia Thetys
Indue, nàm pelagi non es minor ipsa Deabus.
Hæc ait, & placidis Dea læta immergitur vndis.

GE-

GENETHLIACON.

Siuè in Regio Natali
SERENISSIMI PRINCIPIS,
COSMI,
ET
MARGARITÆ ALOYSIÆ BORBONIÆ
Serenissimorum Principum Hetruriæ
Filij Primogeniti, vaticinia Parcarum.

Cum breui Serenissimæ Domus Tyrrhenæ
Elogio.

EVenit. Magnis stat fulta Hetruria Diuis,
Stat Tyrrhena Domus, nullisq; obnoxia Fatis
Seù solium, seù sceptra manent, sua Regibus vsq;
Progenies stabit, seriesque Augusta sequetur
Dùm pelagus lymphas, dũ ducet sydera Cœlum.
Talia voluentes, oritur dùm Regia proles,
Gratatum vnanimes mediæ penetralibus Aulæ
Venimus hùc Parcæ. Tu Galli filia regni
Borbonis Hetruscis ingens lux addita rebus,
Sis genito felix Augusta Aloysia Rege.
Tuque etiàm ingenti deducta à sanguine Regum
Hìc Socrus salue, vitrei tu prima Metaurì
Gloria, te tota Ausoniæ pulcherrima tellus,
Et Tagus Hesperiæ, Rhodanique, Albisq; fluenta
Suspiciunt Thusci Diuinam Heroida regni.
Hìc decus Italiæ sceptri spes altera Cosme,
Nec non ò Socer Heroum, tu maxime Ferrans,
Qui magnos Reges magnis par Regibus ipse

Tùm priſcis addit venabula picta figuris.
Hìc fontem Diua, verſoque Act-ona vultu
Spectes; ſetigeroſque Erimanthi à montibus apros
Horreſcas ruere, & vaſtam ſtragem edere ſyluis.
Iàm nobis ſtrepitus luco, clangorque tubarum
Inſonuit, valleſque Arni, rip:que reſultant.
Iãq; Lacon, ac Thuſcus Hylax, Vmberq; Melãpus
Exagitant totis armenta fugacia ſyluis.
Præcipitique fuga dant terga volucria Damæ,
Dant Capreæ; læto ſequitur clamore Iuuentus
Telaq; denſa iacit: medijs ſed vallibus ardens
Tyrrhenus Puer ipſe dari de monte Leonem
Optat, & ingenti prædæ ſolùm imminet haſta,
Imminet acer Equo; ſetiſque immanibus Aprum
Aduersùm ſternit telo ipſa ſub ilia fixo:
Omen Virtuti ſi quandò fulminat armis,
Hæc Thraces norint inuicta robora dextræ.
At Rex aſtrorum iàm fata Auguſta ſecundat,
Iàm toto amplexus cunabula regia Cœlo
Tutari gaudet, nàm bino à littore ponti,
A bino Heroem quà circumuoluitur axe
Scit clarum fore, qui magnis ad Sydera factis
Se ferat, & nomen ſummis cum Regibus æquet.
Atque adeò ſacrum thalami teſtatus honorem
Cynthius Eoo dùm vix Pallantias igni
Splenduit, ipſe nouo Nabathæa à Doride curru
Exoritur, ſparſiſque nouis in crine Smaragdis,
Luce noua, radijſq; noua fragrantibus aura
Attonitis Indis per Memnonis arua refulſit.
Iàmque truces radios, ac ſontes exuit ignes
Saturni Sydus, nèc quicquàm triſte minatur;
At miti facie, mitique innoxia vultu
Ire ſenex ſua ſigna iubet; flammiſque ſecundis

Non

Non nisi magnanimæ faustum lucescere Proli.
Quid Iouis Æthereos ignes, quid magna moramur
Sydera? collucent felicibus omnia flammis
Herois, felixque aderit sua tempore Virtus.
Hac modò Chrisolitis, hac cernite fulua Pyropis
Memnonys texta, & propiùs consistite Reges,
Dùm nos fatalem sacrato murice telam,
Et densum signis hic latè euoluimus aurum.
Est labor, est ingens ingenti à Pallade munus.
Nàmq; olìm Dea Cæcropias cũ sciret Athenas,
Et latè Danaum fines, latè omnia regna,
Thebasq; Inachiumq; Argos, magnasq; Mycenas,
Nestoreamque Pylon Geticis casura sub armis.
Nèc sacras artes, aùt fandi munia victis
Mansura in Graiis; at Virtus langueat omnis
Nèc iàm animos coluisse iuuet, dulcisuè cupido,
Aùt pulchra in laudes sit cura accendere pectus,
At Cyrrham, Phocimque Asia seruire Tyrannis;
Extorresque actas iàm terris omnibus ire
Pegasides nulla sede, hospitioque receptas.
Exardens luctu tèr regna in barbara Thracum
Gorgoneos Angues, tèr sustulit ægida Virgo,
Tèr fatale caput, Lybiaque extrema minatur
Excidia, & ferro diros abolere Penates.
At Tyrrhena Domus postquàm iàm Numine magno
Acta Deùm, celsoque animos accensa decore
Aonides omnes à tristi errore recepit,
Et lare sub proprio Regni, tectisque superbis
Acciuit profugas, ac Thusca sede locauit.
Præterea lucos, sacrisque sonantia lymphis
Auia tesqua, nemusq; nouum, noua Phocidis arua

DORIS MEDITERRANEA

DVM SERENISSIMA VIRGO MARGARITA ALOYSIA BORBONIA SERENISSIMO COSMO PRINCIPI HETRVRIÆ NVPTA

Mari in Hetruriam vehitur, omni suarum Nereidum pompa classem prosequente, ipsa in Regia Centauro vaticinatur.

Epithalamium.

Postquàm læta quies, & pax est aurea toti
Cantata Europæ, sacroque in prælia cantu,
Excidiumque Asiæ Romana accendimus arma.
Hìc ego Pegasides magni connubia COSMI
Hetruscis optata suis, optataque cunctis
Italiæ votis, tædasque, & Virginis altos
Valesiæ thalamos dicam. Si nunc quoque Vati
Annuitis, paulùm si fas Helicona relinqui,
Si Cyrrha, si Mnemosynes abscedere luco,
Nec piguit Thuscis pelagus sulcare carinis.
Fors Venus, Oceanusque pater, grandæuaque Tethys,
Oceanique Nurus, & iuxtà Nerea Doris;
Iàm pelagi Vates iuxtàque Palæmona Glaucus
Atque alij Diui, stirps & Saturnia ponti
Sub miris tectis, miris penetralibus aulæ

Annua

Annua Dictæo memores conuiuia Regi
Ducebant Cœli quondàm monumenta recepti,
Dùm gemino solus successit Iupiter axi.
Stant epulæ mensis, stratoque accumbitur ostro.
Ipsa Hiale canit ingenti pæana Tonanti,
Enceladi funus, deiectos fulmine fratres,
Seruatosque Deos, & magni limen Olympi.
Tùm molles curas, ac densos addit amores
Cœlicolum; falso seù qui Deus ardet in auro,
Seù mugit pratis Europæ saucius igni;
Aùt in Amycleas forma candente paludes
Labitur, aùt niueis Ledam circumuolat alis:
Tùm Lyparen, fabrique dolos, & lemnia vincla
Vincla mari totiès, totiès irrisa sub Astris.
Postquã blanda fames, omnisq; extincta cupido
Vescendi, pictique thori, mensæq; remotæ,
In virides pelagi lucos, syluasque sonantes
Omnis abit chorus, & nemora immortalia visũt,
Secretasque domos, quas soli credidit olìm
Oceano Pater, & dedit hæc recludere tecta.
Hìc saxo latices, immanique obice clausos
Mirantur Natæ, queis olìm à fonte reclusis
Continuò supèr oppositis maria omnia claustris
Vndarunt, tellusque omnis stetit obruta ponto,
Aonio Pyrrhæ vix salua in monte carina.
Aspiciuntque aliis, aliisque ambagibus amnes
Diduci Oceano omnes, perque volumina cæca,
Humentesque vias terrarum in viscera niti,
Donèc quisque suo de monte erumpat in auras.
Hìc prima apparet secreti fontis origo,
Quà latè erumpunt septemplicis ostia Nili.
Quà Rhodani primi latices, primique Garumnæ
Præcipites, quà mitis Arar tàm lenibus vndis

Ema-

Emanat labens, quà Sequana Regius exit,
Regum qui Gallos amplectitur amne Penates.
Vndè via vndisoni Rheni, liquidique meatus
Danubij; fuluaque sonans ruit Indus arena.
Quà patri Eridano, quà sint primordia Tybri,
Quàq; Arne, quo non alium magis Æthere ab alto
Phoebus amat, Musæque magis coluere libentes.
Talia lustrabant totis miracula syluis.
Cùm celer à Thusca tubicen Neptunius vnda
Se tulit in medios cùm tali voce recessus.
His nùnc Nereides, tuque ò Amathusia Cypri
Indulges latebris? nèc vincla iugalia cura
Sunt tibi? nō magni thalami, Thusciq; Hymenæi?
Non amor Augustus, non vota ingentia, non quæ
Regia Borbonio promissa à sanguine Virgo?
At Paphij infantes stirps imperiosa Deorum
Iàm volitant toto plaudentibus æquore pennis;
Ac magno à Rhodano, Gallique à littore ponti
It classis Tyrrhena mari; iàm Regia Nupta
Centauro inuehitur Thusca; iàm mille carinæ
Augustam latè puppim comitantur euntem.
Dulci letitiæ strepitu, dulcique tumultu
Æquoreis longè ripis caua saxa resultant:
Idalij passim sua quique in munia fratres
Diuisi tendunt. Alij regalibus hærent
Implicitì antennis, librantque insignia pennis
Corpora præcipites; aliique à vertice mali
Excubias pelagi simulant, summosq; rudentes
Vnà omnes alacri gaudent distendere nisu.
Incumbunt alij transtris; illi aurea proræ
Rostra regunt, aliique habiles felicibus Euris
Carbasa tota sinunt, puppiq; Hymenæus ab alta
Prospicit, & cursus Tyrrhena ad littora tendit.

Au-

Auditiſnè Deæ? quanto clangore tubarum
Exſonuit pelagus? vox hùc illapſa remugit,
Et ſacra in luco mouere cacumina quercus.
His incenſæ animis natæ Oceanitides omnes
Certatìm à toto gaudent diſcedere luco.
Primaque Carpathijs longè ſuper æquora conchis
Emicuit Venus æquoreo pulcherrima cultu.
Cæruleæque omnes pelago Nereides alto
Apparent, vectæ bigis ſpumantibus omnes,
Omnes auratis prægandia piſcibus ora
Frænantes vinclis per ſumma vehuntur aquarū.
Cymothoe Tyrrhena, Lygeaque, Glauconomeq;
Puniceis Melite, flauiſque Arethuſa capillis,
Tùm Dea Parthenope nunc dulci innoxia cantu,
Nunc placida, & nullis magis exitioſa carinis.
Tùm Clymene, tùm Neſæe, tùm Glauca Theano,
Eunomieque altis aſſueta in fluctibus olìm
Vndiuagas omnes nando exſuperare ſorores.
Atq; Hiale, atq; Ephyre, atq; ſuis educta latebris
Pulchra Thetis magno ſpes formidata Tonanti
Æacidæ thalamis, & partu inſignis Achillei.
Tùmque ſale Hetruſco nantum diuiſa Deorū
Agmina frænatis lucent per cærula monſtris,
Rex etiàm pelagi fauſtos gratatus amores
Magnanimæ Nuptæ tèr circùm Regia roſtræ
Cæruleum flexit lymphis rorantibus axem.
At Venus Idalia, & coniux Nereia Doris
Natarum ſublata humeris è curribus ambæ
Memnonia tectis gemma, viridique ſmaragdo
Exſcendunt alacres Auguſtæ in limina puppis.
Continuòque alij cantus, alijque Deorum
Nereidum plauſus iàm Doride, iàmq; Dione
Centauro accepta. Paphij fulgentibus alis

Exiliunt nati, quà quisque in sedibus hæret,
Gratantes plausu Matrique, Deæque recepta.
Suptùs flexilibus conchis, lituisque canoris
Tritones placido demulcent æquora cantu.
Neù classem scopuli, neù saxa latentia fluctu
Infestent, premit alta Deas ea cura natantes.
Ipsa Cypris ventura comes terraq; marique
Ad thalamos tantis puppim Cœlestibus implet
Ambrosia guttis. Circà fragrantibus auris
Diffundit nubes: Tùm castæ Heroidis ignes
Iàm magis, atq; magis Tyrrheni accendit amore
Coniugis; atq; suos nuptæ Venus afflet honores;
Nì similes habeat, nì lumina pulchra iuuentæ
Idalio niteant longè formosius Astro.
Tùm magna Oceani Vates Nereia Doris
Cui fas Heroum ventura euoluere fata,
His placidè dictis felicibus ora resoluit
Salue Progenies felix, salue inclyta Virgo.
Tu decus Europæ, tuque altis Regibus orta,
Et Reges genitura altos, tu Numine grandi,
Auspicioque venis Tyrrhena capessere regna;
Sic triplices memini quondàm neuisse sorores,
Taliaque haùd vano cecinisse oracula cantu.
Quà tu cumq; fluit Tyrrhena ad littora Dori,
Læta flue, & Lybicas his fluctibus obrue naues.
Sitque Domus Tyrrhena tibi tua maxima cura,
Nàm gens hæc fatis, Diuisque electa secundes
Imperia ad magna, & magnas accitur habenas.
Tu spumare Afrum Tyrrhenis classibus æquor,
Tu pelago raptas Asiæ, Lybiaque superbas
Vectari prædas, raptiuaque corpora Thracum
Aspicies tonsis, pelagique laboribus apta
Seruari vinclis; seraque premente senecta
Na-

Nauali inualidos ad nautica munia linqui:
Barbara quanta cadẽt Hetrusco victa Gradiuo
Oppida! nunc nobis Tyrrhena incendia Dori,
Nunc Galla illucent, queis olìm Graia Canopus
Ardeat, & totus septeno in gurgite Nilus,
Totaque cum victo dedatur Anubide tellus,
Dedatur quodcumque Asiæ rapuere tyranni,
Stamina sic Gallis, sic Thuscis volvimus æqua.
Quìn etiàm fato sub Dias luminis auras
Augustæ venient Tyrrhena à stirpe Puellæ
Ambæ animis altis, altæque Heroides ambæ,
Quas quondàm genitas alijs, alijsque sub annis
Optabunt Galli magna ad connubia Reges.
Has pelago accipies Dori, incolumesq; per altum
Sistes Massiliæ ripis, vbì Regius Heros,
(Nàm sua cuique dies perfectis Solibus ibit)
Tyrrhenæ Nuptæ magnis dabit aurea gemmis
Sceptra tenere manu, & populis dare iura vocatis.
Hæc ea Progenies, à qua ceù fonte perenni,
Magnorũ Heroum, magnarumq; inclyta matrũ.
Descendet series, quæ Regum sanguine creta
Non nisi magnanimosque Duces, Regesq. datura
Est toti Europæ, queis sit nil maius in armis.
Norica Sarmatiæ tellus, Tanaisque niuali
Indomitus lapsu Tyrrhena stirpe creatos
Accipiet Rhodani Reges. Quìn æquore toto
Hac etiàm natos diuisa Britannia Reges
Accipiet; natos hac magna Hispania Reges.
Sint longæ ambages, si fata hìc omnia Dori
Persequar. Ast vna est Augusti filia Regni
Borbonis, & magno Tyrrhenùm à sanguine ducta
Augusto Cosmo thalamis, tædisque iuganda.
Hanc Dea cærulei cui se placidissima ponti

Subſternit latè facies, hanc omnibus vndis,
Omnibus obſequijs pelagi, denſiſque tuarum
Nereidum choreis olim accepiſſe memento.
Hæc illa eſt magnis promiſſa Aloyſia fatis.
Da manibus plenis tu prima Hetruria nata
Lilia, tu flores, tu tantam Heroida Regnis
Infer læta tuis supèr altæ mænia Flora.
Tunc magìs augeſcent felicibus otia rebus,
Tyrrhenis tunc alma quies, tunc priſca redibit
Quæ melior fluxit priſcis mortalibus ætas.
Hactenùs vnanimi nutu, vnanimiq; labore
Stamina ducta ſemèl veris euentibus implent
Fatidicæ Parcæ. Sed tu Valeſia Virgo,
Seù thalami monumenta tui, ſeù pignus amoris
Mauis eſſe mei, quas toto legimus Indo
Has centum ingenti Smaragdos fulgore micantes
Læta tene, totidemque nouo ſub gurgite ponti
Inuentas alijs radijs, alijſque nitentes
Prodigijs gemmas. Simùl hoc memorabile textũ
Regia Nupta cape. Hìc robur fatale tuorum,
Tyrrhenumque vides, animoſo hac neuit in auro
Prælia Cymothoe: viden? omnis Thracia pallet;
Biſtoniæque cadunt Gallo Mauorte phalanges.
Stant ſociæ Tyrrhenæ acies, & clade ſuprema
Omnis latè Oriens fatalibus occidit armis;
Threyciaquè latent extincta inſignia Lunæ:
Hæc quoquè quæ geſſit baccata monilia Thetys
Indue, nàm pelagi non es minor ipſa Deabus.
Hæc ait, & placidis Dea læta immergitur vndis.

GE-

GENETHLIACON.

Siuè in Regio Natali
SERENISSIMI PRINCIPIS,
COSMI,
ET
MARGARITÆ ALOYSIÆ BORBONIÆ
Serenissimorum Principum Hetruriæ
Filij Primogeniti, vaticinia Parcarum.

Cum breui Serenissimæ Domus Tyrrhenæ
Elogio.

EVenit. Magnis stat fulta Hetruria Diuis,
Stat Tyrrhena Domus, nullisq; obnoxia Fatis
Seù solium, seù sceptra manent, sua Regibus vsq;
Progenies stabit, seriesque Augusta sequetur
Dùm pelagus lymphas, dũ ducet sydera Cœlum.
Talia voluentes, oritur dùm Regia proles,
Gratatum vnanimes mediæ penetralibus Aulæ
Venimus huc Parcæ. Tu Galli filia regni
Borbonis Hetruscis ingens lux addita rebus,
Sis genito felix Augusta Aloysia Rege.
Tuque etiàm ingenti deducta à sanguine Regum
Hìc Socrus salue, vitrei tu prima Metauri
Gloria, te tota Ausoniæ pulcherrima tellus,
Et Tagus Hesperiæ, Rhodanique, Albisq; fluenta
Suspiciunt Thusci Diuinam Heroida regni.
Hìc decus Italiæ sceptri spes altera Cosme,
Nec non ò Socer Heroum, tu maxime Ferrans,
Qui magnos Reges magnis par Regibus ipse

Concilias, qui nunc pacando consulis Orbi,
Adsitis dulci Nato, dulcique Nepoti,
Hinc Auus, hinc Genitor, spesq; hic ediscite vestras
Nos quandò vnanimes Augustæ limina vitæ
Ordimur Proli, venturaque fata mouemus.
Hancnè colũ, Heroes, gẽmisq; auroq; micantem
Aspicitis? rutilis hæc stamina vincta smaragdis?
Et lanæ decus, & fulua vertigine fusos?
Hac Pylio Regio toties celebrata iuuenta
Ducta colo fuit, hac culti deuoluimus æui
Canitiem, licuitque obitus protendere lethi,
Et tria dilatis eludere sæcula fusis.
Hæc nunc ipsa colus Tyrrhenæ est debita Proli,
Neri eadem debet, qua Nestora neuimus, ætas,
Ergò eadem lentis adducimus aurea fusis
Stamina, Cœlicolæque, & conscia Numina fati
Assistunt propiùs, sacroque intenta labori
Lumina fixa tenent, dùm licia ducimus æui,
Et sonat, & tremulis micat aurea lana fauillis.
En sacras vires hùc totus sufficit Æther.
Regia Borboniis quæ lucent ignibus Astra,
Et quæ Tyrrhenis latè fulgoribus ardent
Sydera, quæque Ioui sua lucida signa coronant,
Hùc mixtis radiis, mixtisque vigoribus vnà
Communem sudant Augusta in Prole laborem.
Iàm pulchros artus, sensusq; animosq; ministrant.
Vt virtus Heroa ardens iàm viuida vultu
Apparet! rursusq; sacra sub imagine Reges
Elucent Ataui, quondàm qui Thusca fluenta,
Qui Rhodani magno frenarunt flumina nutu,
Quique Tagum, qui Danubii latissima regna!
Vt prona affulgent gemino currentia Cœlo
Sydera, queis Arni placuit, queis Tybridis vnda!

Pri-

Primus Atlantiades toto Cyllenius Astro
Aspirans soboli dat regia munia cultus
Omnia, datque suas vno omnes ordine dotes,
Et rerum, & cæcas Naturæ euoluere causas,
Atq; soli, pelagiq; vias, atque Æthera nosse
Ingentem, propiusq; alto sua sydera Cœlo
Discere; tùm celsas animum coluiße per artes.
Seù qui conuentus summis de rebus habendi
Nusquã aberit mens ipsa vigil, mẽs prouida rerũ.
Hinc populis, sceptrisque quies secura manebit.
Ipsa quoquè emicuit læto Stella Ismaris igni,
Et nunc à Rhodope, gelidisque à rupibus Hæmi
Auertit Sydus, nèc Strymonis ampliùs arua,
Nèc latices Hæbri, seù magni curat Orontis
Flumina, seù Nomadũ puppes, aùt Thracia regna.
At Thusco Heroi quondàm voluentibus annis
Et vires, & fausta sui dabit arma Gradiui.
Iàmque decus Cœli formosior omnibus vna
Ignibus hùc totas Amathusia flectit habenas,
Hùc currus, hùc Idalium pulcherrima Sydus,
Hìc Proli Augustæ Dea tota illabitur, & iàm
Ipsa genis addit rarum iubar, ipsa decorem
Cœlestis formæ, primosque aspirat honores.
Post decus Heroum, dùm iusta adoleuerit ætas,
Paulatìm crescet post ora Augusta iuuentæ,
Et patria in toto maiestas plurima vultu.
Quìn etiàm toto delabitur aurea Cœlo
Cynthia, iàm nobis Tyrrhena per auia tendit,
Iàm syluas petit, & Lycijs incincta pharetris
It puero dilecta comes; iàm retia Nymphæ
Et latè caßes vmbrosa indagine tendunt;
Ast ipsa Heroi cedit sua spicula Virgo,
Cedit Mænalios arcus, volucresque sagittas.

 Tùm

Tùm priſcis addit venabula picta figuris.
Hìc fontem Diua, verſoque Act-ona vultu
Spectes; ſetigeroſque Erimanthi à montibus apros
Horreſcas ruere, & vaſtam ſtragem edere ſyluis.
Iàm nobis ſtrepitus luco, clangorque tubarum
Inſonuit, valleſque Arni, ripæque reſultant.
Iãq; Lacon, ac Thuſcus Hylax, Vmberq; Melãpus
Exagitant totis armenta fugacia ſyluis.
Præcipitique fuga dant terga volucria Damæ,
Dant Capreæ; læto ſequitur clamore Iuuentus
Telaq; denſa iacit: medijs ſed vallibus ardens
Tyrrhenus Puer ipſe dari de monte Leonem
Optat, & ingenti prædæ ſolùm imminet haſta,
Imminet acer Equo; ſetiſque immanibus Aprum
Aduersùm ſternit telo ipſa ſub ilia fixo:
Omen Virtuti ſi quandò fulminat armis,
Hæc Thraces norint inuicta robora dextræ.
At Rex aſtrorum iàm fata Auguſta ſecundat,
Iàm toto amplexus cunabula regia Cœlo
Tutari gaudet, nàm bino à littore ponti,
A bino Heroem quà circumuoluitur axe
Scit clarum fore, qui magnis ad Sydera factis
Se ferat, & nomen ſummis cum Regibus æquet.
Atque adeò ſacrum thalami teſtatus honorem
Cynthius Eoo dùm vix Pallantias igni
Splenduit, ipſe nouo Nabathæa à Doride curru
Exoritur, ſparſiſque nouis in crine Smaragdis,
Luce noua, radijſq; noua fragrantibus aura
Attonitis Indis per Memnonis arua refulſit.
Iàmque truces radios, ac ſontes exuit ignes
Saturni Sydus, nèc quicquàm triſte minatur;
At miti facie, mitique innoxia vultu
Ire ſenex ſua ſigna iubet; flammiſque ſecundis
Non

Non nisi magnanimæ faustum lucescere Proli.
Quid Iouis Æthereos ignes, quid magna moramur
Sydera? collucent felicibus omnia flammis
Herois, felixque aderit sua tempore Virtus.
Hac modò Chrisolitis, hac cernite fulua Pyropis
Memnonys texta, & propiùs consistite Reges,
Dùm nos fatalem sacrato murice telam,
Et densum signis hic latè euoluimus aurum.
Est labor, est ingens ingenti à Pallade munus.
Nàmq; olìm Dea Cecropias cũ sciret Athenas,
Et latè Danaum fines, latè omnia regna,
Thebasq; Inachiumq; Argos, magnasq; Mycenas,
Nestoreamque Pylon Geticis casura sub armis.
Nèc sacras artes, aùt fandi munia victis
Mansura in Graiis; at Virtus langueat omnis
Nèc iàm animos coluisse iuuet, dulcisuè cupido,
Aùt pulchra in laudes sit cura accendere pectus,
At Cyrrham, Phocimque Asia seruire Tyrannis;
Extorresque actas iàm terris omnibus ire
Pegasides nulla sede, hospitioque receptas.
Exardens luctu tèr regna in barbara Thracum
Gorgoneos Angues, tèr sustulit ægida Virgo,
Tèr fatale caput, Lybiaque extrema minatur
Excidia, & ferro diros abolere Penates.
At Tyrrhena Domus postquàm iàm Numine magno
Acta Deùm, celsoque animos accensa decore
Aonides omnes à tristi errore recepit,
Et lare sub proprio Regni, tectisque superbis
Acciuit profugas, ac Thusca sede locauit.
Prætereà lucos, sacrisque sonantia lymphis
Auia tesqua, nemusq; nouum, noua Phocidis arua

Addidit, atq; nouis plaudēdum Helicona choreis.
Non modò iàm tristes posuit Tritonia luctus,
Et caras fuit incolumes lætata sorores,
Prò laude at tali, tanto prò munere facti
Hæc Pallas vobis, venturi haùd inscia Pallas,
Fatali quondàm neuit monumenta labore.
Hìc omnes Reges, omnis Tyrrhena propago
Cecropÿs gemmis, & Iaspide fulget Achiua.
Ipsis sub baccis, & adhùc spirare sub auro
Lumina viua putes. Stat prima ab origine gentis
Magnanima Heroum series, queis viuida vultu
Maiestas, sacraque ardet sub imagine robur.
Tùm qui res Italas armis, & Marte secundo
Tutati Heroes. Spectes hìc horrida bella,
Arctoæ cladem gentis, Thuscosque triumphos.
Hìnc Tyrrhenus ouat signis victricibus Heros.
Ast hìnc eluuies Arcti, Shcyticæque phalanges,
Armisonique Getæ magna sub mænia Floræ
Victi Marte cadunt horrenda strage per agros.
Hìc Arnum Getico spectes manare cruore,
Ac rursùm totis cumulata cadauera ripis,
Rursùm stare Amnem, nèc volui funera fluctu.
Hìc omnes prædas, magnoque ex hoste trophea,
Et fixa ad Thuscos Aquiloniæ signa Penates.
Tùm Proceres alti, trabeaque, ostroq; micanti,
Elucent, omnes ramo pacalis Oliuæ
Velati crinem, Patriæ quibus ardua moles,
Incubuitque labor, summisque in rebus habena.
Stat celsa effigies Cosmi, cui viuida lætis
Maiestas oculis, ac mens interrita fatis.
Hunc viden? vt toto complectitur Hadria ponto!
Vt pelagique, Vrbisque altis Primoribus addit!
Et Patriæ dixit tellus Hetrusca Parentem!

Quo

Quo cœtu in medio (formoſa vt lumina Cœli
Exſuperat radijs Cynthj formoſius Aſtrum;
Aùt Phœbe præſtat nocturnis ignibus Æthræ.)
Effulget magè Tyrrheni Laurentis imago,
Laurentis, cui nulla parem tulit, aùt dabit ætas
Heroa, ingentes animos qui laude togata,
Qui pectus cultu, aùt mentem sìc dotibus æquet.
Olli namque Viro ſe ſpontè Hetruria tota,
Se ſpontè ad nutus latè Auſonis ora parabat;
Omnis & Europe ſi quandò exercita fatis
Bellorum, Europe Laurentem Heroa petebat,
Hoc ſolo à nutu, ſolo pendebat ab ore
Certa ſequi quæcumque Heros meliora probaret,
Seù Mars, ſeù poſito ſit pax ſumenda Gradiuo.
En hìc Tarpea Regnator Filius Arce
Prò magnis Superis, magno gerit alta Tonante
Sceptra Leo, latèquè olli ſe maximus Æther
Subdit, ſe gemino tellus diffuſa ſub axe;
Ad nutus Styx tota tremit, tremit omnis Auernus,
Et pauidi fugiunt ſub noxia tartara Manes.
Seù quà Heros graditur, ſeù quà veſtigia flectit,
It tranquilla quies, it felix copia rerum,
It latebris educta ſuis pulcherrima Virtus
Iàm meritis ſpectata ſuis, & nobilis auro;
At latus Aonidum ſtipat chorus omnis, & omnis
Lecta manus Vatum, ſacriſque Heroa Camænis
Vnanimi tollit ſuper ignea Sydera laude.
Certatìm egregias dotes, ac regia dona
Euehit, & moles, & quæ monumenta reliquit,
Aùt Tyberi decus, aùt Cœleſtibus edita Diuis,
Aſcribit magnis certatìm annalibus æui,
Et memori condit facta immortalia cantu.
Nunc geminas acies hùc Coſmo aduertite Regi.

Vt summa armipotens cura, miroque labore
Heroa ingenti radiantem effinxit in auro!
Ipsos Cœlicolas gemmata è nube coruscos
Extulit hìc Pallas, monitis qui grandibus omnes
Auspicijsq; vocent Sceptra ad pulcherrima Cosmũ,
Qui solium iubeant, ac Thusca capessere regna.
En bello victas altis cum mœnibus arces
Egregiasque Vrbes magno Mauorte subactas,
Quas sub nutu omnes, placidisq; accepit habenis.
Tum magnas operum moles, monumenta superba
Addidit. Hinc Labeone, & Thusco innare profũdo
Æquoreas Arces, pilarum hinc aggere vasto,
Vastis aggeribus muri, vasto obice ponti
Frangi æstus omnes, pelagoque furente procellas
Elidi ad cautes, & saxa immania rumpi
Aspectes. Refugium spumis albentibus æquor
Nequicquàm gemit, & tota furit Africus vnda.
Est portu secura quies, statioque carinis.
Hinc Equitum robur victrici classe per altum
Aspicias toto distendere carbasa ponto;
Seù quà deleta proptèr Carthaginis arces
Relliquiæ Pœnum diros tenuere Penates
Diraque regna mari; seù quà Maurisia Doris
Occiduum Lybicis admittit Nerea lymphis.
Vt victæ Nomadum submittunt carbasa puppes,
Vectanturque Afræ Getulo à littore prædæ!
Hìc geminæ Matres Tyrrhena à stirpe relucẽt,
Augustæ Matres, tædisque iugalibus ambæ
Insignes Regum, quæ Galli maxima Regni
Sceptra tenent ambæ, quæ natis Regibus omnem
Europã implent, quæq; Genus super Æthera tollũt.
Ast hìc magnanimus cunctis Heroibus Heros
It maior Ferrans. En alta vt fulget imago!

Has

Has res ingentes, ac grandia discite facta.
Hic sua Cœlitibus delubra, eductaque Cælo
Aurea templa micant; hic acta à littore Thracũ
Omnis præda iacet; Thuscis hic ignibus Arces
Deflagrant mauræ; it Getula per oppida terror.
Stant ripis Lybicæ matres, Lybicæque puellæ
Seruitio lectæ, studijs, calatisque Mineruæ
Assuetæ Mauris euoluere licia fusis.
Stat circà Pubes omnis, nigraque iuuenta
Præstantes pueri, præstanti robore Mauri.
Longa omnes serie, longo per littora planctu
Vndisonum tristi prospectant lumine pontum,
Victricesque rates, quas debita præda morantur.
Omnia persequimur, textumq; euoluimus omne?
Sit longus labor, & viuo spirantia vultu
Ipsa hic ora Patrum, coràmque ingentia facta
Aspectare oculis vos vsquè, ac vsquè potestis.
Hoc solum pelagus, sola hæc Neptunia regna
Aspicite, hæc toto quondàm clarissima ponto
Est Rhodus; hãc Thracũ nũc fata tyrãnide soluũt,
Tyrrhenoque capi dant littora tanta Gradiuo.
Tu puer Ismarium robur, tu mille carinas
Nè metue, aùt tectos milleno remige fluctus.
Iàm nos cognatas à Gallo Rege phalanges,
Iàmque Caledonias puppes, iàm Cæsaris arma,
Hesperiasque acies cum Thusco tendere Marte
Cernimus. Hoc grandi casura est Insula bello;
Casura est Asia, Lybiæque superba Tyrannis;
Et tandèm Thrace versis gemet impia fatis.
Sic omnes Superi, sic totus sancijt Æther.
Hæc Parca, medijque simùl penetralia tecti
Mortalesque simùl visus, simùl ora relinquunt;
AC sese In tenVes nVbes Longè abDIt IMago.

AV-

AVRORA

IN NVPTIIS INVICTISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS LEOPOLDI PRIMI, ET AVGVSTÆ VIRGINIS MARGARITÆ MARIÆ AVSTRIACÆ INFANTIS HISPANIARVM,

Domui Austriacæ gloriosa incrementa prædicit.

Epithalamium.

HAcTenùs Eridani, seù molli in Tybridis vmbra,
Seù ripis Arni magnæ tentauimus Ethræ
Cælicolas cantu; magnorum & fœdera Regum
Aoniæ ramis præcingere iuuit Oliuæ;
Iuuit & æquoreas cum glauca Doride Nymphas,
Nereidesque omnes Thusci ad connubia Regis,
Borboniasque faces è toto ducere ponto.
Nūc vocat Austriadū tumidus Regnator aquarū
Danubius, flauas qui toto è gurgite natas
Seù quà primùm oritur, seù quà per Norica regna
Vastus abit, Geticique sonans subit ostia ponti;
Ad pulchræ Europæ iàm flumina misit ouantes
Au-

Augusti thalamos tædasque Heroidis altæ
Differre Hesperiæ. Latè omnia littora circùm,
Circà omnes latices Arctois plausibus ardent;
Teutonicosq; omnes iàm magnus Cæsar ad amnes
Ad fluuiosque omnes Indi iàm Regia Gangis
Iàm Nupta Hesperij canitur pulcherrima Regni,
Lætitiæ dat signa nouæ, fremituque secundo
Certatìm ad tantas ardet Germania tædas.
Hùc ò Pegasides sit fas procùl alpibus ire;
Sit veteres Aquilas, & tot Mauortia regna
Austriadum propiùs, propiùs penetralia Regum
Fas sit mirari, & plausus spectare superbos;
Sit Vati canere, atque ipsos audire canentes
Heroi thalami decus, Hesperiosque hymeneos.
Id si fata negant, hùc saltèm tendere votis
Hùc liceat studijs, longèque à littore Thusco
Cùm Patrio Scaldi, & Tenaræ dotalibus vndis
Iàm Dominas Aquilas hoc primo agnoscere cãtu.
Est locus Eoi magna ad cunabula Gangis,
Quà primis lymphis, primoque elabitur auro
Vnda sonans, primaq; oritur quà lampade Titan,
Aereo luco, dulcique per auia tractu
Syluarum insignis; viridanti vmbrosa metallo
Includit sepes; ætas æterna virendi
Arboribus, sacrisq; hærent sua munera ramis
Diuinæ ambrosiæ fragrantibus humida guttis.
Hìc hyemes, nimbique, niuesque, & Syrius ardor
Ignoti; placida felix sub Chloride lucus
Ver agit æternum, ver omnis florida tellus.
Planitie media se tecta immania Cælo
E' solis gemmis, soloque Adamante corusca
Attollunt, radijsque Indo stant æmula Soli,
Auroræ Domus. Eoi diffusa pyropi

Limina prima tenent, fuluisque ambagibus Aula
In miras sedes, mira & penetralia tendit,
Quæ cuncta Æthereo variauit Mulciber auro.
Hinc Chaos antiqua spectes caligine septum,
Ac primam radijs vicino emergere ponto
Lucem. Tùm primùm Ganges, tùm gēmifer Indus
In rutilis apparet aquis, Eoaque Doris
Tùm prima æquoreos est visa attollere fluctus.
Hinc latè aereas rupes, latè ardua saxa
Aspicias primo splendescere fulua metallo.
Hinc torua Oceani terras cingentis imago
Fluctuat, inque suis spumescit lympha smaragdis,
Itque omnis tellus in vastos didita fines.
Hìc Arctoa rigent septem supposta Trioni
Regna, omnisque tepet Nabatheis tractibus ora.
Parte alia gemino quæ sint ventura sub axe
Lemnius in grandi secreuit Iaspide fata,
Fata olìm magno Genitor quæ fœdere nectit.
Sors sua cuiq; rata est. Stat miro ex ordine tellus
In Reges abitura suos; stant regna superba,
Quacumque immensis se didunt omnia terris,
Stant sua magnanimis cessura Heroibus olìm
Sceptra, suisque omnes regnandæ finibus Arces.
Stat Genus Austriadũ, stat Stirps Augusta Nepotũ
Omnis, & Hesperijs nunc India subdita regnis.
Hùc Venus Idalijs dùm tranat Nubila Cygnis,
Dùm supèr Oceano, supèr Æthere quærit Amorē,
Vestigansque oculis tota tellure vagatur,
Et nemorum latebris, & solis rupibus errat,
Vsquàm nèc Pueri quæsita occurrit imago;
Auratum pronis deflectit Oloribus axem.
Miratur Gangem, miratur & hospita Phoebi
Littora, quà primis resonant hinnitibus auræ.
Tùm

Tùm nemus Idaliæ multo frondosius vmbra
Cingi auro, & syluæ stupet immortalis honorem.
Ignotas Asia plantas, ignotaque Cypro
Cernit odoratis passim pubescere ramis
Munera; tùm varias ripis, lucoque volucres
Memnonijs numeris orienti carmina Phoebo
Audit cantantes; altoque in vertice Cedri
Solis Auem rutilo pennarum ardore micantem
Agnoscit, fuluaque decus redeunte iuuenta,
Viuacique iterùm miratur sæcula fato
Ordiri, similique frui Cœlestibus æuo.
Hanc simùl vt thalami gemato à limine vidit
Tendentem gressus, Paphiosque Aurora iugales,
Ilicèt aduerso celerat vestigia luco,
Et miro Diuùm venerata appellat honore.
O Superi lux alma Poli, lux alma Dearum,
Post quantos æui lapsus, post sæcula quanta
Te primum accipio reducẽ à Phrygijs Hymenæis?
Vt felix ades Eois Amathusia regnis!
Hùc magni nutus, hùc te noua fata vocarunt.
Sìc memoràns tecti læta ad penetralia ducit.
Circà se Nymphæ, circà Nereides alto
Excitæ pelago, gemmisque, auroque nitentes
Assundunt latè; iàm fusis crinibus Horæ
Auri comæ totis deducunt limina valuis.
At Venus Eoas quamquàm Cythereia sedes,
Quamquàm venturis fulgere annalibus aurum
Læta videt, Nati magnis tamèn anxia curis
Dic Aurora, inquit, primo namquè omnia Cœlo
Despicis, hacque via causa est, hæc cura remordet;
Nusquàm visus Amor? Pueriuè audita pharetra?
Ah quantùm latuit! nèc Cœlo prælia tentat;
Nàm sua forma Ioui, nèc iàm riguisse salaci

Auro

Auro optat, falsouè abscondi corpora vultu;
Nèc candet plumis, nèc iàm mugitibus vllis
Europæ magnos iterùm testatur amores.
Neuè vllis ardent Superi præcordia flammis,
Aùt noua cærulei tentant connubia Diui.
Olli Leucothoe, tuus ò Cytherea Cupido
Lætus ouat, nostrique hanc ipsam Heroida regni
Danubij ad ripas à littore ducit Ibero.
Nos classem Hesperiam millenis puppibus ire,
Ausonioque rates intendere carbasa ponto
Vidimus. Æquoreis resonabant plausibus Astra.
Dijque, Deæque omnes ad Regia rostra carinæ,
Dùm Nupta Austriaca faustos gratantur amores,
Curuauere omnes bigis spumantibus axem
Testati obsequium pelagi, Oceanique subacti;
Circà Tritones mulcebant Æquora conchis.
Dux, authorq; viæ strepitantibus Æthere pennis
Præuolat altus Amor, tædisq; iugalibus ignem
Halitibus Zephyrorum, & sacra ventilat aura.
Mille simùl lateri comites glomerantur Amores,
Mille nouis fluitant per nubila læta choreis.
At tu Diua Parens hæc aspice regia fata.
En hìc Augustis ingens sua fulget imago
Coniugibus. Sìc ora ferunt, ac æmula sacris
Lumina syderibus; sìc ambos viuida Virtus
Et tot Cæsaribus, tot Regibus acta superbis
Maiestas natiua decet. Viden ora Dianæ
Hac vinci forma? Viden hac quoq; Pallada vinci?
Par Augusta tibi, tibi sola simillima Cypri
Incedit, vultuque Deas supereminet omnes.
Quàm placida effigie spirans hoc Cæsar in auro
Magnanimum Genus, & Reges hìc reddit auitos!
Sìc primò Alcides, primò sic Liber ab auo
Vi-

Victrici insignes quondàm viguere iuuenta
Hìc tibi Pannoniæ fines, hìc Cęsaris arma,
Teutonicæque acies, castrisque educta Iuuentus;
Hìc aduersæ omnes Lybiæq; Asiæq; phalanges;
It Nomadum Pubes Mauris instructa sagittis,
It toto à Nilo, rubrique à littore ponti
Gens omnis, Thracumque manus, diriq; Geloni.
Pugna atrox sæuit; pro Cæsare militat Æther.
Eccè Oriens dat terga fugę, non sustinet altas
Danubij vires, non Gallum robur in armis,
Non ipso indomitos suscepto Marte Liburnos.
Hæc prima ingenti stat gloria parta Gradiuo
Austriadum Regi, stant victo ex hoste trophæa.
His quãta è thalamis est magnũ oritura sub axẽ
Progenies! Sacris iterùm penetralibus Aulæ
Augusti ludent cœlestia pignora nati,
Queis Atauì tota vultus sub imagine Reges
Expressi, similisque ardens ad sydera Virtus.
Queisque olim imperij magna nitantur habenæ,
Et sua tot regnis, tot sceptris debita Proles
Vsquè ac vsquè noua nascatur origine Regum.
Nàm magnis fatis, & grandi Numine Diuùm
Hæc stat nixa Domus, nullis stat finibus æui
Maiestas sceptri, seriesque inclusa Nepotum.
Id mira Heroum pietas testata Tonanti,
Ingens id quondàm Virtus, id post Genus omne
Austriadum meruit, dùm rem tutatur Olympi.
Nũc alacres hùc Cypri oculos, hùc lumina volue.
Hasnè Vrbes Asiæ, vastis hæc omnia regnis
Arua vides, circàque affuso gurgite pontum?
Hinc Solyma, hinc omnis latè se tollit Idume.
Hìc ipsa Ætherei quondàm cunabula Regis
Excisa è sacris apparent rupibus antra.

Hàc

Hàc se Iordanis sacrato flumine voluit,
Iordanis Dios lauit qui roribus artus.
Regnandi Odrijsijs perfecto Regibus æuo
Has iàm oras omnes, hæc omnia barbara regna
Austriacis dant fata Aquilis, dant Marte secũdo,
Auspicijsque altis Gentes parere subactas.
Hæc noua dos thalami à magno promittitur axe.
I Venus Idalia, i, tædis Augustior altis
Haud graderis Diua, i, totis vocat ignibus Arctos,
Ipse vocat curru nil nunc tardante Bootes
Septenaque vocant iàm prona luce Triones.
Quæcumque & toto stant Norica Sydera Cœlo
Cæsareos certant radijs ambire Penates:
Iàmque suas gazas, sua regia misit Iberus
Munera, iam Scaldis, vitreo iàm maximus amne
Ticinus sua. Tùm Balearis littora ponti,
Et Sardoa Thetis thalamis sua dona superbis;
Ac procùl Ionijs Trinacria misit ab vndis.
Ast Itala viridi Nympha Sebethides antro
Nouere Ausonijs textum immortale Smaragdis.
Hìc noua Parthenope resonat connubia cantu;
Nereidesque canunt medijs in fluctibus omnes.
Hìc quoquè tu primis nasci pulcherrima lymphis
Appares, leuibusque rotis super æquora ferri.
Augustæ donum, & rari quoque pignus amoris.
I Dea, Memnonijs hæc munera defer ab Indis;
Hæc mea sydereis intexta monilia gemmis
Solis Chrisolitis, solis baccata Pyropis,
Quæ Pater Oceanus tædis cùm prima iugaret
Iliacis dedit. Hæc etiàm fer regia Nuptæ
Sceptra Asiæ rutilis gemmis, auroque corusca,
Quæ soror Hesione quondàm Tithonia gessit.
Tùm postquã ambrosia, & Diuina roribus aura
Imple-

Impleris thalamum, & sacros Cytheraa Penates;
Vnierisque animos æterni in fœdus amoris;
Hos altos nutus, hæc & felicia Diuum
Tu fata Augustis, tu cuncta referre memento
Promissa, & tantis animos incendere rebus.
Festa mihi toto lux hæc ducetur Olimpo.
CIIprIS abIt: rVtILat raDIans AVrora per æthraM.



Illustrissimo, ac Amplissimo Equiti

CAMILLO MARCHIONI COPPOLO

Dùm quasi tota perlustrata Europa

IVSSV SERENISSIMI PRINCIPIS

FERDINANDI II.

MAGNI DVCIS HETRVRIÆ

AD CATHOLICAM MAIESTATEM

CAROLI II.

REGIS HISPANIARVM

IN OBITV

PHILIPPI IV.

GLORIOSÆ MEMORIÆ

CATHOLICI REGIS

mœrendi officia deferret,

Et delatum ipsi CAROLO REGI

Regnum gratularetur.

PANEGYRIS.

QVI semèl exoriens Diuis felicibus auras
Æthereas carpit, celsoque è sanguine cretus
Egregias animo laudes, præclaraque cęptæ,
Ac decus Heroum primo meditatur ab æuo,
Is latuisse nequit. Faustis penetralibus atas
In laudes educta suas se sponte superbis

Exa-

Exacuit stimulis, & honoribus instat auitis
Æmula, nèc vinci curis, vinciuè labore
Vllo se patitur, donèc virtute secunda
Victurum egregijs nomen memorabile factis,
Et famam æternis, insignem annalibus addat.
Talis magnanima florescens indole Virtus
Haùd dubia interpres laudum, decorisq; futuri
Visa, Camille, tuo primo eluxisse sub æuo.
Nàm tibi si demit quis nomina prima iuuentæ,
Nulla iuuenta fuit; iàm tùm mens ardua ferri
Consilijs animosa suis, nutuque sagaci
Canitiem Pyliæ potuit superare senectæ.
Certatìm se Cyrrha tibi, se Delphica Phocis
Obtulit, & Clariæ dant aurea fila Sorores.
Ipsa Parens rerum si quid caligine sepit
Obscura, si quid tectum mortalibus abdit,
Id latebris tibi nuda suis Natura recludit,
Indulgetque alacres ipsa in penetràlia sensus
Ferre omnes, propiùsque sacra sub imagine veri
Causarum seriem, & nexus spectare latentes.
Tùm quæ Cecropidis olìm, quæ iura Mycenis,
Et Cressis steterint Dictæi ad littora ponti
Vestigas. Nigro tu quæ sub Memnone leges
Frænarint Indos, quæ iussa sequuta Canopus;
Quæ pater ipse tumens septeno in gurgite Nilus,
Ausonijsque actum iàm nosti annalibus æuum.
Quæ vi Romulidæ, quo gens inuicta Gradiuo
A gemino Phœbo, geminaque à Doride robur,
Victricesque Aquilas toto circumtulit orbe;
Quæ pelago starent, quæ terris iura subactis,
Quæ meta Imperijs fatis præscripta supremis,
Vt tandèm Arctois hæc moles occidat armis.
At Venus Idalijs dùm tranat Oloribus Astra,

Et vigiles animi curas, vigileſque labores,
Et Iuuenem totum Natura incumbere ſacris
Aſpicit; & viridi iàm tùm florere iuuenta,
Quid ceſſas Hymenae? Heroo à ſanguine ducta
En, ait, vt caſtis Traſimeni ad littora plantis
It Virgo! vt facie felix, vt tota Diana
Incedit ſimilis! par noſtræ, aut æmula formæ!
Hæc nunc æterno perfectis ordine fatis
Huic claro Heroi tædis ſocianda maritis.
Scis genus. Ambobus tellus Peruſina ſuperbit.
Nil ſtirpe antiqua, nil Virgine clarius illa
Huic genus ipſa Arctos, ſeptemq; dedere Triones,
Ticinique intèr latices, intèrque fluenta
Eridani magnos cum magna gente Penates
Arctoi poſuere Ataui. Poſt inclyta toti
Iàm nota Auſoniae ſe ſtirps diffudit in Vmbros,
Et nunc Tyrrheno longè eſt gratiſſima Regi.
I Nate, & thalamis ambos coniunge volentes.
Paret Hymen, caſtoque animos deuincit amore.
Famaque ſe didit; Flora ſub mænibus altæ
Ingeminant plauſus, ipſi ad connubia Reges
Tyrrheni veniunt; tanto dignatur honore
Maieſtas Auguſta ſuos, propiùſque ſecundo
Coniugibus ſancit ſocialia fœdera nutu.
Aſt heù Cœlicolum pietas! heù Numina Diuû!
Quæ tantis cæptis, & tàm felicibus obſtat
Auſpicijs læuo detorquens ſtamina fuſo
Atropos? & votis nil exorabile Fatum?
Ah miſera! vt primos Lucinæ experta labores,
Vt thalami geniale decus iàm ſtirpe virili
Extulit, & dulci dat pignus amabile Patri,
Pignus Auo, celſi creſcant qua prole Penates,
Stirpſque æterna ſuo ſit permanſura ſub æuo.
Illa

Illa euicta malis, summisque doloribus ægra,
Solaque sydereo iam mentem affixa Tonanti
Has res mortales æuo florente reliquit.
Quid facias? quondàm nimbosa vt saxa petiuit,
Et raptam Euridicen, raptam sub rupibus Hæmi
Euridicen, dulci nequicquàm saucius igni
Euridicen vocat, Euridicen Rhodopeius Heros
Vnam orat Diuos, vnam lacrymisque, lyraque
Ingemit Euridicen; sìc tu singultibus æger
Sparsure Alpinis suspiria tristia nimbis
Deuia lustra petes, & inhospita tesqua dolori?
Haùd ità. Cælicolum nutus, ac grandia fata,
Seù sint prona tuis, seù sint contraria votis,
Excipis, & placido stat mens immota tenore.
Mox iuuat Europen, duplici quà didita Ponto
Regna tenet, latisque suo quà finibus Orbem
It complèxa sinu, propiùs peragraße videndo.
Sìc Pubes Heroa alto de sanguine Graium,
Dùm laude egregia, pulchraque cupidine pectus
Extimulata ardet vario nouisse sub axe
Qui ritus, moresuè hominũ, queisuè acta feratur
Gens sua quæq; animis, qua laus, & gloria cordi,
Quæ stimulet Virtus, tardetuè ignauia pectus;
Aùt Thebas olìm, aùt magnã Lacedæmona liquit,
Ipsisque Actæis etiàm discessit Athenis.
Ergò Tyrrhena iàm linquis mœnia Floræ;
Aereasque alacrem mannis velocibus alpes
Transgressũ, Eridaniq; ac flumina magna secantẽ
Ticini, tellus primùm felicibus aruis
Te Taurina capit, primoque excepit honore
Rex ipse Allobrogum, sæpè & penetralibus altis
Affatu fouet. Officijs ingentibus ardet
Primorum certasse manus, si quandò moratus

Conuentu in medio stas ipsa ad limina Regis.
Seù comitem syluis venatu maximus Heros
Adsciscit, clausisuè feris immania septa,
Et lucos præbet, Taurina & cernere Tempe.
Mox Galli fines, Mauortia Regna, petuntur.
Hinc iter vndisonum Rhodani, celeresq; meatus,
Hinc contrà placido cunctantem gurgite labi
Aspectat Ararim. Se crebræ turribus altis
Ostentant Vrbes, se plenis Oppida Celtis;
Nec non Sydereis impositæ rupibus arces
Apparent densa. Tùm Sequana maximus amnis,
Sequana, qui Pater vndarum, qui limina Regũ,
Borboniosque lares submisso gurgite lambit.
Hìc Regni sedes, Vrbs alta, Augusta, subitur,
Quæ vix Europe quidquàm, vix Orbis vterque
Maius habet, mediouè videt Sol altus Olympo,
Murorum immani ductu, immanique recessu.
Hinc, ac hinc in mille sinus, ac mille viarum
Diffusa ambages. Densa vndique limina Diuùm
Aut Phrygius, Pariusuè silex ad Sydera tollit.
Sìc quoque Primorum sedes, ac ardua tecta
OEbalio passim contingunt marmore nubes.
Nil vacuũ; quàcumq; oculos, quà lumina vertis
Exundant cœtus, & non numerabile vulgus.
At tibi Rex animo tantũ, Rex maximus hæret,
Nec cessare potes, nì Regia protinùs ora
Demisso cultu, ac studijs venerare secundis.
O' quæ Memnonij tàm fausta à littore Gangis
Lux vlla exoritur! qua sors tàm læta refulsit!
Maiestas se tanta tibi, nutusque serenos
Indulget, blandoque etiàm sermone moratur,
Quid charus Genitor? quid res nunc Itala flores?
Qui noua Gens, Geniusue loci, qui Gallia cordi?
Quaue

Quaquè iter? Hesperiasnè Arces? finesuè Britãnos?
Tum magnum Europa lustranda vt nouit amorẽ,
Macte, inquit, votis; aspirat prima iuuenta,
Aspiretque etiàm captis felicibus Æther.
His dictis miro incensum dimittit amore.
Quin posthàc aditus omnes, post Aula patescit.
Te placidis animis acceptat Regia Socrus,
Regia te Coniux solio subnixa superbo;
Estque inter Proceres cum Rege astare potestas;
Seù Diuùm Templis sacrata aduoluitur aræ
Cælicolum Regis, seù clausa indagine saltus
Fortè subit, placitisque animum venatibus addit;
Scenarumuè amor est, aùt dat simulacra Gradini,
Et concursantes hostili more Phalanges.
Nèc non Primores Regali à sanguine creti
Excipiunt proni; quin ipsa Heroides alta
Certatìm studiis, raro & dignantur honore.
Mòx vasti Oceani Pelagus, Dorisq; Britanna
Excipit, & fausta vectum per carula puppe
Ipsa procùl candente Mari tellure recepit
Albion, Arctoi dominatrix Insula ponti
Albion, extremis quam Nereus alluit vndis.
Hìc decus egregium, quod vix optabile votis,
Speque omni maius celsæ penetralibus Aulæ
Obtingit, rarique simùl cumulantur honores,
Nàmque Caledoniis Regnator maximus aruis
Qui triplex Pelagus circùm sua Regna volutum
Imperio premit, ac lata ditione tuetur,
Te crebro affatu, & blandis sermonibus vltrò
Dignatur, munusque omni pretiosius auro
Quale sub Æolia Lipare vix fuderit igni
Mulciber, aùt ducat cælesti incude Pyracmon,
Raucum fulmineum Gradiui ad munia telum

Bis tonitru æthereo resonans, bis & igne corusco
Lethiferam piceo torquens sub turbine glandem;
Ipse manu propria monumentū, & pignus amoris
Donat habere sui: Studijs nil distat ab istis
Et rerum, & Sceptri consors Regina Britanni.
Nil quoque Primores, nil ipso sanguine Regi
Germanus. Pulchri post Oppida maxima Regni,
Post primas arces, Tamesimque, ratesq; superbas
Aspicis, & vectas Auroræ à littore merces.
Tùm Pelagi robur milleno remige Classes,
Et totum armigeris constratum puppibus æquor.
Hinc Austro facili fluctusq; vndasq; remensum
Oceani, quà tuta silet vis aspera ponti,
Quà nulli venti, placido latissima portu
Belgidis Ora capit; Nil Belgide pulchrius vsquā,
Si tantùm Mauors pacatis exulet aruis.
Tota potest tellus Vrbs vna immensa videri;
Oppida sic iungi, sic Vrbes Vrbibus addi
Cum cœtu aspicias denso; sic vbere pingui
Seù genio meliore soli, seù Sydere Cœli,
Aut cuncta humano latè efflorescere cultu.
Tu primas passim sedes, ac prisca Quiritum
Hìc etiam monumenta vides, quà Norica Tethys
Littoreis arces, ac propugnacula ripis,
Crebraque raucisono tutatur mœnia fluctu.
Quà Scaldis Pater humentum Rex mitis aquarū,
Ceù placidus Ganges, ceù Nilus labitur altus,
Egregiasque Vrbes ingenti maximus amne
Irrigat, ac refluus Pelagi retumescit ab æstu.
Quàuè oritur tenui lapsus cum gurgite Senna,
Bruxellæque Arces, eductaque mœnia Cœlo
Festinat tremulo percurrere limpidus amni.
Queis hìc non studijs, quo non cumulatus honore?

Te

Te rerum custos ab Rege electus Ibero
Obsequijs fouet, ac epulis, stratisque superbis
Regali luxu media suscepit in Aula.
Post Batauos penetrare sinus, Neptunia Regna,
Haud cessas, passimq; vrbes, passim omnia rauco
Aspicis incingi Ponto, fluctusque, procellasque
Aggeribus frangi, nec quamuis altius extet
Planitie Pelagus suffundi fluctibus arua.
Innumeri Vrbes, innumeri latè Oppida cœtus
Incoluere, Indi passim, qui ad littora Gangis
Submittant puppes, totoque Oriente paratas
Post magno Europæ dispensent foenore merces.
Sic opibus res ista viget; sic Amstela creuit,
Quæ nunc millenas geminum per Nerea puppes
Diuidit, vt si quid mirum, quid rarius vsquã est,
Id Patriæ curuis cura est vexisse carinis.
Hìc nequè delicias nemorum, nèc Thessala Tẽpe,
Aut Clarios latices, syluaq; Heliconidis vmbras,
Auiaque Argiuo Musarum persona cantu
Exoptes; prabent Hagani hæc omnia saltus.
Hic etiàm Princeps Nassaua è stirpe vetusta
Egregius Sanguis, cui quondàm Regia Mater
Augusta Herois Regi Germana Britanno,
Dùm venerare Virum, regali limine tecti
Te miris studijs, magno & complexus amore est.
Tùm quicquid Rhenus felicibus alluit vndis,
Aspectasse iuuat, seù quà iàm gurgite sacro
Exoriens primùm Rhæteis alpibus exit,
Exiguosque trahit latices, quàuè auctus aquarũ
Vorticibus rapidis iàm toto spumeus amne
Teutonicis latè dominata Heroibus arua
Permeat, & viridi passim frondente Lyeo
It ripa, tumidumque sonans erumpit in æquor.

Quin etiàm quàcumq; fluit Germanica Doris,
Seù latè ad Cymbros, Sueonumque asperrima
Regna,
Lappionumq; sinus, seù Moscha ad littora tendit,
Quàque ingens vasto se voluit Vistula fluctu,
Atque hinc Sarmaticos fines, hinc amne sonoro
Teutonicos radit, mediĳsque interluit vndis
Saxosum strepitans. tùm quà per florida Regna
Per pingues campos fluuio Visurgis amano
Lætus abit, quàque immensus dilabitur Albis,
Et latè Hercinios fœcundat gurgite saltus.
Omnia tu propiùs lustras, ac vndiquè miris
Regnantum Heroum studĳs, simùl hospite tecto
Acceptus, simùl Aulai penetrale recessu
Passim epulis, dapibusuè palàm cum Regibus ipsis
Accubuisse datum, tanta & monumenta referre.
Ipse quoquè, Arctoo latè qui præsidet Axi,
Magnanimus Cæsar, te Maiestate serena
Excipit, ac rarum fando testatur amorem.
Sic prona acceptat, sic ipsa Augusta morari
Affatu dignata suo, quin sæpè superba
Austriadum Tempe lenimina grata laborum,
Queis fata Imperĳ moles, Arctoaque Regna,
Dat lustrare oculis, dat per lætissima cultu
(Qui præcelsus honos à summa Heroide rerum)
Aut vnà stare, aut leni procedere passu.
Mox & Pannoniæ sedes, hirtique Geloni
Semifero cultu, formaque horrente Agathyrsi,
Marcomaniq; Getaq; trucesque in prælia Daci,
Vastique Illirici fines, fortesque Liburni
Visuntur latè. Tùm magnum versus ad Istrum,
Quà tractu propiore soli Saturnia Tellus
Ausonidum petitur per saltibus obsita tesqua,
Per-

Perque arces passim densas, per & oppida densa,
Teutonicasque alpes Athesim contingis amœnum.
Hinc Venetam Oceani medijs in fluctibus Vrbem,
Euganeosque sinus, ac priscæ mœnia Mantus
Acceptis passim studijs, ac munere Regum
Inuisis, Liguresque simùl, simùl Æsaris arua;
Et tandèm amplexu patrio, amplexuque tuorum
Post tot terrarum tractus, tot & æquora Ponti
Incolumi reditu te Floræ ad mænia sistis.
Atq; hìc extēplò magē iàm magè didita Virtus
Efferri, iàm magna tui crebrescere fama;
Vis præcelsa animi, cultus Heroa per omnes
Acta ætas, ipsumque decus geniale iuuentæ,
Et vigor eloquij felix, & tot tibi Regnis
Priuato sic partus honos, sic gratia Regum,
Tot quoq; muneribus dona accumulata superbis:
Intereà occiduo cùm iàm Rex maximus Axe,
Qui latè Hesperijs, latè dominatur & Indis,
Heù mæsta Lachesi, fatoque instante supremo
Occidit, & tanto perculsa est funere Tellus.
Ipse adeò Rex Tyrrheno de sanguine Regum
Ingens sceptrorum seù laus, seù gloria Ferrani,
Qui procùl Hesperiæ pro se sit nuntius Aulæ,
Qui consanguineo persoluat mæsta dolori
Munia, quique suo lectus mærore loquatur,
Ac tot sceptrorum hæredi, tot & vndique Regnis
Imposito Regi faustos ex Æthere Diuos,
Ac Pylijs annis exoptet longius æuum,
E' magno Cœtu Primorum Heroibus altis
Vnum te fandi summa hac ad munia legit.
Ergò ardens animis, & tanto munere lætus,
Nèc non excelso par ipse futurus honori
Continuò Regum quæ grandi debita luxu

Cuncta paras. Iuuenum primos è stirpe superba
Tyrrhenûm adsciscis comites, sociosque laborum;
Atque alios, aliosque insigni ætate ministros,
Qui proni obsequio, & cuncti sua munera norint.
Tùm longa famulùm serie, longo agmine pompæ
Carpis iter; nèc te Nemeæi Syderis ortus,
Nèc quæ dira Polo signis lethalibus ardet
Siria flamma, ipsiuè tenent flagrantibus aruis
Immissi Soles: iuuat indulsisse labori,
Quem Patriæ, & Patrio dulce est impendere Regi.
Iàm fines Italos, ac Gallæ Doridis æquor,
Ipsaque Aquitanis emensis saltibus arua,
Sydereas cautes, nimbosæ horrenda Pyrenes
Exuperas iuga. Tùm crebris pulcherrima Regnis
Accipit Hesperia, occidui domus hospita Phœbi,
Hesperia, ardentem quæ seris ignibus axem,
Et sera à toto labentia Sydera Cælo
Ipsa suo latè Pelago capit, ipsa sub vndis
Aurato Solem thalamo, Solisque iugales
Sub rupe æquorea præsepibus accipit altis.
Hinc, ac hinc crebræ passim se collibus arces,
Crebræ Vrbes, & adhuc æuo fundata Quiritum
Se multa aereis ostentant rudera saxis.
Iàmque oculis coràm sedes lætissima Regum
Vrbs magnæ Hesperiæ caput, vndè Aurora subacto
Fert nunc iura mari, fert omnis Trinacris Ora,
Parthenopeq; Afrisque Thetis Sardoa sub vndis,
At regnata ferunt varijs sub finibus arua.
Ipsaque Memnonijs opibus, gazisque refulgens
Regia tota, parique educta ad Sydera sumptu
Diuorum apparent sedes, celsique Penates
Primorum Hesperiæ. Longo spatiosa recessu
Planities gelidis lenè aspirantibus auris
Sauire

Sæuire æstiuas flagranti Sydere luces,
Hybernasque vetat tepido frigescere Sole,
Conuentu Procerum statio celebrata superbo.
Regifico interea luxu, cultuque receptus
Primus Tyrrhenûm, quos Aula accepit Ibera,
(Qua summo Heroi Ferranti gloria cedit)
Quadringo Regis curru penetrale sub altum
Inueheris; Series post ipsa inuecta quadrigis
It procerum densa, ac latè post agmine longo
Omnis consequitur pullo comitatus amictu.
Ast ipse in solio iàm Rex sublatus auito,
Cui tenera in toto Maiestas plurima vultu,
Augustique animi spirant, iàm lumine sacro,
Sydereisque oculis effulget Regius ardor,
Ipsaque nunc Atauos Reges, nunc robur Auorum,
Et totum Patrem viuax promittit imago,
Audit te placidè, seù tanto in funere luges,
Seù sua Regna sibi, sceptra & gratare superba.
Nec non qua rebus Regina incumbit Iberis,
Vnaque tot populos, tot Nati maxima Regna,
Totque regit Sceptra, ac paribus tutatur habenis,
Hetrusci Regis cognato prona dolori,
Mærorique vacat, magni & solatia luctus
Tyrrhenûm vota in Nati felicia Regna
Accipit obsequio Regis lætata propinqui,
Ac te iàm multo lætum dimittit honore.
Quìn sũmi Procerũ, qui Regni ad munia lecti,
Primoresque alti studijs insignibus omnes
Propendent placidi, ac rarum testantur honorẽ,
Seù primùm, seù digressu venerare supremo.
Post operum moles, ac ipsi sacra quieti,
A' grauibus sceptri curis, densoque labore,
Hesperia aspectas monumenta insignia Regum;

 Qua

Quæ nil, si Latium spectet, priscivè Quirites,
Aùt arti egregiæ, aùt opibus cessisse Latinis.
Mirentur taciti. Nàm quà tu lumina voluis,
Subiectæ Auroræ collucent omnia donis.
Hùc Indus gemmas, hùc Ganges præbuit aurum.
Nil prima arte vacat; seù picto animosa colore,
Seù viua Eoo spirant simulacra sub auro.
Parietibus quoque vita suis; ipsique tapetes
Vero venatu, veris latrare Molossis,
Et viui apparent lacerari morsibus Apri.
Nusquàm ver, nusquàm Zephyris felicibus aura,
Flosuè æternus abest, aùt fonte educta perenni
Aeriùm saliens arguto murmure lympha.

Hæc postquàm propiùs miratus Regia tecta,
Primasque Hesperiæ lustrasti ex ordine sedes,
Primorum Italiæ ingenti deductus honore
Regales Arces, Augustaque mænia linquis.
Iàmque iter ingrediens rursùs per nota viarum
Procedis spatia, ac præruptæ saxa Pyrenes,
Infusamque iugis hyemem, nimbosq; sonantes
Aereo ascensu superas, passimque recursant
Iidem syluarum tractus, iisdem obuia ripis
Flumina. Aquitanis iàm rursùm collibus arces,
Et caput ipsa loci magno prætenta Garumnæ
Burdigala apparet miti placidissima Cœlo,
Vrbs antiqua opibus florens, ac vbere gleba.
Tùm latices iterùm Rhodani, Taurinaque lætus
Aspectas Regna. Hinc patria te maximus vnda
Accipit Eridanus. Post Thuscis redditus aruis;
Dùm fors Alphæos brumali sydere saltus
Venatu exercet, Cœli est dum cura salubris,
Tyrrheno Regi Pisarum mœnibus altis
Te magno Hesperiæ cumulatum sistis honore;

SAN-

SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIAE

Incessus ad templum Festo Purificationis suæ die cum aliquo tunc viuendi desiderio celebratus.

OBuia tota veni Solymæ formosa Iuuentus,
Vosq; omnes castæ Matresq; nurusq; venite,
Et tota aereo Carmeli à vertice Pubes
Appropera, thalamis Virgo iàm Regia prodit,
Iàm graditur, propiùsque optata affulget imago.
Vt Cælestis honos per lumina casta Iuuentæ
Emicuit, latisque procùl fulgoribus ardet!
Sìc ipsa exoritur fuluo pulcherrima Gange
Aurora, & primis immittit lumina terris.
It Virgo, gestatque sinu, sua gaudia, Prolem;
Nèc Pueri risus, nèc Matris basia cessant.
It Senior lacrymans, Diuique Augusta latentis
Ora notat, tacitusq; immensum Numen adorat.
Quàcumq; ingrediens Genitrix vestigia ducit,
Intuitusque mouet, visu lætabile monstrum
(Dum mœsti squallent hyberno Sydere campi)
Spontè sua tellus flores reuirescit in omnes,
Vallibus & virides redeunt, & collibus herbæ.
Ipsæ etiàm platani, palmæque virentis Idumes,
Ceù gestire velint, demisso vertice nutant,
Omnisque affulget facies lætissima rerum.
Quò mihi Iordanis longinquo elaberis amne?
Cùr fatale solum, nèc flumina tanta videre,
Nèc licuit Solymis excisa è rupibus antra
Aspicere, & nati prima incunabula Diui?

Si mea Cœlicolæ sub tàm felicibus annis
Fluxisset quondàm primæ lanuginis ætas.
Vos, Superi, testor, vos tanti conscia Partus
Sydera, sacrati primùm penetralia tecti,
Lapsa licèt monumenta, licèt sint pendula saxo
Rudera, sitq; quies Solymis nocturna colonis;
Ipse tamèn sacro pectus succensus amore
Humectans lacrymis, humectans omnia fletu
Lustrassem supplex; nèc non pia basia libans
Hæsissem amplexus postes, amplexus & antra.
Tùm quo Memnonij venissent Sydere Reges;
Quæ pietas augusta Viris, quæ Regia Proli,
Quæ Matri ferrent Nabathæi à finibus Indi
Munera; tùmq; habitus, proceraq; corpora Regũ,
Et coràm Eoos licuißet discere vultus.
Tùm quà iuit Genitrix, quà scandit in ardua Templa,
Ipse viam Tyrio si murice, sique smaragdis,
Nèc gemmis possim, nèc picta insternere veste;
At saltèm viridi ramo, palmaque virente
Sparsissem, lætusque legens vestigia Matris
Ingenti Solymas testarer voce per omnes.
Iàm promissa salus per magnæ fædera Gentis,
Per magnos Atauos, & prisca oracula Diuùm,
Isacidum fines, dilectaque respicit arua.
Quam coràm aspicitis Deus est hæc Regia Proles.
Hæc etiàm Genitrix magnis à Regibus orta
Nunc sua Templa subit. Vos sons absistite vulgus,
Et casti subeant casta cum Virgine coetus.
Tuque adeò longæue Senex, templique Sacerdos
Nèc latices affer, nèc dic lustralia verba.
Non iubar est Phoebi, non Lunæ purius astrum
Dùm formosa nitet, dùm toto candida vultu

Haud sinit in tenebris funestâ horrescere. IVS
Non macula est Matri, priscoue à crimine labes.
Hæc ego, si vitam tunc ducere fata dedissent.
Nunc animus solus, nunc solaque vota supersunt.
Tu Genitrix animum, tu sola amplectere vota.
Sique parum fas est Cœlestia Sydera linqui,
In tua templa veni, quæ nunc fumantibus aris
Et thure, & festo latè cumulauimus igni.
Ardent mille faces, ardent tibi lumina mille.
Te veteres tenebræ, victi te limen Auerni,
Te Manes, cæcumque Chaos, te luridus Orcus,
Et pauet horrenda septus caligine Pluto.
Per te prima salus, per te lux Dia refulsit,
Lux Dia de luce fluens; hanc cernere Cœlo
Da Genitrix lucem, da Sydera sancta subire.

SOLEMNITAS
INVENTÆ CRVCIS.

Helena sic Filium Cæsarem Constantinum affatur.

EVenère. Altis respondent Sydera votis.
Post Solymas arces, & culmina sõtis Idumes
Lustrata, & quicquid Diuino flumine lambit
Iordanis, seù quà Libani de fontibus exit,
Exiguusque secat diuisis auia cedris,
Seù quà raucus abit iàm toto maximus amne
Phenicum in pelagus, seque vndis spumeus infert.
Post prisca Isacidæ regnata nepotibus arua,

Post

Bis tonitru æthereo resonans, bis & igne corusco
Lethiferam piceo torquens sub turbine glandem;
Ipse manu propria monumentū, & pignus amoris
Donat habere sui: Studijs nil distat ab istis
Et rerum, & Sceptri consors Regina Britanni.
Nil quoque Primores, nil ipso sanguine Regi
Germanus. Pulchri post Oppida maxima Regni,
Post primas arces, Tamesimque, ratesq; superbas
Aspicis, & vectas Auroræ à littore merces.
Tùm Pelagi robur milleno remige Classes,
Et totum armigeris constratum puppibus æquor.
Hinc Austro facili fluctusq; vndasq; remensum
Oceani, quà tuta silet vis aspera ponti,
Quà nulli venti, placido latissima portu
Belgidis Ora capit; Nil Belgide pulchrius vsquā,
Si tantùm Mauors pacatis exulet aruis.
Tota potest tellus Vrbs vna immensa videri;
Oppida sic iungi, sic Vrbes Vrbibus addi
Cum cœtu aspicias denso; sic vbere pingui
Seù genio meliore soli, seù Sydere Cœli,
Aùt cuncta humano latè efflorescere cultu.
Tu primas passim sedes, ac prisca Quiritum
Hìc etiam monumenta vides, quà Norica Tethys
Littoreis arces, ac propugnacula ripis,
Crebraque raucisono tutatur mœnia fluctu.
Quà Scaldis Pater humentum Rex mitis aquarū,
Ceù placidus Ganges, ceù Nilus labitur altus,
Egregiasque Vrbes ingenti maximus amne
Irrigat, ac refluus Pelagi retumescit ab æstu.
Quàuè oritur tenui lapsus cum gurgite Senna,
Bruxellaque Arces, eductaque mœnia Cœlo
Festinat tremulo percurrere limpidus amni.
Queis hìc non studijs, quo non cumulatus honore?
Te

Te rerum custos ab Rege electus Ibero
Obsequijs fouet, ac epulis, stratisque superbis
Regali luxu media suscepit in Aula.
Post Batauos penetrare sinus, Neptunia Regna,
Haùd cessas, passimq; vrbes, passim omnia rauco
Aspicis incingi Ponto, fluctusque, procellasque
Aggeribus frangi, nec quamuìs altius extet
Planitie Pelagus suffundi fluctibus arua.
Innumeri Vrbes, innumeri latè Oppida cætus
Incoluere, Indi passim, qui ad littora Gangis
Submittant puppes, totoque Oriente paratas
Post magno Europæ dispensent foenore merces.
Sìc opibus res ista viget; sic Amstela creuit,
Quæ nunc millenas geminum per Nerea puppes
Diuidit, vt si quid mirum, quid rarius vsquã est,
Id Patriæ curuis cura est vexisse carinis.
Hìc nequè delicias nemorum, nèc Thessala Tẽpe,
Aùt Clarios latices, syluaq; Heliconidis vmbras,
Auiaque Argiuo Musarum persona cantu
Exoptes; prabent Hagani hæc omnia saltus.
Hic etiàm Princeps Nassaua è stirpe vetusta
Egregius Sanguis, cui quondàm Regia Mater
Augusta Herois Regi Germana Britanno,
Dùm venerare Virum, regali limine tecti
Te miris studijs, magno & complexus amore est.
Tùm quicquid Rhenus felicibus alluit vndis,
Aspectasse iuuat, seù quà iàm gurgite sacro
Exoriens primùm Rhæteis alpibus exit,
Exiguosque trahit latices, quàuè auctus aquarũ
Vorticibus rapidis iàm toto spumeus amne
Teutonicis latè dominata Heroibus arua
Permeat, & viridi passim frondente Lyeo
It ripa, tumidumque sonans erumpit in æquor.

 Quìn

Quin etiàm quàcumq; fluit Germanica Doris,
Seù latè ad Cymbros, Sueonumque asperrima
Regna,
Lappionumq; sinus, seù Moscha ad littora tendit,
Quàque ingens vasto se voluit Vistula fluctu,
Atque hinc Sarmaticos fines, hinc amne sonoro
Teutonicos radit, mediisque interluit vndis
Saxosum strepitans. tùm quà per florida Regna
Per pingues campos fluuio Visurgis amano
Lætus abit, quàque immensus dilabitur Albis,
Et latè Hercinios fœcundat gurgite saltus.
Omnia tu propiùs lustras, ac vndiquè miris
Regnantum Heroum studijs, simùl hospite tecto
Acceptus, simùl Aulai penetrale recessu
Passim epulis, dapibusuè palàm cum Regibus ipsis
Accubuisse datum, tanta & monumenta referre.
Ipse quoquè, Arctoo latè qui præsidet Axi,
Magnanimus Cæsar, te Maiestate serena
Excipit, ac rarum fando testatur amorem.
Sic prona acceptat, sic ipsa Augusta morari
Affatu dignata suo, quin sæpè superba
Austriadum Tempe lenimina grata laborum,
Queis fata Imperij moles, Arctoaque Regna,
Dat lustrare oculis, dat per lætissima cultu
(Qui præcelsus honos à summa Heroide rerum)
Aùt vnà stare, aùt leni procedere passu.
Mox & Panoniæ sedes, hirtique Geloni
Semifero cultu, formaque horrente Agathyrsi,
Marcomaniq; Getaq; trucesque in prælia Daci,
Vastique Illirici fines, fortesque Liburni
Visuntur latè. Tùm magnum versus ad Istrum,
Quà tractu propiore soli Saturnia Tellus
Ausonidum petitur per saltibus obsita tesqua,
Per-

Perque arces passim densas, per & oppida densa,
Teutonicasque alpes Athesim contingis amoenum.
Hinc Venetam Oceani medijs in fluctibus Vrbem,
Euganeosque sinus, ac priscæ moenia Mantus
Acceptis passim studijs, ac munere Regum
Inuisis, Liguresque simùl, simùl Æsaris arua;
Et tandèm amplexu patrio, amplexuque tuorum
Post tot terrarum tractus, tot & æquora Ponti
Incolumi reditu te Floræ ad mænia sistis.
Atq; hic extēplò magē iàm magè didita Virtus
Efferri, iàm magna tui crebrescere fama;
Vis præcelsa animi, cultus Heroa per omnes
Acta ætas, ipsumque decus geniale iuuentæ,
Et vigor eloquij felix, & tot tibi Regnis
Priuato sic partus honos, sic gratia Regum,
Tot quoq; muneribus dona accumulata superbis:
Intereà occiduo cùm iàm Rex maximus Axe,
Qui latè Hesperijs, latè dominatur & Indis,
Heù mæsta Lachesi, fatoque instante supremo
Occidit, & tanto perculsa est funere Tellus.
Ipse adeò Rex Tyrrheno de sanguine Regum
Ingens sceptrorum seù laus, seù gloria Ferrans,
Qui procùl Hesperiæ pro se sit nuntius Aulæ,
Qui consanguineo persoluat mæsta dolori
Munia, quique suo lectus mærore loquatur,
Ac tot sceptrorum hæredi, tot & vndique Regnis
Imposito Regi faustos ex Æthere Diuos,
Ac Pylijs annis exoptet longius æuum,
E' magno Cœtu Primorum Heroibus altis
Vnum te fandi summa hac ad munia legit.
Ergò ardens animis, & tanto munere lætus,
Nèc non excelso par ipse futurus honori
Continuò Regum quæ grandi debita luxu

Cuncta paras. Iuuenum primos è stirpe superba
Tyrrhenùm adsiscis comites, sociosque laborum;
Atque alios, aliosque insigni ætate ministros,
Qui proni obsequio, & cuncti sua munera norint.
Tùm longa famulùm serie, longo agmine pompæ
Carpis iter; nèc te Nemeæi Syderis ortus,
Nèc quæ dira Polo signis lethalibus ardet
Siria flamma, ipsiuè tenent flagrantibus aruis
Immissi Soles: iuuat indulsisse labori,
Quem Patriæ, & Patrio dulce est impendere Regi.
Iàm fines Italos, ac Gallæ Doridis æquor,
Ipsaque Aquitanis emensis saltibus arua,
Sydereas cautes, nimbosæ horrenda Pyrenes
Exuperas iuga. Tùm crebris pulcherrima Regnis
Accipit Hesperia, occidui domus hospita Phœbi,
Hesperia, ardentem quæ seris ignibus axem,
Et sera à toto labentia Sydera Cælo
Ipsa suo latè Pelago capit, ipsa sub vndis
Aurato Solem thalamo, Solisque iugales
Sub rupe æquorea præsepibus accipit altis.
Hinc, ac hinc crebræ passim se collibus arces,
Crebræ Vrbes, & adhuc æuo fundata Quiritum
Se multa aereis ostentant rudera saxis.
Iàmque oculis coràm sedes lætissima Regum
Vrbs magna Hesperiæ caput, vndè Aurora subacto
Fert nunc iura mari, fert omnis Trinacris Ora,
Parthenopeq; Afrisque Thetis Sardoa sub vndis,
Ac regnata ferunt varijs sub finibus arua.
Ipsaque Memnonijs opibus, gazisque refulgens
Regia tota, parique educta ad Sydera sumptu
Diuorum apparent sedes, celsique Penates
Primorum Hesperiæ. Longo spatiosa recessu
Planities gelidis lenè aspirantibus auris
Sauire

Sæuire æstiuas flagranti Sydere luces,
Hybernasque vetat tepido frigescere Sole,
Conuentu Procerum statio celebrata superbo.
Regifico intereà luxu, cultuque receptus
Primus Tyrrhenûm, quos Aula accepit Ibera,
(Quæ summo Heroi Ferranti gloria cedit)
Quadringo Regis curru penetrale sub altum
Inueheris; Series post ipsa inuecta quadrigis
It procerum densa, ac latè post agmine longo
Omnis consequitur pullo comitatus amictu.
Ast ipse in solio iàm Rex sublatus auito,
Cui tenera in toto Maiestas plurima vultu,
Augustique animi spirant, iàm lumine sacro,
Sydereisque oculis effulget Regius ardor,
Ipsaque nunc Atauos Reges, nunc robur Auorum,
Et totum Patrem viuax promittit imago,
Audit te placidè, seù tanto in funere luges,
Seù sua Regna sibi, sceptra & gratare superba.
Nec non quæ rebus Regina incumbit Iberis,
Vnaque tot populos, tot Nati maxima Regna,
Totque regit Sceptra, ac paribus tutatur habenis,
Hetrusci Regis cognato prona dolori,
Mærorique vacat, magni & solatia luctus
Tyrrhenûm vota in Nati felicia Regna
Accipit obsequio Regis lætata propinqui,
Ac te iàm multo latum dimittit honore.
Quin sũmi Procerũ, qui Regni ad munia lecti,
Primoresque alti studijs insignibus omnes
Propendent placidi, ac rarum testantur honorẽ,
Seù primùm, seù digressu venerare supremo.
Post operum moles, ac ipsi sacra quieti,
A' grauibus sceptri curis, densoque labore,
Hesperiæ aspectas monumenta insignia Regum;

Quæ nil, si Latium spectet, priscive Quirites,
Aut arti egregiæ, aut opibus cessisse Latinis.
Mirentur taciti. Nàm quà tu lumina voluis,
Subiectæ Aurora collucent omnia donis.
Hùc Indus gemmas, hùc Ganges præbuit aurum.
Nil prima arte vacat; seù picto animosa colore,
Seù viua Eoo spirant simulacra sub auro.
Parietibus quoque vita suis; ipsique tapetes
Vero venatu, veris latrare Molossis,
Et viui apparent lacerari morsibus Apri.
Nusquàm ver, nusquàm Zephyris felicibus aura,
Flosuè æternus abest, aùt fonte educta perenni
Aeriùm saliens arguto murmure lympha.
Hæc postquàm propiùs miratus Regia tecta,
Primasque Hesperiæ lustrasti ex ordine sedes,
Primorum Italiæ ingenti deductus honore
Regales Arces, Augustaque mænia linquis.
Iàmque iter ingrediens rursùs per nota viarum
Procedis spatia, ac præruptæ saxa Pyrenes,
Infusamque iugis hyemem, nimbosq; sonantes
Aereo ascensu superas, passimque recursant
Iidem syluarum tractus, iisdem obuia ripis
Flumina. Aquitanis iàm rursùm collibus arces,
Et caput ipsa loci magno prætenta Garumnæ
Burdigala apparet miti placidissima Cælo,
Vrbs antiqua opibus florens, ac vbere gleba.
Tùm latices iterùm Rhodani, Taurinaque lætus
Aspectas Regna. Hinc patria te maximus unda
Accipit Eridanus. Post Thuscis redditus aruis;
Dùm fors Alphæos brumali sydere saltus
Venatu exercet, Cæli est dum cura salubris,
Tyrrheno Regi Pisarum mœnibus altis
Te magno Hesperiæ cumulatum sistis honore:

SAN-

SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIAE

Inceſſus ad templum Feſto Purificationis ſuæ die cum aliquo tunc viuendi deſiderio celebratus.

OBuia tota veni Solymæ formoſa Iuuentus,
Voſq; omnes caſtæ Matreſq; nuruſq; venite,
Et tota aereo Carmeli à vertice Pubes
Appropera, thalamis Virgo iàm Regia prodit,
Iàm graditur, propiùſque optata affulget imago.
Vt Cæleſtis honos per lumina caſta Iuuentæ
Emicuit, lætiſque procùl fulgoribus ardet!
Sic ipſa exoritur fuluo pulcherrima Gange
Aurora, & primis immittit lumina terris.
It Virgo, geſtatque ſinu, ſua gaudia, Prolem;
Nèc Pueri riſus, nèc Matris baſia ceſſant.
It Senior lacrymans, Diuique Auguſta latentis
Ora notat, tacituſq; immenſum Numen adorat.
Quàcumq; ingrediens Genitrix veſtigia ducit,
Intuituſque monet, viſu lætabile monſtrum
(Dum mæſti ſquallent hyberno Sydere campi)
Spontè ſua tellus flores reuireſcit in omnes,
Vallibus & virides redeunt, & collibus herbæ.
Ipſa etiàm platani, palmæque virentis Idumes,
Ceù geſtire velint, demiſſo vertice nutant,
Omniſque affulget facies lætiſſima rerum.
Quò mihi Iordanis lònginquo elaberis amne?
Cùr fatale ſolum, nèc flumina tanta videre,
Nèc licuit Solymis exciſa è rupibus antra
Aſpicere, & nati prima incunabula Diui?

Si mea Cœlicolæ sub tàm felicibus annis
Fluxisset quondàm primæ lanuginis ætas.
Vos, Superi, testor, vos tanti conscia Partus
Sydera, sacrati primùm penetralia tecti,
Lapsa licèt monumenta, licèt sint pendula saxo
Rudera, sitq; quies Solymis nocturna colonis;
Ipse tamèn sacro pectus succensus amore
Humectans lacrymis, humectans omnia fletu
Lustrassem supplex; nèc non pia basia libans
Hæsissem amplexus postes, amplexus & antra.
Tùm quo Memnonij venissent Sydere Reges;
Quæ pietas augusta Viris, quæ Regia Proli,
Quæ Matri ferrent Nabathæi à finibus Indi
Munera; tùmq; habitus, proceraq; corpora Regũ,
Et coràm Eoos licuißet discere vultus.
Tùm quà iuit Genitrix, quà scandit in ardua
Templa,
Ipse viam Tyrio si murice, sique smaragdis,
Nèc gemmis possim, nèc picta insternere veste;
At saltèm viridi ramo, palmaque virente
Sparsissem, lætusque legens vestigia Matris
Ingenti Solymas testarer voce per omnes.
Iàm promissa salus per magnæ fœdera Gentis,
Per magnos Atauos, & prisca oracula Diuùm,
Isacidum fines, dilectaque respicit arua.
Quam coràm aspicitis Deus est hæc Regia Proles:
Hæc etiàm Genitrix magnis à Regibus orta
Nunc sua Templa subit. Vos sons absistite vulgus,
Et casti subeant casta cum Virgine coetus.
Tuque adeò longæue Senex, templique Sacerdos
Nèc latices affer, nèc dic lustralia verba.
Non iubar est Phoebi, non Lunæ purius astrum
Dùm formosa nitet, dùm toto candida vultu
Haud

Haud sinit in tenebris funestā horrescere noctem.
Non macula est Matri, priscouè à crimine labes.
Hæc ego, si vitam tunc ducere fata dedissent.
Nunc animus solus, nunc solaque vota supersunt.
Tu Genitrix animum, tu sola amplectere vota.
Sique parum fas est Cœlestia Sydera linqui,
In tua templa veni, quæ nunc fumantibus aris
Et thure, & festo latè cumulauimus igni.
Ardent mille faces, ardent tibi lumina mille.
Te veteres tenebræ, victi te limen Auerni,
Te Manes, cæcumque Chaos, te luridus Orcus,
Et pauet horrenda septus caligine Pluto.
Per te prima salus, per te lux Dia refulsit,
Lux Dia de luce fluens; hanc cernere Cœlo
Da Genitrix lucem, da Sydera sancta subire.

SOLEMNITAS
INVENTÆ CRVCIS.

Helena sic Filium Cæsarem Constantinum affatur.

EVenère. Altis respondent Sydera votis.
Post Solymas arces, & culmina sõtis Idumes
Lustrata, & quicquid Diuino flumine lambit
Iordanis, seù quà Libani de fontibus exit,
Exiguusque secat diuisis auia cedris,
Seù quà raucus abit iàm toto maximus amne
Phenicum in pelagus, seque vndis spumeus infert.
Post prisca Isacidæ regnata nepotibus arua,

Post

Post adyta, & sacris penetralibus abdita latebris,
Hæc tandèm humanæ monumenta optata saluti
Eruimus Nate, & toti sua reddimus Orbi
Pignora, queis lethum, queis vis concedat Auerni.
Hìc nūc flecte aciem, viden hæc carchesia ligni?
Hìc chalybi immani locus est, dùm brachia fixit,
Et subtùs sacro rorarunt sanguine dumi.
Ista rigens moles, & acuta cuspide ferrum
Heroi vinxit crudeli vulnere plantas.
At mæstum ingemuit sub sacro pondere robur,
Nutauitque arbos ferre indignata Tonantem.
Hìc paliurus adest, hìc sæuis aspera dumis
Vincula, quæ Iuueni Diuum caput, oraque tota,
Totaque membra atro latè aspersere cruore.
Hæc demùm effigies, quæ toto splendida Cœlo
Emicuit, tristesque metus tibi sustulit omnes,
Cum iàm tota acies strictis mucronibus horret,
Aduersæque omnes collidunt Marte phalanges;
Hocque vno in Signo vicisti prælia Cæsar;
Et rupes Tarpea tibi, tibi maxima Roma
Paruit, & gemino quicquid Sol aspicit axe.
At Tyberine tuo Maxentius occidit amne,
Oblatisque Aquilis sese agmina pallida dedunt.
Quàm multa Ausonijs hæserunt impia ripis
Funera, quàm multa in syluis iacuere Sabinis,
Quæ fuga non potuit tristi subducere letho!
Sit fili Cesar (nàm summi Numen Olympi
Annuit) hæc omni lustris venientibus æuo
Fortunata dies, sit totum sacra per orbem,
Illiusque velint nostri meminisse minores.

SAN-

SANCTVS RAINERIVS

In Palestina sic octo homines Religiosos peregrinos initio affatur, post vnà illi octo hospites vno, eodemq; pane læti vescuntur, idemq; nulla parte imminuitur panis.

Iam Solymas omnes, summi & cunabula Regis,
Tùm latè sacrum frondoso vertice collem,
Ac iuga vidistis, queis olim cæde sacrata,
Et Dio aerea maduerunt sanguine rupes.
Vidistis sedes, & limina Dia Sepulchri,
Quà nunc Europæ, Lybiaque, Asiæque sacratis
Munera fixa tholis; propiùs quà vota, precesque
Nunc prono Genitor, nunc audit Numine Proles.
Vidistis Libani gemino quà gurgite manat
Iordanis Pater, humentum Regnator aquarum,
Et quicquid spatijs ingentibus ambit Idume.
Hùc fessi Iuuenes (medio nàm maxima Cœlo
Acta dies flagrat) paulùm succedite tecto,
Dùm radij tristes, & lux accensa remittit,
Et facili mecum iàm nunc assuescite victu.
Sic ille. Vmbrosa se quisque sub ilice fundit.
Quas epulas, dulcesuè dapes hìc forte requiris?
Hìc nulla hospitibus Solymo conuiuia luxu,
Atra Ceres, ciner esque suprà, supràque fauillas
Durata exiguam in molem, qua vix satis vni
Sit sua victa fames, & amor compressus edendi.
Hac omnes epulæ, dapibusque hæc tota futuris
Pompa iacet, stratis hæc omnia fercula mensis.
Hic longa esurie, longisque exercita curis
Bis quatèr herbosis discumbunt corpora lectis.

It

Iàmque omnes vesci, certatìm parua per omnes
It diuisa Ceres, iàm libant munera cuncti,
Iàm sua cuique fames, omnisque extincta cupido
Vescendi cessit. Dictu at mirabile monstrum!
Ipsa Ceres totiès conuiuis omnibus vna
Libata, & toties in frusta, & frusta resecta
Integra tota manet, ceù nulli obnoxia tactu.
Est eadem moles, nihil omni à parte recessit.
Tanti est Rainerii castis accumbere mensis.

APPENDIX

AD

ALPHÆAM PANEGYRIM.

Siuè de aduentu S. Petri Apostolorũ Principis in Italiam, ac prima ara in littore Pisano erecta. Itẽ de Sãguine S. Clementis Papę, & Martyris, item de S. Perino primo Episcopo Pisarum.

Inducitur SS. VIRGO DEIPARA hic etiàm (vt in Alphæa Panegyri fecit) cum S. Torpete Pisano, qui sub Nerone passus est, in Cœlesti specula loqui, & hæc loca Pisana monstrare.

HVc quoq; nã tanti est, Alphea ad limina ripæ
Intuitus flecte. Vt latè pulcherrima ponti
Occurrit facies! iuxtà densissima myrtus
Omne amplexa tenet littus! tenet omnia circùm
Aereis ramis, viridique vmbrosa recessu
Sylua!

Sylua! viden? fluuio mediam secat Arnus ouanti,
Inque altum pelagus cum flaua erumpit arena.
Hùc Summus Præses, rerum cui prima sacrarũ
Incubuit moles, monitis ingentibus actus
A' Syriæ ripis, & magno venit Oronte;
Auspiciisque altis ipso sub littore ponti,
Italiaque aditu primis altaria ripis
Prima locat, primam de marmore substulit aram
Pro magna Hesperia votum, magnaque serendæ
Relligione, alto quæ demùm affulsit Olimpo,
Quæ modò suppliciis, Dioque imbuta cruore
Viuit iò, & geminos Mundi procul ibit in axes.
Hinc Pisis laus prima tuis, primusq; manebit
Semper honos, fidei quod lumina prima recepit,
Prima hausit, propiùs totum nunc despice littus.
Hìc antiqua silex, hìc stuppea vincula proræ
Adnexa, & tuto quondàm stetit æquore cymba.
Hìc remi; hac Senior defessus rupe sedebat;
Hàc quoque selecti comites, dùm iussa Tonantis
Alta canit, totumque Genus iàm labe remota
Adscribi Superis, meritisque ad celsa vocari
Sydera, quæ socios maneant certissima Nati
Præmia, quæque Viros fortuna, laborque, ferendæ.
Littorei hìc olìm fastigia maxima Templi
Educent Cœlo, subque ignea Sydera tendet
Aspectu aereo moles, quæ plurima toti
Immineat syluæ, quæ toti plurima ponto.
Quas sedes Clemens procul à Tyberinide ripa
Æthereo ablatus nutu, Dioque per auras
Prodigio vectus sacris lustralibus olìm
Imbuet, Heroique sacro sacer ipse dicabit
Heros, cui similis terræque, polique potestas.
Ast opere in tanto dùm sacris ritibus instat,

Aræ

Ara sacratum marmor ter sanguine tinget,
Terque latex viuo vestigia viua cruore
Signabit, veniens quæ nulla aboleuerit ætas.
Quàq; modò est pelagus, quà tēdunt vela carinæ,
Et sæpè horrescit dubijs Aquilonibus æquor;
Hæc olim ingenti mirabere cærula luco
Mutata, & densis frondescere cuncta salictis;
Et stare annosas viuaci robore quercus.
Tantum longa dies, æstusque aduoluet arena;
A' que mari mare sensìm, à littore littus abibit.
Nunc etiàm Alphæis Diuina augescere Pisis
Incipient Sacra, & sacro tutamine condi.
Tuque adeò prima cape nunc ab origine Patrem,
Qui primus populos, primus tueatur & aras,
Primus & à summo lectus Pastore Quiritum.
Nàmque senex Heros odijs agitatus iniquis
Dùm vis sæua premit, dùm Cesaris ira minatur,
Nèc sua finis adest; nèc adhùc fas vltima lethi
Supplicia, & summos pro Nato explere labores;
Heù mæstis socijs Tyberina mæstus ab Arce
It profugus Pisas, & mænia prisca reuisit.
Dùmque ardens animis Diuina oracula pandit,
Rursùs sacra docet, rursùs Cælestis Olympi
Limina, quæque pios maneat post funera merces;
Hìc Iuueni insigni primæua à labe Parentum
Adnatam labem lymphis lustralibus aufert.
Olli mox Heros hæc munia tanta merenti
Donat habere decus Pisarum, Arasque tueri.
Æterno Alphæi Perinum nomine dicent;
Cui quoquè Tyrrheno constructa è marmore tēpla
Aspicies, festisque dari solemnia sacris.

CHRI-

CHRISTIANO HOSPITI

De Diua Effigie CHRISTI SALVATORIS, quam S. Bona à Christo acceptam Templo S. Iacobi ad Podium propè Pisas donauit.

QVam radijs, Hospes, Dio & fulgore micantem
Aspicis, Æthereo Effigies descendit Olympo.
Ars mortalis abest, Cœlesti animosa colore
Tota viget, tota ingenti se Numine prodit,
Nec sinit ipsa sui Authorem latuisse Tonantem.
Vt placidè trahit, & placida formidine terret
Spectantum intuitus, ipsisque aspirat amorem,
Lætitiamque metu! Se Dio hìc reddidit ore
Maiestas Dia, & talem mortalibus offert.
Idque Bonæ rari monumentum, & pignus amoris,
Dat Rex Sydereus; dat post memorabile donum
His Virgo sacratum Aris; his chara reliquit,
Quæ quondàm à magno venerunt munera Cœlo.
Ah quotiès Hospes, quotiès Cœlestis imago
Est dignata loqui! quotiès, ceù Numine viuo,
Intumuere artus, radijsque ardere coruscis
Visus apex capiti! quandò hæc ad limina supplex
Se fudit Bona, se mira dulcedine Diuùm
Afflari, sensitque animo supèr Æthera ferri,
Et radios vidit trinis fulgoribus actos
Vnum ambire iubar, terrasque, Polumq; replere.
O cùr Memnonio non hìc à Gange Smaragdi
Resplendent? cùr Eois non omnia circùm
Seù gemmis, auronè nitent? hæc talia poscit
Diuinum decus, & tanta pietatis imago.

IN

In Concionem habitam Pisis
A' Clarissimo Oratore
MARCO ANTONIO BOSSIO
Patritio Mediolanense è Societate IESV.

Super illud. *Diligite inimicos vestros.*
Inimicitiæ deletæ, & delendæ loquuntur.

Vincimur. Heù Stygij nequicquã robur Auerni,
Nequicquàm Eumenides, ipsumq; Acherõta Parentem
Insanæ totiès toto iactauimus Orco.
Sæuis nil odijs prodest, nil tristibus iris
Incendisse animos, atque impia pectora fastu,
Et rabie immani, curisque atrocibus acta
In præceps rapuisse nefas, & in horrida dictu
Crimina; nil sontes sæua expendisse malorum
Supplicia, & vano venisse ad Tartara luctu.
Nàm qui nunc orat Ticini à littore Vates
Nos perdit miseras, & cuncta extrema minatur,
Nì fugimus victæ, nì toto excedimus Orbe.
Olli nàmque Viro Cœlesti imbuta vigore
Stat vis eloquij, stat miraque copia fandi,
Diuinusque ardor, seù dictis mitibus instat,
Seù placidè carpit, seù sacro fulmine sæuit,
Increpitatque iras, & nescia pectora flecti;
Quà libuit, trahit ille animos, ducitq; volentes.
Nos labem rerum, totis nos impia terris
Monstra canit, Stygio queis nil sit dirius amne
Emersum, queis nulla lues sit tristior orbi.
Nos consanguineis maculasse in cædibus arma,
Et totiès patrio sæuos sparsisse penates
Sanguine, nos ipsos armasse in prælia fratres;

Et

Et tota cum stirpe domos vertisse superbas.
Nos magnis crebrò populis, ac Vrbibus altis
Excidia, & tristi cladem mouisse Gradiuo.
Quin nostris studijs quondàm pulcherrima Regna
Deleta, & summam fati traxisse ruinam.
Talibus incendens animos, & pectora dictis
Iàm placidas ducit mentes, odijsque sepultis
Vnanimam à Superis pacem, mitique Tonante
Tùm mites curas, ac lenia poscere corda
Hortatur, monitusq; sacros gens tota sequuta est;
Famaque multà Viri toto iàm diditur orbe.
At nos heù victæ sub Tænara labimur atra.

In Concionem habitam Pisis
A' Clarissimo Oratore
THOMA DE FRANCHIS
Patritio Genuense è Societate IESV.

Animæ in Purgatorio detentæ loquuntur.

SI qua manet pietas, & adhùc mortalia tangit
Si quis corda dolor, si quid suspiria possunt,
Sacrati si quid gemitus, luctuque supremo
Si mens ægra potest, si mille doloribus ægra,
Et nostra audiri possunt lamenta sub auras,
Vos ò Mortales, quos nedùm funere mersit
Sũma dies, nèc adhùc dulces mors abstulit annos,
Hùc pia votiuis suffragia mittite sacris.
Est infrà Oceani secreto gurgite fluctus
Terrarum medio spatijs immanibus horrens
Spelun-

Spelunca, atrata circùm caligine septa,
Circùm aditus dira excubiæ; dira agmina ferro
Circumstant postes. Intùs se tota vorago
In triplices findit non vna ambage recessus.
Ima tenent sontes, queis non datur exitus, vmbra,
Summa animæ pullis lustratæ corpora lymphis;
At media indomitis ardent latè omnia flammis,
Venti ignoti habitant, nimbique, geluq; niuesque,
Et sæua vltrices posuere cubilia pœnæ.
Hac nos mærẽtes Animas domus horrida claudit,
Hìc nos pœnarum facies haud vna fatigat.
Vsquè aliјs, aliјsque nouis cruciatibus acta
Eluimus vita delicta antiqua prioris.
Nũc omnes artus, nudæ nunc omnia membra
Horrendis flammis, horrendo cingimur igni,
Perque æstus diros nos sæua incendia voluunt.
Nunc vinctæ in piceo flagranti vndamus aheno,
Sulphureusq; latex à membris membra resoluit.
Nunc tota obruimur glacie, niuibusque sepultæ;
Tùm nudæ ad ventos, nudæ pendemus ad imbres.
Deficimus. Tu magne Ligur, laus inclyta Vatũ,
Quæ nos præ luctu tormenta infanda silemus,
Omnia tu memores, nàm dulci munere fandi,
Et vi flexanima potes omnia corda mouere.
Tu monitis sacris victa in præcordia tendis,
Demulcesque animos, ducisque, trahisq; sequentes.
Dic consanguineis, queis omnia liquimus, & queis
Plus vita fuimus caræ, dùm vita maneret,
Placent, hac summa est, precibus, votisq; Tonantẽ.

In Concionem habitam Pisis A' Clarissimo Oratore IO: BAPTISTA CRICELLI E' Societate IESV. Super illud *Memento homo quià puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Animæ Fideles Christianum hospitem oblata inspectione Sepulchri ad sanctè viuendum inuitant.

HÆc moriture Hospes fatali inscripta quieti
Marmora mæsta vides? hìc olìm exanguia membra,
Et gelidos artus intèr suspiria flentes,
Intèr singultus cari posuere propinqui.
Nunc asta propiùs tumulo, marmorq; reuolue;
Aspicis? vt tota in cineres subsedit imago?
Vt nulli nexus membrorum, membraque nulla
Apparent vsquàm? iàm dura nèc ossa supersunt?
Vt species omnis ceù mæsta euanuit vmbra,
Et totum exiguo latet hoc in puluere funus?
Nempè informe lutum genti primordia nostræ
Præbuit, hùc Diuùm omnes lex, hùc fata reuerti
Imperiosa iubent. I nunc, & concipe fastus;
Nil animo ingenti, votisque ingentibus absit.
Sis Rex, sis Cæsar, sis toto maximus Orbe,
Et quicquid gemino Titan despectat ab axe
Solus habe, serisque annis quoquè Nestora vince,
Mens nunquàm curis, aùt sit mæroribus ægra,
Ac tua sit nullis ætas obnoxia morbis,
Et tantùm placidos ad gaudia læta voluptæ
Aspicias nasci, aspicias occumbere soles.

Ah

Ah miser! obrepet post hæc tamen omnia fatum;
Et te iam funus, iam triste exangue cadauer
Sera licet sero condet Libithina sepulchro.
Quemque leuis rapiat ventus, quem dissipet aura,
Exiguus fies à toto funere puluis.
Quin audite Virum, quem nunc huc Regia misit
Parthenope, quem clara tulit Messapia Ciuem,
Mortalem quamuis, nil hic mortale canentem.
Sydera sola Homini, sola aurea limina Diuùm
Affectanda docet. Se mens, se viuidus ardor,
Sacrumque eloquij robur, visque incita fandi
Huc tota accendit, totis huc nisibus instat.
Iàmque animos segnes, & inertia pectora ducit:
Et trahit, & flectit placidis hortatibus omnes.

Academia Pisana
In Funere Illustriss. & Clarissimi Viri ZENOBII DE GIROLAMIS Equestris Ordinis S. Stephani, & Ludi Pisani Auditoris dignissimi sic queritur.

SCilicèt æternis lacrymis, luctuque supersum
Celicolæ? nostronè iuuat suspiria luctu,
Et totiès mæstis lamenta audire querelis?
Iàm lacrymis exhausta suis præcordia, iàmque
Nequicquàm mæstos optant mea lumina rores,
Et tristi gemitu, & singultibus interrumpi
Vox afflicta velit, si vox afflicta sequatur;
At miseræ magno desunt alimenta dolori.
Quæ Superi rursùs premit inclementia fati?

Illa ego Natura, & gemini laus inclyta Phœbi,
Et decus Ausoniæ Themidis, decus ipsa Mineruæ
Cecropidis, Superisque domus gratissima Musis,
Spes querar elusas, & tot mea vota, precesque,
Irrita Achæmenijs effudimus omnia ventis?
Quas grãdes animas, quas nõ defleuimus vmbras!
Bis nunc inferias, & tristia dona sepulchri
Præsidibus binis posita persoluimus ara.
Et tibi Victorj lugubri pompa paratu
Aereis congesta tholis stetit ardua moles;
Teque Arnus vitrei fleuit sub gurgite tecti,
Te Nymphæ in viridi fleuere & margine ripæ;
Fleuerunt colles, fleuerunt vndiquè valles.
At Vir successit, simili cui pectus amore
Deflagrans Æqui, nullisque addicta parandis
Mens opibus, proprio felix, & prodiga censu,
Zenobius Sancta Heroum de stirpe creatus.
Hoc Duce iàm totos tangebam vertice Cœlos,
Et geminos ibat mea didita fama per axes.
Meque Caledonio diuisa Britannia ponto
Hinc procùl obstupuit, procùl hinc me Betica tellus,
Eoæquè domus, nèc non qui plaustra Bootæ
Aspiciunt propiùs tàm pigris acta iuuencis.
Quiq; Istri, Rhodaniq; bibũt, aùt flumina Rheni
Et quæcunquè alibì gens sacro accenditur igni
Aonidum, Phoebique volens amplectitur aras.
Per me læta nouis ardet nunc ignibus Æthra,
Et sua Tyrrhenis lucent noua Regibus astra.
Iàm latebris Natura caret, Verumq; latère
Desijt, & rebus sua nunc affulget imago.
Nos proprias vacuo sedes, dedimusque penates,
Et placita Argiui quoquè densa elidimus aui.
Iàmque altis animis, & nostro Numine Regum

Incita Sydereos tentabam tota recessus;
Tota nouum decus, & magni noua præmia captis
Cum mors crudelis, mors lætis inuida curis
Te mihi Girolami viridi florente senecta
Abstulit, heù magni columenque, decusq; lycei,
Præsidiumque ingens! tali quoq; funere mersam
Me Lachesis, me fata premunt. Vos Numina saltē
Flex sset pietas, sacroque à sanguine ducta
Flexisset Domus! est vestrum super Æthera Virtus
Nota Viri, est animus, quo non seruantior Æqui.
Quo luctu abripimur? stat lethi ferreus ordo,
Stat series fati. Cæca omnibus imminet annis
Atropos, & morimur quicquid mortale creamur.
Nec tibi iàm Superis, sanctoque accepte Senatu
Cœlicolum aùt gemitus, aùt sunt suspiria cordi.
Tu paritèr Cœlo, paritèr tellure beatus
Viuis adhùc, latoque hac omnia despicis axe,
Nec nisi cum summo tua fama intercidet æuo.

In Disquisitionem Anatomicam in celeberrima Academia Pisana factam ab EXCELLENTISSIMO DOCTORE LVCA TERENTII Anatomen hoc Anno profitente.

SIquis ab Elysia datur hùc excessus arena
Pergamei Cineres, & Coi assistite Manes.
Vos quoquè, queis tristi squallentia funera tabo
Exanguesque artus, aùt letho frigida membra
Non horror tractare manu, non tota subire
Visce-

Viſcera, non latebras omnes, dùm pulchra cupido,
Quid ſimus, nouiſſe monet; vos hìc quoquè denſi
State Viri, & totum percurrite lumine corpus.
Plùs aliquid priſci quod non videre Pelaſgi,
Quod nequè Philliridi quondàm natura recluſit,
Quondàm Phebigenæ quamuìs felicibus herbis
Theſidæ attonitis reuocauit funera Parcis;
Et charæ in ſyluis comitem dedit ire Dianæ.
Hìc vigili cura culti mens alta Terentj
Attulit. Hìc tandèm proprijs ambagibus ire,
Circuituque ſuo venas errare per omne
Aſpicimus corpus; ramoſaque brachia latè
Hinc, atque hinc alijs, alijſque meatibus abdi.
Iàm nèc iners, nèc pigra quies diffuſa rubeſcit
Venis, nàmque rapi ſanguis, voluique perenni
Ardeſcit motu, nèc Cœlo ſegniùs ire.
Idem abit ipſe ſibi properans, properanſq; recurrit,
Inque ſuum ſemper labens conuoluitur orbem.
Tùm primam ſedem, primoſque in corde penates
Conſtituit. Iecori bilis purganda ſuperſit.
Nunc oculis ſua mira domus, ſua Regia ſedes
Altior effulget gemino collecta ſub orbe.
Ipſo veſtibulo quæ ſint cuſtodia tecti
Bina vtrimque genæ cilijs armantur obortis,
His aperire datum, ſeù claudere limina Solis,
Tutarique larem, ſi vis externa minatur,
Si ventus, puluiſuè, aut ſudans labitur humor.
Interior ſedes in ſena volumina tendit,
Queis propriæ vires, & ſint ſua munia curæ.
Hæc circùm triplici dimanant flumine riui.
Hìc claro latici, tumidæque ſimillimus vndæ
Exultat ripis. Alter ceù monte niualis
Criſtallus riget, & denſo ſtat lucidus amne.

Vltimus est maior flammisque, ignique soluto
It similis vitro, lymphisque tenacibus errat.
Hi miro intèr se studio, miroque labore,
Temperie mira lucisuè, aureuè tenorem
Accepta exercent intùs, radiosque refringunt,
Vt res quaque suo spectetur tota colore.
Halitibus gelidaque aura, vocique, sonoque
Pulmo datus, cordi ventosis imminet alis,
Nè labor æternus, nè vis immensa caloris
Angat, & in medijs suffocet nisibus ægrum;
Nàmque nouos cor usquè haurit, cor vsq; remittit,
Quos motu assiduo perfecit sanguine riuos,
Conuoluitque agitans propriæ sub turbine molis.
Hæc Vati tentasse sat est. non tota recludi
Se numeris Natura sinit. stat meta canendi.
Ipse sinus pandet, latebrasque Terentius omnes,
Naturæ, & gemini qui nūc noua gloria Phoebi est.

Illustrissimo, ac Clarissimo Viro
FRANCISCO REDI
Serenissimi Principis Ferdinandi Secundi
Magni Ducis Hetruriæ Archiatro, vt se
Ægidij Menagij Viri Clarissimi
amicitiæ insinuet.

O' Cui Pegasides nunc regna per Itala Diuæ
Dāt plausu Argolico, plausu & florere latino,
Iàmque etiàm viuax numeris Tyrrhena solutis,
Vinctisuè in serum facundia nectitur æuum;
Cui Pater ipse dari geminos nunc Phoebus honore[s]

Sponte

Spontè finit, finit ipsa suis Natura latebris
Se totam educi, clarique ad limina Veri
Protractam errores haùd iàm celare vetustos.
Cuique ingens Ferrans, quo nunc Hetruria Rege
It latè felix, it & omnibus æmula sæclis
Mira laude Virum, & rebus cumulata secundis,
Nunc se, vitalesque annos, æuumque salubre
Tutandum dedit, & Pylioquam longiùs æuo
Produci certatìm omnis cupit Ausonis ora,
Certatìm Europe dat custodire salutem.
Si quicquàm à curis, & Thusco Rege vacatur;
Et nunc chara subit fors omnis Gallia Redi.
Hinc tibi Sequanici latices, hinc limina Regis
Borbonij, quæ tota nouo nunc sydera fastu
Attingunt, nimbosque suprà, supràque niuales
Ventorum sedes, & diri fulminis arces
Attollunt placido penetralia dedita Cœlo.
Hinc culta sedes, cultique errare penates
Haùd animo cessant, haùd hospes cessat imago
Magna Viràm, casto quos istic fœdere tecum
Iàm diù iungit amor, iungit par gloria Phœbi,
Par studium exercet, par grandi didita plausu
Iàm fama attollit sero victura sub æuo.
Si nunc æternis aliquid molire Camænis,
Quod tuus ille amor, & magni spes altera Phœbi
Menagius legat Aonidum cura alta Dearum
Menagius, nostrique ingens nunc gloria sæcli.
Quo passim vnanimis nunc tota Europa superbit
Læta Viro, priscas artes, priscumque decorem
Qui Romæ antiquæ reddit, qui reddit Athanis.
Tùm Thuscas Charites, Veneresq; omnesq; lepores,
Ceù media Ausonia natus, Floraque sub ipsa,
Exprimit, ac Itala sua dat cunabula linguæ

 Gallus

Gallus, & attonitos Floræ nunc ducit alumnos.
Si fas est, Redi, si non indebita posco
Huic tu me propiùs, propiùs me pectore toto,
Me totum tanta incensum virtutis amore
Dede Viro; extremis sinat hoc quoq; nomen amicis
Quale, ac quale addi. Non me trabeata superbis
Sors illustrem atauis, opibusuè attollit auitis;
Sed tenui censu, sed honesto sanguine cretus
Qua Tenaræ latices, Scaldisq; æterna fluenta
Oceano certant mixtos euoluere fluctus,
Tentaui Aonides puer, & crescente iuuenta
Me Grudiæ tenuere Arces, me Gallica regna,
Nunc Arni ad ripas fouet ora Hetrusca docẽtem.
Sique ætas curæ est, si quot iàm viximus annos?
Lustra nouem, binasq; hyemes complectimur æuo.
Sum casti obsequij, casti sum cultor amoris;
Nèc pigra officijs, nèc mens ingrata colendis,
Mens alacris, mens fida, & nudum pectus Amicis.

Illustriss. ac Generosissimo Iuueni
EQVITI FRANCISCO MARIÆ
MICHELOZZI
Patritio Florentino, dum in Pisanis Comitijs
Equestris Militiæ S. Stephani
Vexillum præferret.

Ipsa Religio Militiæ Equestris loquitur.

O' Qui Tyrrhenæ surgis spes alta iuuentæ
Blande Puer, patriæ qui laus pulcherrima
Floræ; Ma-

Magnanimumque genus claris Heroibus actum
Iàm prima spiras nedùm lanuginis æuo ,
Et totum Heroa promittis imagine Patrem.
Dùm mea Tyrrhenis se latè finibus effert,
Latè omni Ausoniæ tractu delecta Iuuentus ,
Omnisque æquoreo Pubes inuicta Gradiuo
Has nunc Alphæas certatìm accessit ad oras,
Immineatque Equitum magnus de more Senatus.
Hæc tu Tyrrheni fer celsa insignia Regis,
Hoc ego præclaro iàm nunc te dignor honore.
Nàm nequè me latuit tènero quid viuida virtus
Iam tua deflagrans animo , quid patrius ardor
Spondeat , & faustis acta in penetralibus ætas;
I Puer , & primo iàm nunc assuesce decori .
Tempus erit Nomadum quo te ductore carinæ
Ad Maurum vertent fugientia carbasa littus ;
Quo Lybicum tendes victrici classe per æquor,
Captiuasque rates, & barbara corpora Thracum,
Et priscas Atlantis opes , gazasque superbas
Victor nauali præcinctus tempora lauro
Hetrusco Regi Tyrrhena ad littora sistes .
Hæc olìm . Captis tu nunc felicibus insta:
Dùmque ætas primæua sinit, dùm pulchra iuuenta
Iàm , iàm maturis paulatìm allabitur annis ,
Egrègias animum iuuet excoluisse per artes,
Musarumque domos , & Graium Helicona subire;
Hìc nàmque æterni quoquè fama acquiritur æui.
Sitque altæ laudis , sit honesti sola cupido ,
Solaque sit magnum cura expressisse Parentem.

De Illustriss. ac Generosissimo Iuuene
DOMINO PHILIPPO MARCHIONE CORSINIO
Academico nouo sibi gratulatur Hetrusca Academia Pisana.

QVæ mihi Pegasides, quæ Diuũ munera fertis?
Vix ego sim tanti si me quoq; sylua sequatur
Ismaris, & Tyrias iubeam discedere cautes,
Et rursùm Ogygijs reddam sua mœnia Thebis;
Orphea si superem cantu, si flumina rursùs
Ipsa morer, rursùs fidibus volucresq; ferasque
Seù gelida Rhodope, seù ducam rupibus Hæmi.
Scilicet ò Diuæ quem vos sub Phocidis vmbra
Sub platanis Puerum Clarias aluistis ad vndas;
Hìc, inquam, Heroum Sanguis, Corsinia Proles
Iàm primis annis, læta & florente iuuenta
Insignis, magnæ qui nunc laus inclyta Floræ,
Qui decus Hetruscæ Pubis, qui gloria Pindi,
Celsosque Heroes patrijs Virtutibus æquat,
Hic modo noster erit? quãtus nunc vndiq; plausus!
Quantaq; nunc tali me fama manebit Alumno!
Qualis ad Alpheũ (nos vndè abducimur) amnẽ
Elide Pisea Pubes certauit Achiua,
Magnaq; cum Graio celebrauit Olympica plausu.
Talis ego posthàc stimulis agitata superbis,
Et Graijs Proauis, & clara laude meorum
Sacrata Hetruscis statuam certamina Musis
Annua, brumali dum Titan labitur axe,
Et Rex Tyrrhenus sua mœnia prisca reuisit.
Hìc Arni ad latices viridante crepidine ripæ
Certatìm alternis Pubes instructa Camœnis

Aùt

Aût Pelopem, Pelopisque rates, aût hæc noua dicet
Vt primùm Argolicis Vrbs sit fundata colonis;
Aût Solymas Arces, aût Sardi littora ponti
Victa canet, geminiuè feret supèr Æthera Cosmi
Et decus, & nomen, quæ nulla obliteret ætas;
Seù gemini Ferrantis opes, & martia facta,
Et formidatas Lybiæque, Asiæque carinas.
Ipse intèr Proceres Phoebi, Lectosque Dearum
Primores etiàm palmæ Corsinius omnis
Arbiter Eoo sedeat spectandus in auro.
Post ego victori, quæ sint sua præmia cantu,
Barbita bina dabo gemmisque, auroque corusca.

Eadem Academia

Illustriss. ac Generosissimo Iuueni

D. MARCHIONI ALEXANDRO

ABBATI COPPOLO

Gratulatur.

EST aliquid sacras animum coluiße per artes,
Ipsaque victuro tentasse obliuia cantu
Vincere, nèc Lachesi, nèc se permittere fatis.
Sed castis animis, castis conatibus astra
Moliri, tristique vrnæ, cinerique superstes
In longa egregium protendere sæcula nomen.
Hæc me cura premit, totis hùc nisibus ire
Mens animosa iubet; nèc iàm diffidimus axi,
Nèc decori, nèc quæ maneat post funera laudi.

Nàm mea magnanimis ſe ſpes attollit alumnis,
Pronaque ſe Muſis offert felicibus aura,
Atque adeò auſpicijs lætis, cæptiſque ſecundis
It mea nunc Italas Virtus ſpatioſa per vrbes.
Quìn ſtirpe Heroa, quìn alto ſanguine cretos
Dat ciues, culta dat lumina prima iuuenta
Regia Flora ſua; noſtri tu maxima Phœbi,
Maxima Pegaſidum ſalue quoquè cura Dearum
Coppole; te numero libet inſeruiße meorum;
Non quià te ſanguis celſis natalibus effert,
Aſt animi rapuit quod me tua viuida virtus,
Quæ ſibi ſe debere cupit, quæ vindicat vni
Se totam ſibi, nec flagrare cupidine recti,
Nèc pulchra incendi ceſſat iàm laudis amore;
Et magno ſurgit, creſcitque ſimillima Patri.



In Syntagma de Cometis
Et duobus nuperis, qui 1664. & 1665. apparuere,
AB ALEXANDRO MARCHETTI
Oculatiss. Philosophiæ, ac Matheseos interprete ordinario in Academia Pisana Philosophiæ Lectore elucubratum Carmen de natura Cometarum.

Recensentur initio diræ prædictiones, quales ab Astrologis iudiciarijs solent in vulgus ad timendum omnia, & credendum procliue spargi, quibus, vt vanissimis, credi non debet.

QVid trepidi rerum noua fata imponitis axi?
Quæ vultu atroci, quæ diris horrida flāmis
Æthereo canitis portenta rubescere Cœlo?
Ire Polo dirum Sydus, crinesque, iubasque
Ferali incendi flamma, spargique cruore;
Et (visu horrendum) læuo per Sydera tractu
Sanguineæ ferri porrecta volumina caudæ?
Nil lætum signis promittere talibus Axem.
Sat notum attonito quas clades nunciet Orbi,
Quicumque infausto semèl arserit igne Cometes.
Vt noua nunc latè strages, nouus vndiq; Mauors
Immineat campis, & tristia suscitet arma!
Vt nèc læta seges sulcis pubescat aratis,
Nèc spes vlla auidis sit responsura colonis,
Credita nèc pigris erumpant semina glebis!
Atque adeò esuries morbique, & lethifer annus
Ingruat, & densis cumulentur funera terris.
Vt diri Cœlo lapides, horrendaque saxa

Præcipitent, tristique pluat supèr arua cruore.
Quìn latè horrifico tellus quassata tremore
Et summos montes, & magnas hauriat Vrbes.
Tùm densæ pelago seù cæca ad saxa carinæ
Seù vada, seù dubijs pereant Aquilonibus actæ.
Atque ipsi aggeribus, riparumque obice claudi
Non possint amnes; effusi at gurgite vasto
Incumbant aruis sata læta, boumque labores
Sternentes latè vndanti supèr omnia fluctu.
Heù mestam Agricolis stragem! magalia tota,
Totaque rura, pecus... ipsis latitura sub vndis;
Multa quoquè agrestum mersuros corpora fluctus.
Tùm diræ effigies terraque, paloque vagari,
Et passìm toto simulacra horrentia ponto
Cernantur, seù lux, seù nox obscura recurrit.
Desinite ò miseras tantà formidine Gentes,
Et cæcis fatis mortale inuoluere pectus.
Scit natura Parens, scit rerum summa Potestas
Quicquid erit, nil astra mali Cœlumuè minatur,
Nil quoq; crinitũ, quod nunc micat Æthere Sydus.
Quìn potiùs crinale iubar, lucemq; secundam,
Vimq; habitusq; omnes cũ primo exquirimus ortu?
Qui mos, qui genius, quæ circùm Sydera labi
Sit studium, & tenui quò desinat ire meatu?
Principio magno sunt qui coeuntia Cœlo
Astra simùl coniuncta situ dixere Cometen.
At cita deliquij ceù Luna laboribus exit,
Sic quoquè se subito subduceret igne Cometa,
Nèc fatale iubar terris ostenderet vltrà.
Hi statuunt Sydus circà Titana volutum
Exiguis radijs, nèc magnis orbibus actum,
At latitans crebrò flammisque; ignique sepultum
Phoebæi iubaris, Stella vt Cyllenia Solem

Dùm

Dùm sequitur labens, spatijsq; minoribus ambit
Sæpè latet, refugitque oculis abscondita nostris.
Ast electra eadem, similisuè, idemuè Cometes
Se monstret quandòque ortu, quandòque videndū
Exhibeat Sydus, quod adhùc caligine mersum
Delitet in toto non obseruabile Cœlo.
Tùm quoquè Phoebæo se nunquàm obuerteret axi.
At nostrum Sydus, Crinitaque Sydera sæpè
Se magno gaudent interdùm opponere Soli.
Stella alijs visa est, quæ recto tramite labens
Per vastos sinè fine Polos, per & Æthera vastum
Se ferat, & recto micet ignea tota meatu.
Sed quamuis Æther, quamuis sit vastus Olimpus,
Limitibus tamen ille suis, spatijsque tenetur;
Nec rectus motus sinè fine intenditur axi.
Præterea primo dùm lumina tolleret ortu,
Se tenui flamma, tenui se mole coruscum
Efferri Cœlo, radijsque Cometa minutis
Ostendat terris, post mole, & corpore maior
Ardeat, & totis sit lux infusa capillis;
Et rursùs tenui minor euanescat in igni.
Quæ res est mori, genioque aduersa Cometæ
Qui primis semper se grandior ignibus effert.
Cecropij princeps nemoris, Princepsque Stagyræ
Credidit errantes ingenti lumine flammas.
Verùm vbi crinitis Stellæ fulgoribus actæ
Sepè ardent, celsum flammæ non Æthera possint
Exsuperare aditu; quin subtèr limina Phoebes
Haùd durare queant, cum pinguia pabula flāmæ
Halitibus siccis, calidisque effata crementur,
Ceù subitò ruptis rutilantia fulgura nimbis;
Queuè ardente volant labentia Sydera sucoi
Hic putat è pingui cretum tellure vaporem

Immissis

Immissis radijs, immissa luce micantem,
Qui nusquàm flexus se recto ad Sydera ductu
Euehat, & proprio data cursu fata frequentet.
Sic esto in certis, non omnibus vsquè Cometis
Siuè eadem ratio, seù vis, seù causa supersit.
Nàmque suo lapsu, proprijsque erroribus acti
Vix quartum exsuperēt spatiū, quo maximus axe
Se quis per longum conuoluit circulus Orbem.
At modò crinitum se vexit longius astrum;
Longius & multi iubar euexere Cometæ.
Quid superest tandèm? quæ stat sententia Veri?
An vapòr est vastus magno qui manat ab astro,
Astrisuè exoritur multis? quemuè ipsa reclusum
Eructet tellus? Seù Sydera fixa sub axe?
Annè vnam è maculis, pluresuè à corpore Titan
Abscidit eructans, proprios quæ deindè penates
Iàm nactæ lucemq; Patris, radiosq; refringant?
Annè aliqua antiquā pars mutat in Æthere sedē,
Inque nouo iàm densa situ se reddit opacam;
Atque adeò Phoebi sic lumina tota reflectit,
Vt nobis Sydus crinito appareat ortu?
Hactenùs hæc toto quæ fiunt omnia Cœlo,
Mensq; minor, numeriq; negant tentare minores.
At vos Marchettum, qui grandi ad Sydera nisu
Totus abit, totusq; ignes scrutatur, & Astra,
Primis seque parem primis in honoribus addit,
Iàmque Galilæi sequitur, iàm magna Borelli
Ipse premit, pulchroque legit vestigia passu;
Consulite, & cultis rem totam ediscite chartis.

Cùm

Cùm supremum in Iuris Prudentia gradum in Alma Academia Bononiensi

CAROLVS DE MOLARI

Sabaudus consequeretur

RHENVS

Capta occasione à Stellis Gentilitijs Candidati, suas, & Fluminum Europæ Nymphas ad celebrandum honorem inuitat.

Dum tota in tremulis effulget Cynthia lymphis
Et strepitu leni non magnus labitur amnis,
Blandaq; nocturnis immurmurat vnda salictis.
Cæruleus Rhenus ripa subnixus, & vrna,
Rhenus, cui crinem muscosa obuelat arundo,
Cui centum herbosi fontes, totidemq; per arua
Dimanant mento latices, & pectore riui.
Dùm fortè ingenti palantia Sydera Cœlo
Obseruat tacitus, sacrisque ambagibus astra
Miratur ferri; Arctois quæ tanta iuuencis
Segnities! plaustrum qua lux tam pigra moretur!
Quid metuat tantum formosa Lycaonis æquor,
Et salso nunquàm tingat sua Sydera rore!
Hinc puppim Hæmoniā medijs fulgere sub astris
Aspicit, & lætis splendescere carbasa flammis,
Atque alia Æthereo volui nunc flumina Cœlo
Eridani, fluctusque rapi fulgentibus vndis.
Mox ignes alios prona vertigine labi,
Et toto occidua condi sub Doride curru.
Hinc verò insolitis flammis, radijsque superbis
Idalium Sydus videt Indo emergere ponto.
Claraque iàm totis immittere lumina rebus;
Diuinamq; Themin procùl alto à vertice Pyrrhæ

Agno-

Agnoſcit feſto findentem nubila curru.
Hìc Glaucus genitor, dū ſecum magna volutat
Fata Deùm, dùm venturos veſtigat honores;
Cui lux emicuit noua, cui Themis ipſa fauere
Et tali pompa, talique per Æthera plauſu
Inſtituit? magni Allobrogis tria ſuſpicit aſtra
Ingentem Aſtræam Cœlo affixiſſe micanti
Iàm veris radijs, & veris ignibus acta.
Nèc mora. Cæruleæ vos toto gurgite Natæ,
Voſq; omnes Nymphæ, queis riui, & flumina cordi,
Vos, ait, è liquidis hùc iàm concedite tectis;
Seù latus ad Rhodani, ſeù iuxtà curritis alpes,
Seù ſua Taurinis vos pinguia culta rigatis,
Seù quæ cum Tanai, gelidiuè Boriſtenis amne,
Aùt Albi, magnoque meo Genitore ſuperbæ
Effluitis Rheno, quæ Bætica raditis arua,
Diteſque Heſperio latices euoluitis auro;
Quæq; Caledonijs procùl hinc ſemota Britannis,
Quæ ſua ſeù Gallis, ſeù culta noualia Belgis
Egelidis lymphis, & ſacra tingitis vnda.
Has mihi nunc ripas procera incingite lauro;
Circà omnis tellus viridi ſpargatur honore;
Et mecum egregias laudes celebrate volentes
Magnanimo Allobrogi, qui nunc amplectitur aras
Auſoniæ Themidis, decoriſque æterna futuri
Nūc monumēta capit, manſuræ & præmia famæ.
Vos illum attonitæ gelida vidiſtis in Arcto
Et veſtros amnes, & flumina ſiſtere cantu:
Vidiſtis, tumido ſeù Norica carbaſa ponto
Credidit, aùt hoſpes Cymbri penetralia regni,
Aùt fines Moſchos, aùt magna fluenta Garumnæ,
Aùt Tameſim, aut celſa ſuperauit ſaxa Pyrenes;
Ad latus Aonides certatìm iuiſſe ſorores,
Cer-

Certatim Iuuenem terraque, marique sequutas.
Quid memorem Diuæ quanto succensus Honesti
Ardeat igne animus! quæ laudũ immensa cupido!
Et robur constans, & pectore viuida Virtus!
Est olli sanguis claris Heroibus actus.
Præterea cæcos causarum euoluere nexus
Datque suas Natura omnes penetrare latebras:
Neuè ignota illi quæcumque Argiua Vetustas
Sub Pandioniis docuit mirata lyceis.
Quæ laus nũc Themidi, quæ spes in iura Quiritũ
Affulget! quanto se tollet Gloria fastu!
Quin vos progenitæ formosa Doride Nymphæ,
Vosq; meæ Natæ, nomenque, decusque superbum,
Quà fluitis latè gemino differte sub axe.
Hæc Rhenus, placidusq; imo se condidit Amni.

VIRGO

Dum religiosa instituta apùd Sacras Virgines amplecteretur sìc loquitur, supèr illud Psalmi.

Ad te leuaui oculos meos qui habitas in Cælis.

STat rata mens. Superis, soliq; affigimus Æthra
Lumina. Nõ reuocet mea si pulcherrima tellus,
Si mea sint alto quæ despicit Æthere Titan;
Si quæ vota optent. Non sint hæc omnia tanti,
Vt semèl à patrio deflectam lumina Cœlo.
Aspice me tantùm formosi Rector Olympi,
Aspice,

Aspice, sola tuo mea mens accenditur igni;
In te sola gemit, sola & suspiria ducit,
Da tantùm tua sim, da magni ad limina Cœli
Affectare viam, sacrum da robur eunti.
Hùc curæ tendunt omnes, hùc omnia vota.
Nàm neq; me domus, aùt chari tenuere penates;
Nòn Pater in lacrymas versus, non humida fletu
Me Genitrix mouit, non queis adoleuimus vnà
Dilectæ comites, primaque ætate puellæ.
Me, me spontè tibi, meaque omnia chara reliqui.
Hìc vestis tibi Coa, hìc raptum à crinibus aurũ,
Hìc adamas iacet, & viridi lucente smaragdo,
Quæ nunc à digitis auellitur, aurea gemma.
Hìc tibi Virgineæ iacet omnis pompa iuuentæ.
Nil mihi iàm superest, nisì qua de vertice toto
It coma, lacteolisque fluit ceruicibus errans,
Hæc quoq; pulchra meo cadat hìc decisa Tonanti.
His tibi me septis, ac casto lumine claudo,
Quæ me cumque manet lustris venientibus ætas,
(Seù viridi, segniuè olìm succumbimus æuo)
Hæc, duce te, castis solùm decurrat in annis.
Te proptèr dulci non dem defessa sopori
Lumina, non stratis componam mollibus artus.
Sed medio inuehitur dùm iàm nox humida Cœlo,
Ipsa ego te vigili cantu, te carmine dicam;
Te dicam Eoo dùm lux apparuit ortu,
Te dicam summo cum Sol nitet arduus axe.
Sis mea tu merces, sis tu mea præmia solus.

Se-

Serenissimo Principi Hetruriæ
COSMO III.
Dùm Gallia, Hispania, Britannia, ac tota penè Europa perlustrata, Florentiam rediret.

NOn sìc Carpathio deprensus nauita ponto
Æquoreis nimbis , & cæcis fluctibus actus
Tyndaridum dubiæ iubar affulsisse carinæ ,
Gauisus cernit ; nocturna aùt rupe viator
Oppressus somno primis lucescere flammis
Idalium Sydus , totoque emergere Gange
Auroram spectat , radiosque, diemque referri;
Sìc neque post fletus omnes , post omnia vota
Cœlicolis cumulata Italo sub littore mater
Lætata incolumis Nati complexibus hæsit ,
Nati, quem sibi longinquis Aquilonibus horrens
Diù Pater Oceanus , Dorisque extrema negauit.
Vt tua nunc læto te tota Hetruria cultu
Accipit ò lux , ò Regni spes altera Cosme,
Italiaq; decus . Viden ? omnia plausibus ardent;
Se passim Tyrrheni omnes , se Regia Flora
Effudit reduci ; quique est Primoribus altis ,
Hìc populis ardor , cura omnibus insidet vna
Gratari incolumem ; studijs communibus actos
Obsequij confudit amor . Iuuat ora tueri ,
Ominibusque bonis , versisque ad Sydera votis
Cœlicolas omnes , omnes ex Æthere Diuos
Tyrrhena Domui certatìm optare secundos .
Rex Genitor Pyliæ incolumis celebrata senecta
Exsuperet spatia , exsuperet Rex ipse futurus
Magnanimus Cosmus , seroque admissus honori

Eu-

Euboici sospes transcendat pulueris auum.
O' quanta Hetruscis accessit gloria rebus!
Nunc tellus Arctoa omnis, nunc Noricus Axis,
Septenique ardent te Thuscum Heroa Triones.
Nàm seù Sequanicas Arces pulcherrima Regna
Gallorum visis, seù quicquid Belgidis ora
Extremo complexa sinu, seù quicquid Iberus,
Et Tagus, & latis Hispania finibus ambit;
Siuè Caledonij transuectus marmora ponti
Vltima Nereidum freta, caruleosque Britannos,
Arctoique vides Borealia regna profundi;
Aùt quocumque moues vestigia læta sub axe,
It formosa comes laus omnis regia tecum,
It Virtus Heroa omnis; placidaque iuuenta
Sydereus vigor, & nullo superata labore
Vis excelsa animi; tùm recti sancta cupido,
Tùm Diuùm intemeratus amor, quouisq; verenda
Maiestas cultu natiui plena decoris.
Hinc Summi Regũ, queis & clarissima Regna,
Et sceptra Europa Diuùm indulgentia cessit,
Certatìm tantæ succensi laudis amore
Vltrò animis ardent, Aulai & sedibus altis
Cunctis te studijs, cunctis fouisse laborant
Obsequijs proni, gauisi Heroa propinquum
Exoriens decus Europa, columenq; sacratum
Italiæ, spectare oculis, propiùsque tueri
Augusti vultus cognata in stirpe decorem.
Officijs certasse iuuat. Conuiuia tecum
Cognati Reges, tecum nemora alta ferarum
Venatu exercent; nunc ficto Marte phalanges
Dant quatere obsessam Getulis rupibus Arcem.
Nunc chorearũ addunt plausus, scenasq; theatri.
Post in digressu qua sint monumenta superba

Cogna-

Cognata stirpis, mansuri & pignus amoris
Certatim cuncti donis regalibus augent.
O' magni Superi iustis si plausibus ardet
Nunc tellus Hetrusca, pio si suspicit astra
Intuitu, votisque bonis ad Numina tendit,
Vt certè tendit, penitùsque affigitur Axi
Cœlicolum, Thuscas sic res florere secundas
Æternum sinite; aterna de stirpe Propago,
Et semper Series Tyrrheno à sanguine regnet.

In Obitu Serenissimi Principis
FERDINANDI II.
Magni Hetruriæ Ducis, Epicedium,

Et breuis Digressio
in laudes Serenissimi Principis
COSMI III. Magni Hetruriæ Ducis.

Dùm tellus Hetrusca omnis, populiq; Patresq;
Nunc solis lacrymis, solis singultibus agri
Incubuere omnes, soli & suspiria Regi
Impendunt rapto, paribus dùm saucia curis
Italia infando gemit externata dolore;
Atque ipsa Europe luctus testatur amaros;
Et gemitu, & misero latè ardent omnia questu!
Hìc sileam? Alphaa mea nèc suspiria ripæ
Audierint? Vos me Tyrrheni admittite Vates,
Me vestris lacrymis, vestro miscete dolori,
Hìc etiàm luctus peregrina in pectora tendit;
Me quoquè priuatis sit fas gemuisse querelis.

Non

Non quià spes omnes, solatiaq; omnia ademit
Mors augusta Viri, qui nostris otia musis
Præbuit, & duros auertit sæpè labores,
Cùm premeret liuor, premeret gens inuida fastu.
Non quià nunc ætas sit segni debilis æuo,
Et fors ignaua superent nulla otia vitæ.
Haùd hæc cura premit, premit illa at cura dolētē,
Vt quoquè post cineres supremo gratus amore
Hos saltem gemitus, lacrymarū hæc vltima dona
Exanimo spargam Regi, spargamque sepulchro.
In me omnes planctus, omnes vos vertite luctus;
Vt tantùm lacrymis, tantùm mea lumina fletu
Assuescant, iuxtàque rogum miserabilis vmbra
Post longos fletus, longa & suspiria fessus,
Hìc anima fugiente sinam lugubre cadauer.
At Lachesi immitis quid nostra clade superbis?
Hìc nulla in fastus, ò demens, gloria surgit;
Incedis tantùm spolijs onerata caducis.
Rex superat Tyrrhenū, & adhùc vitalibus auris
Vescitur in Natis; ipse aurea Sydera Diuùm
Iàm maior, liberque sui mortalia membra
Exutus scandit Reges Cœlestibus oris
Aucturus Proauos. Hìc Sceptra Augusta supersunt
Quæ Nati subitura manus, quo Præside rerum,
Vt viguit quondàm, tellus Tyrrhena vigebit.
I nunc tolle animos, tolle & præcordia fastu.
Heroas animas haùd dant inuoluere fato
Cœlicolæ Parcis. Sìc magno insertus Olympo
Alcides, quamuìs artus, flagrataque membra
Oeteis sinit ille iugis. Sìc Æthera bini
Tyndaridæ superant, licèt atris acta procellis
Tempestas nocturna furit, demersaque Ponto
Corpora mæsta Virum scopulis allidit acutis.

Sìc

Sic quoquè post Indos, post fului littora Gangis
Deuicta Æthereum Liber penetrauit ad axem.
Regia quin Flora hic cineres cumulare superbo
Haud cessat luctu; stat celsa ad Sydera moles
Aereis euecta tholis. Stat regia circùm
Nequicquàm Heroi quõdàm comes addita virtus,
Quæ geminum meritis totiès insignibus axem
Peruasit, vel qua extremo se Sydere condit,
Vel prima Eois Sol lumina tollit ab Indis.
Statque ardens oculis, solumq; affixa sub axem
Ipsa Viri Pietas materno plena decore
Austriadũ, sceptris haud quicquã elata superbis.
Luminibus iuxtà madidis Pax alma, Quiesque
Stant Tyrrheno habitu ramo felicis Oliuæ
Vmbrata crinem. Quas proptèr tristibus vdæ
Pegasides lacrymis terno omnes agmine funus
Secreta cingunt, omnes ad Sydera versæ
Defixo intuitu mæstæ, palmisque supinis
Ceù raptum à Superis, heù raptũ Heroa repostãt.
Parte alia mærens sacrato pallida vultu
Stat Natura parens, stat sæuo tacta dolore,
Neuè oculos vsquàm Tyrrheno à funere vertit.
Olli nàm Regi calatas sæpè latebras
Ipsa sui, cæcosque sinus, causasque retexit;
Ac olli debet densam quod plurima noctem
Exuit, & Veri iàm tandèm affulsit imago,
Attonitoque Orbi non pauca arcana reclusit.
Ponè sacrata Themis, ponè & Rhamnusia Virgo
Deiectæ faciem versis insignibus astant,
Nèc cessant ambæ rapto ingemuisse Parenti.
Has inter Diuas Diua ipsa Hetruria luctu
Præcipua apparet; non serta hic aurea crini,
Non sceptrum gerit, atrato sed squallida cultu,

Sed

Sed mærens curarum æstu sua pectora plangit.
Iuxtà Vrbes Tyrrhenæ omnes mærore supremo
Demissæ vultus. Hinc mæsto gurgite volui
Hetruscos Amnes, Tyrrhenam & Dorida Ponto
Ingemere æquoreo, crebrisque horrescere nimbis
Testarique suum spectes maria alta dolorem.
Quin etiàm Ligurum extremis à finibus actus
Hùc primis lacrymis, primis mæroribus ardens
Cæruleus Macra, vndosum qui plurimus amnem
Ipse Appennini voluit de vertice Macra,
Inferias venit, & Regi sua tristia dona
Exanimo soluit; Patriæ sic Naiades omnes
Sic iuncta Hetruscis tellus vberrima regnis.
Atque hæc Augustis ingens stat Manibus Ara,
Stant decora alta Viri sero memoranda sub æuo.
At superis oris se totum maximus Æther
Heroi indulget, qui nunc sua Sydera coràm
Conuolui, coràm radijs felicibus Æthram
Ardentem spectat, fasque immortale recepit
Æterno felix posthàc fruiturus Olympo.
Ad te, Cosme, omnis se nunc Hetruria vertit,
Vni nàmque tibi rerum custodia cessit;
Parque humeris regni moles Tyrrhena recumbit;
Aspicis? vt se tota tibi complexibus arctis
Astringit læta! vt magnum solata dolorem,
Vni dùm defixa tibi, dùm Regia coràm
Ora videt, Regesque Atauos, Heroaque totum
In te iterùm Sceptris reddi, Solioque superbo
Ferranta agnoscit! viden vt suspiria duxit
Atrata Europe! vt tanto quoquè funere mærens
Augusto Cineres latè accumulauit honore!
Fletum est, quà gemino deuoluitur æquore Doris,
Quàque cadit, surgitque dies, neuè vltima tellu[s]

Hos

Hos liquit magnos infleto munere Manes.
Finibus huc adeò varijs à Regibus altis
Primores missi, qui munia mæsta dolendi,
Et pro se lacrymas cognato in funere soluant.
Tùm tibi, qui solium, Tyrrhenaq; regna capessis,
Res faustas sceptri, faustos & ab Æthere Diuos
Cœlicolas optent, & Nestore longius æuum.
A' Gallo Rhodano, à Tamesi venère Britanno;
Venère & Procerum summi, quos mittit Iberus,
Quos Tagus, Austriadumque ingens Regnator aquarum
Danubius; flauo quos Vistula maximus amne,
Rhenusq; Albisque, & vitrea pulcherrimus vnda
Visurgis, quosque extremis à sedibus Arctos,
Tellusque Ausonidum patrijs dimisit ab oris.
Ipsis auspicijs, ipso sub limine Regni
Tu Cosme exoriens lux ò pulcherrima Regum
Iàm Reges Atauos, ipsa & præclara tuorum
Facta refers, iàm spes omnes, ac omnia vota
Exæquas cunctis, iàm Thuscis didita regnis
It tranquilla quies, it blanda pacis imago,
Est frugum vbertas, & felix copia victu.
Larga Ceres, largo spumans vindemia rore
Solatur vulgus. Cura omnibus insidet Æqui;
Et passim sancti ducunt ad Sydera mores.
Solùm triste nefas Tyrrhenis exulat oris.
Atque adeò lætis se miscent addita rebus
Otia, Tyrrhenique hospes pulcherrima Regni
Se Virtus miscet, se laude attollit auita,
Et sæua immitis superasse obliuia Lethes
Tota ardet, certatque sacris conatibus Axem
Moliri Æthereum; Cinerique, vrnæque superstes
Egregium seris annalibus addere nomen.

Hùcq; ardens animis, pulchraq;cupidine laudũ
Incensus pectus (ne quid iàm Regibus vllis
Concedas Atauis, propria hæc queis dona fuere,
Tutari, & largis virtutem incendere donis.)
Propendes vltrò. Summa tu præmia laudi
Summa addis, certasque suis efferre latebris,
Si quà ignota latet, magnis at dotibus aucta
Excellit Virtus; dona his prægrandia ponis,
Muneraq; & magnos certatìm adiungis honores;
Te sancto in primis stat ferre ad Sydera nisu,
Stat Patriam incolumem, Diuosq; Arasq; tueri
Et Sancti, & Iusti æquatum seruare tenorem.
Hùc spes alta tui primo succreuit ab æuo;
Heroasque artes hùc mens exculta per omnes;
Hùc pia Maiestas, summorum hùc limina Regum
Lustrasti priùs, atque Europæ maxima tellus
Est meritis peragrata tuis. Ceù nunc quoq;coràm
Te latè Arctoi Populi, Celtæque, Britannique,
Asturijque omnes grata sub imagine cernunt.
Nàmque decus, nomenque tuum, laudesq;relicta
Eximet Arctoæ nulla vnquàm obliuio genti.
Tùm quantis animis Tyrrheni hæc littora põt
Tutarique simùl, simùl & Maurisia regna,
Quæ Proauis direpta tuis, incensaque flammis
Afflixisse etiàm studijs ingentibus ardes;
Et si fata sinant, si grandia cæpta secundent.
Haùd omnes Nomadas, totumq;Atlanta Gradiu
Hetrusco quatere, & diras abolere Iugurthæ
Relliquias cesses, ipsosque euertere Thraces.
O' Superi vnanimum Reges hùc vertere robur,
Hùc animos vnà, & socias date iungere classes.
Intereà tibi Tyrrhena non Doride Mauras
Sat prohibere rates, sat littora tuta carinis

Præ-

Præstare, & Thusco commercia vecta profundo.
Ast vltrò Lybicum proris victricibus æquor
Stat peragrare tuis, crebramq; aùt littore Thracũ
Aùt à Getulis stat prædam auertere ripis;
Nèc cessisse mari, seù Punica classis in altum
Seù Nomadum fertur, sed contrà tendere Marte,
Aduersasque rates ferroque, ignique subactas
Aùt secum rapere, aùt Lybico dispergere ponto.
Tu quoquè spes omnes, ac omnia vota Dearum
Aonidum exples. Stant castis sua præmia Musis;
Dignis stat numeris merces, pretiumque labori.
Iàm nèc inops Vati te Rege timenda senectus.
Hinc vni tibi certatìm nunc aurea plectra
Intendi spectas. Te latè Oenotria tellus,
Te visi nupèr Celtæ, gelidique Triones
Vnanimi certant efferre ad Sydera cantu.
At vos Cœlicolæ, queis Res nunc Itala cordi;
Queis florens Virtus, & laus reuocata priorum
Regnantum Hesperiæ, & solis mens addita Diuis;
Hunc Heroa, viam qui iàm molitur ad astra,
Qui meritis Orbem, & magnis virtutibus implet,
Seruate incolumen Italiæ, seruate decori
Incolumem Europæ; Vos æuo demite nostro,
ÆVVM qVo VaLeat tarDa proferre seneCta.

IN IVLII CARDINALIS ROSPILIOSI ELECTIONEM IN SVMMVM PONTIFICEM ROMANVM.

Ad Clarissimum Virum
LAVRENTIVM ADRIANIVM
Archiepiscopalis Seminarij Pisis Rectorem.

TV nè indictus eas, vno quo sospite, Laurens,
Res Cyrrhaa omnis, laus & rediuiua Dearũ
Aonidum vigeat, Diua & Libethrides omnes
Ausa sint Latij antiquum sperare decorem?
Haud ità si Pyladem Graius dilexit Orestes,
Thesea Pyrithous, si magni quicquid amoris
Argiui æterno celebrarunt carmine Vates,
Nunc placet exemplo, maius mihi fædus amoris
Est tecum, idque etiàm fata in suprema manebit.
Intereà hæc audi subito quæ fudimus æstu
Romulidum Patri, leuibusque ignosce Camœnis.
Euenère. Sacris respondent omnia votis:
Promissum fatis rupes Tarpeja sacrato
Iuliadem accepit Solio, geminoque sub Axe
Omnis submisso certatìm poplite tellus
Agnoscit Patrem nutu Omnipotentis Olympi
Custodem impositum rebus, terrisque regendis
Iàm nil præsidibus summis, ipsoque minorem
Inge-

Ingenti Fabio, summo hoc qui munere dignum
In spes Romulidum certas, sceptrique Latini
Diù meritum Tyria vestiuit vellere lana.
Vos nunc, ò Superi, si cordi est Italis ora,
Si quicquid duplici currens Sol aspicit Axe,
Hunc sinite Heroem diù vestri munia Cœli
Diù sanctos ritus, & Regna sacrata tueri,
Et quæ nunc terris oriuntur semina belli
Sopire, & placido Reges componere nutu,
Et totam Europen stabili donare quiete.

FINIS.

PETRI ADRIANI

VANDEN BROECKE BELGÆ

HYMNI

DE REBVS DIVINIS

Ad Clariss. & Excellentiss. Virum

ALEXANDRVM MARCHETTI
IN ALMA ACADEMIA PISANA
PHILOSOPHIÆ PROFESSOREM
ORDINARIVM.

Clariſs. ac Excellentiſs. Viro

ALEXANDRO MARCHETTI

PHILOSOPHO, ET MATHEMATICO PRÆSTANTISSIMO

IN ALMA ACADEMIA PISANA PHILOSOPHIÆ PROFESSORI ORDINARIO

S. P. D.

PETRVS ADRIANVS VANDEN BROECKE.

CVI potiùs quicquid his ſacris lucubrationibus meis complexus fui, quàm tibi clariſs. MARCHETTE huius æui egregium decus nuncuparem? Ego herclè ex ijs omnibus amicis, quorum ſuauiſſima conſuetudine iàm à multo tempore in Italia vtor, neminem habui, quem tibi, vel colendę amicitiæ fide, vel eximijs ergà me beneuolentiæ ſtudijs pręponã. Acceſſit amor in te meus propè ſingularis, atque eiuſdẽ

beneuolentiæ ergà te meæ ſtudia, quibus te ſemper mirificè colui, ac obſeruaui, cumq; viderem te non minùs in his amę-nioribus litteris, quàm in ſummis, grauiſſimiſque diſciplinis egregia cum laude, tuique nominis manſura apùd poſteros gloria verſari, pleraq; poematia mea, antequàm ea typis ederentur, acerrimi judicij tui calculo ſubieci, ſperauiq; fore, vt ea, quæ à te probata eſſent, ab alijs quoquè præſtantiſſimis Viris, quique ab his litteris minimè abhorrerẽt, facilè probentur. Meum prætereà nomen ſcriptis tuis nobiliſſimis, quæ de exercitationibus Mechanicis, ac reſiſtentia Corporum ſolidorum ſummus Italiæ, Galliæque conſenſus probauit, inſertum non modò ab interitu vindicaſti, ſed vt tecum in pulchra poſteritatis memoria permaneat, effeciſti. Quaprotèr id vnum à me ſedulò curandum eſſe exiſtimaui, vt ſi non poſſim tuis in me meritis ex æquo reſpondere, ſaltèm aliquid, in quo grati animi ſignificatio appareret, tuæ ſummæ humanitati, cui me multò deuinctiſſimum agnoſco, reponerem. Habebis igitùr, ſiuè in cultus mei obſequium, ſeù potiùs in mei ergà te amoris certiſſimũ pignus

has

has qualeſcumq; de rebus Diuinis lucubrationes, quas tuo probatas olìm iudicio, nunc animo magis confirmato luci, ac cenſuræ hominum permitto. Velim omninò in antiquiſſimum familiæ tuæ decus, & Gentis tuæ laudes excurrere, eoſque, qui & litteris, & honoribus geſtis tùm Florentiæ ſummo quoquè Reipublicæ Magiſtratu, tùm Romæ ſacra etiàm purpura inſigniti è maioribus tuis floruerunt, ſtylo vtcumquè, delibare; ſed cùm longæ conſuetudinis noſtræ vſu obſeruarim te eo animo eſſe, vt nihil tibi ingratius, quàm eiuſmodi laudum, ſiuè de te, ſiuè de maioribus tuis, prædicatio poſſit accidere, maliſq; Proauos tuos clariſſimos virtute tua propria æmulari, quã decus aliquod (etſi id permagni ad gloriam momenti cenſetur) à claritudine maiorum accipere, mihi tuis, maiorumque tuorum laudibus abſtinendum eſſe cognoſco, ne vno, eodemq; tempore tuę ſingulari moderationi grauis ſim, & mihi ipſi videar non ſatìs ab aſſentationis ſtudio cauiſſe. Nihil itaquè de Aloyſia Matre tua Bonauenturia præſtantiſſima fœmina dicturus ſum, cuius præclari ſanguinis vinculo cum Albizijs, cum Ba-

Iugolis, cum Bentiuolijs, cum Sforzis Vicecomitibus, alijsque in Italia nobilissimo splendore Familijs arctè connecteris. Nihil de Fratribus tuis ornatissimis Ansano insignis Collegiatæ Emporiensis Archipresbytero, Philippo, qui Serenissimum Principē Hetruriæ Cosmum Tertium in Gallico, Belgico, Germanico, ac Britannico itinere sequutus præclara honoris munia obiuit, dùm rei oeconomicę, scrinijque præfecturam gereret, & architriclini munere etiàm accumbente Britannico Rege fungeretur, hìc dicam. Nequè etiàm Illustrissimæ affinitatis decus, quod tibi nunc longè amplissimum in nuptiali vinculo cum Lucretia Cancelleria, & natalium splendore, & formę, & omni honestatis laude prestantissima Virgine accessit, commemorabo. Id tamèn lœtor, quód vel me silente huius vetustissimæ domus Pistoriensis familia totius Hetruriæ, Italiæque annalibus celebrata sit, nemoque ignoret à quot iàm sæculis in sua claritudine perstiterit, ac nobilissimas quasque Hetruriæ domos (quæ vel vna res amplissimæ familiæ decus declaret) in suas partes pertraxerit, stabitque, vtì confido, & ominor in eodem

dem

dem sempèr conspicua splendore, donèc vltima desinentis æui periodus concludatur. At ego quid tibi potiùs ab ipso generis humani Authore optem, quàm vt primo quoquè tempore in spem tuæ posteritatis proles oriatur,

Quæ referat Matrē, referat mixto ore Parentem,
Et genus vsquè noua deducat stirpe nepotum.

Hoc in voto tibi, tuæque suauissimæ Coniugi longissimæ incolumitatis spatia à CHRISTO OPTIMO MAXIMO opto voueoque. Uale.

Pisis Idibus Quintilis CIↃ IↃC LXXII.

PETRI ADRIANI VANDEN BROECKE BELGÆ HYMNI DE REBVS DIVINIS.

HYMNVS I.

SPIRITVI SANCTO DEO OPTIMO MAXIMO.

Dictus à Iosepho Gaspare de Sgarzis.

Labere Dius Amor, rursùs tibi maxima tellus
Tota patet, rursùs placido se tota Tonanti
Subdidit, & Sacro Numen testata decore est.
Nàm noua puniceis halant nunc floribus arua.
Ipsa ætas primæua nouo reuirescit in auro,
Et solito Titan micuit formosiùs igni.
Labere, iàm curæ sontes, ac dira malorum
Illuuies, sæuumque nefas, tùm cæca libido
Mollibus exitiosa animis, iræque, furorque,
Insidiæque, dolique omnes cum crimine cedunt.
Atq; ipsa anguineis nequicquàm horrenda capillis
Inuidiæ facies, odij & pallentis imago
Victa fugit procùl, & latebras exterrita quærit.
Adsis ò Diuine, tuis hìc omnia donis
Plena vides, castæ tu das bona gaudia menti,
Tu mites curas, tu Sancto incendis amore
Omnia, tu patrio das soli affigere Cœlo
Lumina, tu mœstos animi lenire labores.
Tu spes Sydereas addis, sontisque voluptæ
Illecebras omnes das toto è pectore pelli.
Tu præbes robur, si quandò fraudibus atris

In-

Ingruit, insidiasque mouet manus omnis Auerni.
Nequicquàm lemures atroci immania vultu
Ora gerunt; spreto stat mens inuicta sub hoste.
Te Supera sedes, te vasti exordia mundi
Authorem nouere suum, te maximus Æther,
Te minor affuso librata sub aere tellus,
Et Dominum latè Neptunia regna loquuntur.
Tu Zephyris Sacris supèr humida marmora ponti
Fluxisti labens. Tu vis, tu rebus origo.
Tu quondàm Solymæ collectus in ora Columbæ
Cum magno Æthereo Nato, Æthereoque Parente
Lustrasti latices, & Sancti fluminis vndas.
Tu Diam attonitis afflasti Vatibus auram
Dùm tua præsago dixère oracula cantu,
Et quæ sint duplici fata euentura sub axe.
At tu Sanctus Amor non enarrabile Numen,
Immensa, æterna, omnipotens, spirabilis Aura,
Halitus à Dio Nato, Dioque Parente
Æternùm manans æterni haùd Numinis expers,
Idem, vnusque Deus cum magno Patre Tonante,
Cum magno Nato, quæ vis, quod Numen vtrique,
Hoc vnumque, idemque tibi, similisque potestas.
Hùc nostra Æthereis tende in præcordia flammis,
Tende Pater, donique animos septemplicis auræ
Imbue, daque tuo nos ferri ad Sydera nutu.

HYM-

HYMNVS II.

DEIPARÆ VIRGINI,

Sacratissima Vitæ eius elogia complectens; cum breui gratiarum actione pro Serenis. PRINCIPE HETRVRIÆ anno 1663. nato, & ope aduersùs Turcas implorata.

Dictus à Ioanne Cianfio in Sacra Basilica Pisana.

AVdiuère preces Superi, Tyrrhenaque tellus
Iàm rata supremo vidit sua vota Tonanti;
Nàm noua Progenies Thusci spes maxima regni
Exoritur, fuluo quæ sacula rursùs in auro
Ire dabit, rursùs sua lætis otia rebus,
Quæque Genus serum Mundi protendet in æuum.
Hoc decus, hoc donum tibi tota Hetruria Virgo
Debet, & æterno persoluit munere grates.
Intereà tibi dùm solitos cumulamus honores,
Dùmque ardent bis mille faces, bis lumina mille,
Et iàm Panchais tibi fumat odoribus Ara,
Thuraque certatìm Tyrrheno accendimus igni;
Hùc propiùs magno delapsa à vertice Cœli
Rursùs ades, rursùs canimus te Regia Virgo.
Tu nulli labi, nullique obnoxia culpa
Prima hominum Dias venisti in luminis auras.
Tu prima optato rebus mortalibus ortu
Affulges, sensitque nouus noua fœdera Mundus
Dùm gemino latè tua lux apparuit Orbi.
Tu mortale genus longè Cœlestibus oris
Exclusum, solique metu, solique dolori
Et mille ærumnis tantùm, lacrymisque superstes
Prima leuas; diro mersum tu funere lethi,

Te-

Tænarioque lacu, & sæuis sub nocte profunda
Damnatum flammis amissa ad limina vitæ,
Sydereasque domos Diuina in Prole reducis.
Quin mœstis curis, mœstisque laboribus ægra,
Et passim tristi soluis præcordia luctu.
Tu prima obstructi quondàm discludere Cœli
Atria, tuque sinu magni Genitoris ab ipso
Complexuque arcto potuisti auellere Natum.
Tùm Genus in nostram Pubes Cœlestis Olympi
Irarum antiquis causis, odijsque sepultis
Iàm placidis animis, miroque exarsit amore!
Tùm magna Cœli deserta sæpiùs Æthra
Phœnicum ad fines læto venère volatu,
Et medio cœtu, medijs mortalibus ibant
Immixti, tùm sæpè genus se ducere Cœlo,
Se Superos fassi radianti lumina vultu,
Et pulchra auratis cœlestia corpora pennis
Monstrabant læti; tùm dictis lenibus vltrò
Affari, & Diui sensim Genitoris amore
Inflammare animos, totoque ad Sydera nisu
Ire iubent, solique attollere lumina Cœlo.
Illic fas homini sedes sperare quietas;
Illic, deiecta quæ tot fleuère Phalanges,
Tot fleuère Acies, amissa sedilia regni
Iàm vacua humanæ seruari debita Genti.
At tibi primores Superi, tibi prima Iuuenta
Ætheris omnis adest, studijsque ingentibus ardet
Vnam præ cunctis sibi te meruisse colendo.
Iàm latè Dominam terræque, marisq; potentem
Agnoscunt, magnas olìm quæ temperet arces
Cœlicolum, Diuoque minor sit sola Parente;
At cunctis Superis, cunctis mortalibus æquo
Præsideat nutu, & propiùs sua numina firmet.

Tum

Tum quoq; Sydereus Superũ pulcherrimus Ales
Puniceis alto demissus ab Æthere pennis
Te Sobolem Dia parituram stirpe canebat,
Quæ lugubre nefas, & crimina prisca Parentum
Eluat, & supero tandem dignetur Olimpo
Mortales, ipsumque sacris Plutona catenis
Euinctum tenebris, & nocte coerceat atra.
Sic meritum diro dùm quondã abscõditus Angus,
Heu scelus! auricomos ramis auellere fœtus
Suasit, & in seros se fudit culpa Nepotes.
Quid Diui Regina moror tua gaudia partus?
Dùm tibi Cœlesti totum dulcedine pectus,
Mens tota enixi perfusa est Numine Nati.
Ipsa eadem Genitrix, eadem pulcherrima Virgo
Tota manes, cessitque suo Natura Tonanti;
Nil partu Æthereo, nil cunis vindicat istis
Ipsa sibi, donisque tuis se fassa minorem
Te Diam agnoscit non tacta in Virgine Matrem.
Sic illasa sacris arbos Memphitica flammis
Arsit, & in medio viruit formosiùs igni.
Sic quoquè dùm Solymis effusi nubibus imbres
Præcipitant medio stat siccum vellus in imbre.
Sic Vati Assyria vincto sub rupe Leonum
Per solidos postes, & clausas obice valuas,
Obstructasque fores suspensus crine per auras
Defertur Vates, medioque relinquitur antro.
His tibi prodigijs intacto fœta decore
Virginitas magno pridèm portenditur Axe.
Tunc chorus Alituũ nocturna lapsus ab Æthra
Te cecinit, pubesque omnis lætissima Cœli
Sydereas plausit per nubila festa choreas.
Tunc, quos sera quies per dura cubilia fudit,
Exciti agricolæ, monitisque ingentibus acti

Pa-

Paſtores ſacri venère ad limina tecti,
Et Proli ſua dona, tibi ſua dona tulère.
Hicnè ſcelus, Solymique nefas crudele Tyranni
Prætercam Virgo? Sæui præcordia Regis
Eumenides Diæ tentant formidine regni.
Statque omnes ferro, diraque inuoluere cæde
Infantum vitas, & læua auertere fata.
Heù pauidæ Matres queis nunc in rupibus altis,
Se quibus in ſyluis cum natis dulcibus abdant?
Nil prece, nil lacrymis, nil iàm vagitibus vllis
Scit furor inflecti; ſtrictis manus horrida telis
Per Solymos latè ſaltus, latè omnia luſtra
Irruit, & preſſos heù Matrum ad pectora ferro
Obtruncant natos. Tenero fœdata cruore
Ipſa gemit tellus, ipſæ ſua funera Matres
Complexæ vltori pallentia lumina Cœlo
Defigunt tantùm, vox intercepta dolore
In nullos queſtus, nulla in ſuſpiria rumpit.
Tuque adeò Diuûm Cœleſtibus excita monſtris
Cum Duce longæuo media caligine noctis,
Horrenti nimbis, ſæuiſque Aquilonibus aura
Ad Nili antiquos fontes, latebraſque Canopi
Tendis iter mœſtum; lacrymìſq; ingreſſus obortis
Flet ſenior tanti voluens diſcrimina caſus.
At Genitor ventis, pulſiſque à nocte tenebris
Te roſea nubis fragranti inuoluit amictu,
Certatìmque ſacro reſplendent omnia vultu
Sydera. Quà graderis, Soboles quà Regia fertur,
Subſidunt iuga, ſe tollunt cum vallibus arua,
Inclinantque comas ingenti vertice ſylua.
Vſquè oculis noua pompa ſubeſt, audiſq; cadentes
Per delubra Deos. Non Iſis torua Tonantem,
Non Apis coram, non ferre latrator Anubis
Su-

Sustinet; in cineres sese impia signa resoluunt.
At postquàm tabes consumpsit dira Tyrannum;
Dùm tellus deserta diù, charique penates
Apparent reduci, quæ tunc noua gaudia pectus
Pertentant Virgo? quæ tunc creuitque voluptas,
Dùm placidis annis, latisque vigoribus ætas
Succrescit Pueri? dùm sensim Numine toto
Nil mortale sonat, Patrique simillima virtus
Paulatìm ignotis per lumina Dia refulget?
Non hùc ò lacrymæ, luctusque, dolorq; redite,
Iàm nequè virgineis resonent nocturna querelis
Auia, nec priscos repetat Phœnicia planctus;
Est proles inuenta tibi mœstissima Virgo.
En medijs aris sublimi sede coruscam
Vel nunc digna Deo, & magno Genitore canentē!
Affusi Cœtus, primorum affusa corona
Non sat mirari, non sacro ardentia vultu
Lumina, non vocem, non os sufferre loquentis
Attoniti magno stupefacti Numine pendent.
In mare proripimur. Tenui dò carbasa puppi?
Est mergenda ratis, medium si findimus æquor.
Tu Virgo mare, tu magnus sinè limite pontus,
Tu vasti Oceani pelagus, non pectoris huius,
Non opis est nostræ tam magnæ euoluere vitæ
Immensam seriem, & sanctos memorare labores.
Non obitus Nati, non lamentabile funus,
Luctisonamq; trabem, tua nec lamenta supremis
Absorpta in lacrymis licet exæquare canendo.
Non cum Diuus Amor flammis cœlestibus ardens
Se tibi, se socijs media penetralibus Aulæ
Infudit, miraque omnes dulcedine fandi
Imbuit, & castis subijt præcordia donis.
At tu nunc solio Diuûm, sceptroque potita,
Quæ

Quæ prima exuuijs iàm non mortalibus Axem
Scandis, qua subtùs toto labentia Cœlo
Sydera, quæ motus, qua magnos despicis Orbes,
Vltrò qua summum potes inflexisse Tonantem,
O' nunc afflictis, si quandò, lumina terris
Immitte, & propiùs rebus succurre supremis.
Ingruit Odrysius crudeli strage Tyrannus,
Et nunc Ismarijs Europam euertere flammis
Aggreßus toto vires Oriente coactas,
Getulum robur, Maurisque horrenda sagittis
Agmina, Bistoniasque acies tumidoque Niphate,
Et Tigri Armenio lectas, Tauroque Phalanges,
Et cuncta immani vastantes cæde Gelonos,
Atque Asia, atque omnes à rubro littore gentes,
Thurilegosque Arabes ripas conuertit ad Istri,
Et latè Dacos ferro populatus, & igni
Pannonias arces horrendo Marte lacessit;
Et septem gelidos ardet vicisse Triones.
It formido ingens, iàm res concussa laborat
Danubij, socijs nè sit mora segnis in armis.
Vnanimi Reges hæc dira auertite monstra.
Impia nè Thrace, nè vincat barbara tellus,
Hanc saltèm Europe non norit Martia labem.
Audimur. Telis Virgo Cœlestibus ardet
Terribilis, turmasq; supèr, super impia Thracum
Ingreditur castra, & dirum formidine sacra
Obruet illa hostem, totaque fugabit ab Arcto;
Si castis omnes lassabimus Æthera votis,
Si scelerum piguit, si sancto crimina luctu
Confessi vltrices Cœli placabimus iras.
Tunc etiàm lætis florescent otia rebus.

HYM-

HYMNVS III.

S. TORPETI MARTYRI PISANO
Qui S. Pauli amicitia claruit, & primus in Hetruria ſub Nerone paſſus eſt.

Dictus à Bonifacio de Simonellis.

DVm tibi Mēnonijs lux ſācta emergit ab Indis,
Et latè tua templa Pater, tua limina latè
Sacrato induimus cultu, tibi florea dona
Certatìm ferimus, tibi thura imponimus aræ,
Hùc ades, hùc propiùs natiuæ ad flumina ripæ
Sancte veni, ſedeſque tuas, nataliaque arua
Aſpice, quæque puer chari penetralia tecti
Curſaſti circùm, quæ limina nota petebas;
Si quid adhùc ſupereſt, ſi quæ monumēta ſupersūt
Quæ nèc mille anni, nèc ſæcula ſena tulère,
Aùt loca iā, aùt tantos Pater hìc oſtende penates,
Quicquid erìt, loca ſeù tantū, ſeù rudera tantū,
Omnia nos auro, ſacrabimus omnia gemmis.
At nunc Alphæis quæ ſoluimus annua donis
Munera lætus habe, Gentique illabere cuſtos.
Tu quondàm pectus Diuino incenſus amore
Primus Tyrrhenùm ſtimulis Cœleſtibus ardens
Pro re Cœlicolum, pro magna lege Tonantis,
Iamque oriente fide, cultuque, ariſque ſacratis
Vltrò crudeli voluiſti occumbere letho.
Te ſontes aras, Erebi te Numina dira
Primum aſpernantem mirata Hetruria vidit,
Obſtupuitque animos cum thus adolere Dianæ
Vſquè negas, ſimùl vſquè Deos crudelia monſtr
Æthere pulſa canis, Stygiæque immerſa paludi.
Non tibi Romulidæ, Tarpejaque regia curæ eſt.

Ne-

Nequicquā Cæsar tibi cuncta extrema minatur.
Nil trux aspectus, nil te furor incitus iræ
Inflectit, nec te tormenta immania lædunt.
Excidit ipsa feris rabies, ira excidit omnis.
Tuque adeò incolumis perstas, pulcherq; iuuenta.
Icta cadit tandèm ceruix, truncataq; membra
Cymba capit, nulloque vehit custode per vndas,
Massiliæ ripas, tùm littus tangit Iberum;
Illic nunc Cineres sacri, nunc ossa quiescunt.
Hìc caput, hìc Ciui sacros adolemus honores.

HYMNVS IV.

DECEM MILLIBVS MARTYRVM

Qui in Monte Ararath propè maioris Armeniæ Alexandriam acti in Crucem sub Adriano Cæsare Martyrij coronam meruère circa annum 140.

Dictus à Francisco Vincentio de Ansaldis.

DVm fugitis trepidi, densūq; horrescitis hostē,
Iàmq; Aquilas retrò pauidi, retròq; phalāgē
Vertitis, ancipitique metu iàm deuia lustra,
Et solas rupes, & inhospita quæritis antra.
Eccè improuisò Iuuenis demissus Olympo
Sydereis pennis, & multa luce coruscus
Vos claro è nimbo dictis affatur amicis:
State Viri; haùd atra vobis formidine pectus
Exagitant Dij. Tænarij sunt impia Regis
Hæc commenta Deùm, queis tristi addicat Auerno
Deceptum genus, & Stygia caligine mersum

In-

Infelix vulgus diris cruciatibus actum
Heù semper flammis, semper plangore cruento
Infestet; nèc spes æterno est vlla labori.
Manibus haud istis Erebi, Diuisq; litandum.
Quin vos vnanimes ad magnum Numen Idumes
Vertite vota viri? victor bellabitur Æther,
Hostilesque cadent Cœlesti Marte phalanges.
Nec rursùm sua vincla pati, nec ferre catenas
Nunc iterùm domitis Euphrates abnuet vndis.
Dixit, & ex oculis procùl alta in Sydera tendit.
At vos Sancta Acies monitis Cœlestibus acta
Iàm spretis Erebi sacris, fassique Tonantem
Conuersis animis latè agmina barbara ferro
Demetitis, vires addit pugnantibus Æther.
Ipsi hostes atroque metu, tristique pauore
Attoniti fugere, & nequicquàm fidere castris.
Non densi colles, non lati funera campi
Aggeribus congesta suis, non maxima ripa,
Aut vastus capere Euphrates, tota vnda recurrit
Sanguineos frustrà molita euoluere fluctus.
Eccè eadem Cœlo se rursùm ostendit imago,
Quàque ingens voluit vasto se gurgite Tigris,
Aeriæ sistit vos alto vertice syluæ.
Tùm spes cuique suas, sanctis posse Æthera votis
Conscendi, fideique aperit monumenta sacratæ.
Post alij, atque alij summo de vertice Cœli
Succedunt syluæ pennis rutilantibus omnes
Cœlestique omnes habitu, vultuque decori;
Hi firmare animos, neù spe stellantis Olimpi
Victores diro pigeat succumbere letho.
Ergò omnes sacro muniti robore pectus
Iàm solùm castis conuersi ad Sydera votis
Vltrò omnes artus, ac omnia membra catenis

Obij-

Obijcitis densi; statque vltima cuncta subire.
Sed quæ saxa furens in vos gens impia torquet
Non perferre ictus, visu at iustissimus horror!
Ipsa sibi demens plagis lethalibus ora
Diffindi sentit reuoluti turbine saxi.
Stat mens fixa Polo. Non vis, non tristis imago
Supplicij vos vlla mouet, nil flagra cruenta,
Aut serta è dumis imo defixa cerebro,
Immaniuè latus iàm rorans vulnere flectit.
Sic laceros omnes sæui crux hospita lethi
Perfossis manibus, perfossis vulnere plantis
Sublimes capit. At nigra ferrugine Titan
Abscondit vultus, diro & quassata tremore
Est circùm tellus, & vox audita per auras,
Olim si rebus quicquàm poscetur in arctis,
Affore vos pronos Genti, auxilioque futuros.
Post miris radijs, miro fulgore repentè
Colluxit locus. Exuti mortalia membra
Iàm bis victores, bìs claro munere palmæ
Insignes superi conscenditis ardua Cœli.

HYMNVS V.

S. DONATO EPISCOPO ARETINO, ET MARTYRI

Qui obijt 365. Septimo Idus Sextilis.

Ad FRANCISCVM REDI Nobilem Aretinũ Ferdinandi II. Magni Hætruriæ Ducis Archiatrum.

EN tua Sydereo nunc mens affixa Tonanti
Se totam explet, se summæ dulcedinis aura

Abſorbet totam, Solique indulget amori.
Seù Diue antiqui primordia maxima Cœli
Æthereaſque domos Dij monumenta laboris
Mirari gaudes; ſeù ſummo cernis ab Axe
Tot ſubtùs Stellas, tot grandia Sydera volui,
Et totam ſacris ardere ſub ignibus Æthram.
Hinc, ac indè polos nulla vertigine tangi;
Totque alijs, alijſque rapī ſimùl orbibus orbes,
Nèc confuſa ſuo tamèn ire volumina motu,
Sed diſcreta ſibi per mutua vincula labi.
Seù tua nunc patrio deflectis lumina Cœlo,
Atque omnem latè Auſoniam, Thuſcoſq; Penates,
Magnaſque Areti, quæ nunc tua Gloria Diue,
Aſpectas arces, quà prò Cœleſtibus aris
Ipſa tuo quondàm rorauit ſanguine tellus.
Hùc ades, & caſtis ò nunc adlabere captis.
Tuque adeò decus, & noſtri pulcherrima Redi
Spes, nomenque Æui quas te monitore ſacratas
Hìc Diuo Heroi molimur carmine laudes
Lætus habe, tantis ſi mens tamèn excidit auſis,
Viribus ipſe meis, animoque ignoſce minori,
Tuque hac æterno tranſmitte in ſecula cantu.
Caſte Heros quamuìs veniente in luminis auras
Excepère alti Bythina à ſtirpe penates;
Quamuìs, & felix opibus floreret auitis
Prima ætas, primiſque daret ſors omnia votis;
Atque ipſi efferrent magna te laude Quirites.
Non tamèn vllus honos, aùt felix copia rerum,
Diuitiaque, genuſque altis Heroibus actum
Te faſtu attollit, laudiſuè cupidine pectus
Incendit. Soli ſtat mentem affigere Cœlo;
Hùc animi curas, hùc omnia vota referre,
Speſque omnes. Nèc tu ſecreta euoluere fata
Cœli-

Cœlicolum cessas. Sceleri quæ meta superbo,
Et labi antiqua staret, quouè actus amore
Sydereus Genitor demisit ab Æthere Natum;
Nosque extorre Genus longè felicibus astris
Amotum, flammisque Erebi, noctiq; profundæ
Addictum vulgus tandèm ad sua Sydera tolli
Indulsit, roburque adeò repressit Auerni.
Quæque homini promissa salus, quæ præmia Cælo
Certa manent, Dio si corda calemus amore,
Exosique nefas, & sontis crimina vitæ,
Hos castis meritis, studijsque expleuimus annos.
Hæc imo seruas tu Diue recondita sensu,
Et solum pectus iàm castis ignibus ardes.
Nèc pigeat, vis si qua atrox infanda minatur
Supplicia insonti, Numenque, arasque fateri,
Crudelesque obitus prò sancta lege pacisci,
Et tetrum, squallensque solo riguisse cadauer.
Vsquè adeò flagras prò causa occumbere Diuùm.
At nedùm summi Rex id concedit Olympi.
Te neque septena Romanis collibus arces,
Nec flauæ Tyberis ripa, tellusuè Latina
Hac clarum palma victorem ad Sydera mittet.
Estque solum natale, est Vrbs linquenda Quiritũ.
Hoc decus omne sibi Thusco latissima tractu
Ingenti poscit iàm nunc Aretia nutu,
Quæ quondàm, vt perhibent, antiqui filia Iani
Vrbi Tyrrhenæ nomenque, decusque reliquit.
Hùc te fata vocant; templiq; araque supremus
Hìc promissus honos, hìc felix meta laborum,
Et Cineri decreta quies; hìc namquè sub astra
A' cæde atroci, diro & certamine lethi
Ascendes victor. Post & solemnibus aris
Hìc tua sacrato component ossa sepulchro.

Exuuiasque omni Gens hac Tyrrhena sub æuo
Prona colet, nèc te nequicquàm in rebus egenis
Poscet opem, supplexuè animis in vota vocabit.
Ergò altis monitis Tybrimque, arcesq; superbas
Romulidum linquis; quà iàm lacrymabile funus,
Nil hoc supplicium meritus, nil impia vincla,
Ipse tuus Genitor pro Sanctis occidit aris,
Exanimesque solo sectis ceruicibus artus
Cœlicolum liquit iàm victrix hostia Regi.
Te profugum Tybri fatali Aretia tecto
Læta fouet, gaudetque sinu texisse latentem.
Nèc minùs Ætherea Regnator summus ab Arce
Hìc te prodigijs, & signis grandibus effert.
Namquè oculis atra passim caligine septis
Lux extincta redit; quìn pulsi è corpore Manes
Tænarij horrenda testantur voce per auras
Se robur tremuisse sacrum, se Tartara nutu
Mœsta subire tuo, mergique Acheronta sub imum.
Tu summo luctu, summis mæroribus ægrum
Eustasium, dùm iàm tormenta infanda parari,
Seq; reũ horrescit quamuìs sinè crimine, quamuìs
Labe carens, metuitque atrocia iura Quiritum,
Et solùm amisso suspiria ducit in auro;
Exoluis curis, sæui & discrimina lethi
Auertis Pater; extincta nàm coniugis vmbra
E' somno fatali, imoque vocata sepulchro,
Dùm sacra affusum trepidat formidine vulgus,
Et tumuli in mœstum defigit lumina marmor,
Suspensisque animis ad talia monstra silescit,
Eccè omnis tumuli sedes, ac visa moueri
Extemplò tellus, atque ipsa exanguis imago
Iussis acta tuis ferali hac fatur ab vrna.
Aurum, quod Tyberi Tyrrhena Hetruria pendit,
Nunc

Nunc causam Eustasio lacrymis, sæuoque dolori,
Cuncta timens vacuos seruo dùm sola penates,
Ad limen thalami fossa tellure repostum
Occului, fato post sum collapsa repentè,
Et nulli inditium suprema in morte reliqui;
Hac fata æterno tacuit reuoluta sopore.
His tua prodigijs extemplò didita virtus
Dùm fines Tyrrhenùm omnes, ac Itala regna
Peruadit, latèque animi pulcherrima dona,
Iàm nota apparent, studia & durissima vita
Dùm macies cælare nequit, tibi corpus amictu
Spinoso incingi, spinoso & verbere membra
Affligi crebrò. Sontes sic pectore toto
Arceri flammas, nequicquàm fraude nefanda
Virgineo Lemures obtendere corpora vultu.
Ipsi te Ciues studijs ingentibus acti
Vnum omnes certatìm aræ, Diuùmque sacratis
Præfecère Adytis, qui tanta ad munia lectus
Hæc vnus vigili potes exæquare labore.
Nèc mora. Iàm votis aspirat talibus Æther.
Nàm passim populis dùm Dia oracula pandis,
Dùm delubra Deùm, dùm sæuis barbara sacris
Portenta à Stygia canis emersisse palude,
Queis Rex vmbrarùm Cælo deiectus ab alto
Exultat, cæcumque rapit sub Tartara vulgus.
Flexa animis Stygio paulatìm abscedit Auerno
Turba ingens, qua iàm Manes excussa furentes
Certatìm Solymo se subdit læta Tonanti.
Hicnè immite nefas, & facta atrocia dictu
Prætereo? dùm gens odijs stimulata prophanis
Haùd verita est manibus Diuina attingere Sacra,
Non ipsa ex ara vitreo fulgore micantem
Sacratum Calicem primi per limina templi
 Eli-

Elisisse solo? visu at mirabile monstrum!
Dùm deposcis opem Superos, dùm suspicis astra,
Et casti lugent scelerata ob crimina cœtus.
Eccè ipsos intèrque metus, intèrque timorem
Spontè sua iungi iàm fragmina lucida vitro,
Inque situs remeare suos, visumque repentè
Conflari decus, atque idem formosior Aris
Iàm poni, reddique calix. Hìc murmure magno
Seù iàm prodigiis acti, seù Numine certo
Rursùs turba fremit, magno & Iordane profectũ
Conclamat Numen, cultusque, arasque Deorum
Exosi sacris se iàm Cœlestibus addunt.
Dùm fors insueto Titan succenditur igni,
Et longo tellus arescit tota sub æstu,
Nèc iàm vlli riuo latices, vllique meatus
Amnibus exhaustis, non flos, non herba virescit:
At sperata Ceres aruis collapsa recumbit,
Et sua iàm cupidis moriuntur vota colonis.
Tu Diue Æthereũ supplex conuersus ad Axem
Aspectas toto densari nubila Cœlo.
Iàmque ingens aruis vndanti turbine nimbus
Præcipitat, pluuiusque Æther ruit omnis ab alto.
Continuò campis it vastum murmur aquarum,
Effusique imbres latè omnia roribus implent.
Diffugère omnes. Media stas ipse procella
Immotus, circùmque, supràq; furentibus Austris
Sæuit hyems; præceps non te tamèn attigit imber,
Nèc vestes vllo maduere, aùt corpora rore.
Atque hìc extremo merces vicina labori.
Iàm iàm victrici venturum ad Sydera palma
Te Genitor Diuùm Cœli alta expectat ab Arce;
Quem propter tetra clausus caligine tecti
Horrenti squallore situs, fœdasque latebras,
Nec

Nec non immerita vinctas ceruice catenas
Ferre vltrò gaudes animis; ad dira per agros
Ire artus tormenta finis, iàm cuſpide ferri
Proſcindi corpus, iàm membris membra reuelli.
Sìc, ò sìc Heros defenſa ob Sacra cadendum,
Hoc te purpureo iuuet ire ſub Æthera cultu.
Hæc Pater, hæc totì palma acceptiſſima Cœlo.
Ergò Sydereos ſupremùm obuerſus ad Axes,
Totaque Diuino iàm corda incenſus amore
Hìc exangue ſinis trunca ceruice cadauer,
Ingentique animus ſeſe ingens addit Olympo.
At vis alta tui, quamuìs iàm plurima Cœlo
Exegit totiès labentia ſæcula Titan,
Hìc ſemper ſignis, ſemper Cœleſtibus Ara
Prodigijs floret. Cineres id namquè relictos
Ferre dedit decus, & multo cumulauit honore
Omnipotens rerum Sator, vt volventibus annis
Te tota Europe templis dignata ſuperbis,
Si res dura premit, ſi qua aſpera fata minantur,
Auxilio vocet, atque arcto diſcrimine rerum
Tu præſens adſis, curiſque, grauique labori
Solamen, ſoluaſque ægro præcordia luctu.
Præſertim ſi quid ſupplex Aretia poſcit,
Tunc nulli incaſſum fletus, ac vota ferantur.
Idque ratum magnis ſcit tota Hetruria ſignis;
Nàm Stygia tabes ſi quandò emerſa palude
Putribus acta Notis ſuſum per nubila virus
Diſpergit latè, gemit aura tepente veneno;
Omniſque Italiæ tractus, Tyrrhenaque tellus
Lethiferi propiùs ſentit contagia morbi,
Et iàm dira lues properata in funere ſæuit,
Itque ingens horror miſeris; ſtratique repentè
Exhalant dulces flagranti corpore vitas.

Cunctaque ferali iàm circùm exhausta labore
Oppida, funestisque ardet languoribus Æther.
Nunquàm mæsta lues te tristi Aretia tabo
Attigit, aut tali violauit corpora letho.
Nàm Diue effigies tua si sub mœnibus altis
Præfixa, & sacrum radians effulget imago,
Continuò virus charis à Ciuibus arces.
Sìc dilectæ Vrbi, donèc vis vltima fati
Hæc peritura sacris inuoluerit omnia flammis,
Stet sua tuta salus, meritisque ad Sydera tendat.

HYMNVS VI.

SANCTO BRVNONI Ordinis Carthusiensis Patriarchæ, & Fundatori, qui obijt in Eremo Calabriæ Anno Domini CIↃCI.

Ad Reuerendissimum Patrem IOANNEM PEGONIVM Carthusiensis Ordinis Priorem Generalem.

Dictus à Cæsare de Fabbris in Carthusia Vallis Gratiosæ.

VNdè tuos Diue incipiam memorare labores?
Vndè animi Cœleste decus, Cælestia dona
Persequar, & Di o perfusum Numine pectus?
Te minùs est quodcumq; canã, nèc laudibus vllis
Laus æquanda tua est. Sed sic tamèn annue ceptis,
Tu quoquè Pegoni lux ò clarissima Cætus,
Præsidiumque tui, dùm Diuo ordimur honorem
Hùc ades, atq; humili vultus nè subtrahe cantu.

Prima

Prima Agrippinæ quondàm sub mænibus altis
Lux natalis adest ad Rheni fluminis vndam,
Stirpsque excelsa tibi de sanguine ducta Quiritũ.
Ipsa simùl pietas, patrij simùl ardor Olimpi,
Et virtus omnis, dùm prima allabitur ætas,
Pubescit tecum. Iàm sacræ viuida menti
Vis infusa patet, iàmque alto plena decore,
Et castis annis, artesque exculta per omnes
Ipsa iuuenta suo crescit deuota Tonanti.
Ergò iàm studijs, sanctisque ad Sydera curis
Totus abis, totis hùc solùm nisibus instas.
Tùm monitu Diuùm longè à natalibus aruis
Sequanicas Arces, & Gallas tendis Athenas.
Hìc qui te plausus, ingens quæ fama sequuta?
Dùm rerum nexus, ac vincla arcana recludis,
Naturæque sinus omnes, omnesque latebras
Euoluis, verumque sua sub nocte latere
Ignotum prohibes; dùm culto pendet ab ore
Gallia tota tuo; dùm viuo è marmore vultus,
Effigiemque tui sacro monumenta decori
Sacrauère olìm. Sed nèc tibi gloria cordi,
Nèc mortale decus. Dio placuisse Parenti,
Hæc votis stat meta tuis, hæc sola cupido.
Vis procùl à fastu deserta per auia solus
Cœlicolis solis sacrare inglorius æuum.
Hùc te purus amor Diuùm trahit, hùc tua cura,
Et Dio metuenda mouent oracula nutu.
Nàmque tibi, primo seù lux apparuit Ortu,
Seù iàm sera cadit, seù nox atrata recurrit;
Vsquè animis hæret damnati funeris vmbra,
Vsquè atrox pallor, tristique horrore cadauer
Seù vigili tibi, seù sopitis sensibus errat.
Funebris mæror, funebri squallida luctu

Omnis pompa redit, redeunt funalia rursùs,
Et mœsti cantus, & turba affusa pheretro,
Dùm dirum media rursùs testudine templi
Extinctos artus, & membra exanguia funus
Attollit, diraque iterùm se voce fatetur
Ad Stygios Manes, & tristia Tartara missum.
Haùd procùl à Rhodano Taurinas versus ad Alpes
Mons latè aereis scopulis, & rupibus horret
Quem mœstis radijs, & læuo lumine Titan
Auersis vix tangit equis, vix culmina curru
Summa terit, volucrique citus prælabitur Axe.
Non mites Zephyri, non ver, aùt Chloridis aura
His est nota iugis; hìc omnis frugifer annus
Exulat, & raro reuirescit gramine tellus.
Bruma æterna riget. Nigra caligine rupes
Insedère apicem; tùm grando concita nimbis
Crebra iugi latus omne quatit, mediasq; procellæ
Seù niuibus stratis, seù tortis imbribus actas
Exercent rupes. Circùm latè omnia tristi
Diriguère gelu. Sunt & discrimina lethi,
Si molire aditus, nàm præceps mersa pruinis
Semita tota latet, subtùsque à rupibus altis
Se dirus torrens per saxa immania voluit,
Horrisonoque cadens circùm strepit omnia lapsu.
Hùc tu Diue Heros iàm certo Numine Diuùm
Concedis, faciesque loci nil aspera terret.
Hùc vna seni comites, socijque laborum,
Quos similis stimulauit amor, similisque cupido:
Hac tecum vnanimes glaciali viuere rupe,
Tecum extrema pati, nèc non asperrima vitæ
Amplecti studia, & curis communibus ire
Ad spes Æthereas, & magni præmia Cœli.

Iàm stat prima Ædes magna sacrata Parenti
Cœlicolum, circùm iàm prima mapalia septis
Stant diuisa suis, spatijsque æquata recedunt.
Dùm vero templis iàm res Diuina paratur,
Ac Delphinatum insigni pietate Sacerdos
Vos castis lacrymis antè ipsa altaria fusos
Hortatus lacrymans candenti incingit amictu,
Datque opibus senior sacrum tolerare laborem.
In visa Ætherei pubes pulcherrima Cœli
Per roseos Æthra tractus, nimbosque micantes
Certatìm pictis rutilantia corpora pennis
Librare in plausus, festasque agitare choreas,
Auditique procùl litui, vocesque canentum
Æthereo Regi lætum pæana per auras.
Tuque adeò his vltrò signis, Diuumq; secundo
Prodigio lætus tantùm Cœlestibus oris
Incumbis Pater. Hìc Dij monumenta doloris
Luctisonam Cedrũ, spinasque, & flagra cruenta,
Et scissos Heroi artus, laceratque membra,
Ac tela in sacris defixa trabalia plantis
Vsquè intèr lacrymas intèr suspiria voluis;
Dùmque gemis miti pectus succensus amore
Tù sponte in teneros sæuis crudelitèr artus,
Et membra aspergis largo laniata cruore.
Nèc tamèn esuriè cessas, macieque cruentos
Sìc torquere artus. Tùm summa impendere noctes
Est precibus cura, est duram per saxa quietem
Vix seris oculis per fessa admittere membra.
Ah quotiès magnæ prostrato ad limina Diuæ
Ipsa tibi aspirat Diæ dulcedinis aura!
Ipsaque Cœlestum pertentant gaudia pectus!
Tu vi cælesti sicca de rupe perennes
Educi latices, roremque salubribus vndis

 Ire

Ire iubes, gelidis qui nunc quoquè fontibus errat
Per priscas sedes, & claustra antiqua volutas.
Iàmque noua exoritur succis felicibus herba
Quæ tibi, quæ socijs septena fronde virescit,
Et sacro numero tot gramina sacra reponit.
Non vis vlla Noti, non hanc læsisse procella
Vlla potest, niueo decus immortale sub æuo
Pubescit planta, semperque simillima surgit
Ipsa sibi, ipsa suum tenet inuiolata decorem;
Haùd Cœtus tùm vana tui florentis imago,
Qui similisque, idemque sibi tot sæcula vicit.
Ast animi linquenda quies, linquenda parumpèr
Auia tesqua Pater, Romani ad Tybridis Arces
Ipse vocat summus Tarpea à rupe Sacerdos.
Hìc queìs non studijs, curisque ingentibus ardes!
Tu res humanas summo cum Præside rerum,
Seù qua Memnonijs Sol longè emergit ab Indis,
Seù sero Oceani iàm curru illabitur vndis,
Vsquè iuuas, Solijque sacrum tutaris honorem.
Quìn magnæ Ausoniæ tractus, finesque Latinos,
Vnanimaque omnes fouisti pace Quirites.
Tù sacro Cœtu, summo & mirante Senatu
Æthereæ Matri laudes, & carmina pangis.
Dùm vero Europæ sacrata capessere bella
Ipse Pater Diuùm iàm Numine fretus, & aura
Vrbanus suadet, dùm Gallum Heroa phalanges
In Syrias arces, & barbara vertere regna
Hortatur; Tybri Solymas, & quicquid Idume est,
Deberi, magno neù regna obnoxia Tybri,
Limina neù sacri cessent vicisse sepulchri.
Hæc curis properanda tuis res ardua cessit.
Hæc intèr non pompa tibi, non præmia Regum
Sollicitant pectus, non quæ stat nutibus Aula
Prona

Prona tuis, gemino tua nèc celebrata sub Axe
Te fama attollit; tu ſpretis plauſibus Aſtra
Tantùm optas, iſtùc ſolùm tua præmia tendunt,
Et ſola hæc animis merces ſperata recumbit.
Bìs ſublime decus, bìs ſacro inſignia cultu
Spontè oblata fugis. Nequicquàm hortatibus altis
Romanus Præſes, trabeàque, oſtroque decori
Nequicquàm Proceres monitis inſtare frequentes
Succedas oneri Pater, & tandèm aurea crines
Inſula circumdet. Placido tu pectore durus
Illacrymas, ſolique ratum ſtat viuere Cœlo,
Stat rursùs gelidas rupes, deſertaque rursùs
Syluarum amplecti, & ſcopulos coluiſſe niuales.
Nàm primæ cura, vitæque prioris imago
Te ſibi iàm totum teſqua ad conſueta repoſcit.
Ipſa loci facies noctesque, dieſque recurſat.
Se chari comites, ſe paruis addita ſeptis
Oſtendunt clauſtra, & nullis obnoxia turbis
Læta quies, nulliſque adeò pax anxia curis
Vſquè offert, notiſque animi penetralibus hæret.
Haùd tamèn hoc fas eſt. Non hùc te fata recurre
Diue ſinunt, alij montes, alia aſpera tellus
Eſt ſuperanda tibi, Calabris in rupibus æui
Meta futura tui eſt. Ad magna hìnc ibitur Aſtra.
Quis gemitus omnes, mixta & ſuſpiria fletu
Æneadum memoret, dùm grata Quiritibus ora
Subtrahis, & Tybrim, Tyberinaq; deſeris arua?
At te ſancte Heros longè Auſonis vltima tellus
Aereiſque iugis Siculo contermina ponto
Ora capit. Sacros iuuat hìc ſtatuiſſe penates.
Hìc noua Cœlicolis moliri clauſtra, nouiſque
Spinoſos frutices, & ſaxa includere ſeptis.
Sunt ſocii, comiteſque noui, quos hìc quoquè tecũ
Idem

Idem amor Æthereus dura ad molimina vitæ
Sponte trahit, solæque ferunt ad Sydera curæ.
Tu quibus hic studiis, & quo stimulatus amore
Sydereo rursus tua das præcordia Regi?
Das animum totum, gemini das omnia Mundi,
Omnia si tua sint: tantis radicibus hæret
Dius amor. Priscos hic stat geminare labores,
Afflictæque pati tormenta asperrima vitæ.
Hic magè sanguineis iam tu plangoribus ægrum
Dilaceras corpus. Tu saxa per inuia fusus
Sydereas arces, regna & pulcherrima Diuùm
Sola agitas animo, sola hæc in mente volutas.
Tu Robertiadi, cui se Messapia tellus,
Se mare Sicanum, tota & Trinacria subdit,
Dùm Capuam Siculis iam totam cingeret armis,
Et nocturna quies lenit iam castra sopore,
In somnis astas, olli tua tristis imago
Ceu veros gemitus, vera & suspiria ducat,
Visa atrox aperire nefas, instare propinqui
Exitij scelus, & miseri discrimina lethi;
Ni prior insidias, & perfida tela suorum
Extemplò sumptis iam iam disiecerit armis.
His excussa quies, monstrisque ingentibus actus
Dũ fremit arma Heros, dùm iam clangore tubarũ
Excitur Sicana phalanx, primique manipli
Accurrunt fidis ipsa ad prætoria telis.
Eccè omnis Graiùm dolus, insidiæque patescunt.
Coniurata manus, pars limina regia circùm
Obruitur ferro, sæuis pars viua catenis
Suppliciis seruata suis, hi fidere nocti,
Et solas rupes, & deuia quærere saxa.
Quas non largus opes, aut quæ nõ grandia dona
Magnanimus Rex in monumentum cessit amoris?
Ille

Ille ſuos cum rure lares pulcherrima tecta,
Ac bina aereas dat templa educta ſub auras.
Tùm varios nemorum ſaltus, & maxima tractu
Fertilibus ſulcis, & latis frugibus arua.
Tùm clauſis vineta iugis, ac mænibus addit
Oppida cincta ſuis, piſcoſaque littora ponti.
At tibi languenti dũ lux ſuprema propinquat,
Vnus amor Dio totum te rursùs amore,
Rursùs te miti totum ſacrare Tonanti.
Poſt ritus omnes, ipſa & Romana profeſſus
Sacra Pater, dulces dùm ſola ad Sydera niti
Hortaris ſocios, dùm mutua vincula pacis
Amplecti vnanimes, placido ceù lumina ſomno
Inclinas, ac membra thoro mortalia linquis,
Sydereumque animus tendit iàm liber ad Axem.
Hìc ſacro Cineri miris clareſcere monſtris
Dat Rex ipſe Poli; namquè imo æterna ſepulchro
Emanat lymphis, riuiſque ſalubribus vnda,
Qua pota claudi paſſim veſtigia ducunt,
Paſſim immunda lues vrentibus aſpera cruſtis
Excedit membris; cæcis caligine pulſa
Lux oritur, clauſaſq; ſonus iàm fertur ad aures,
Paſſim Tenariæ cedit vis atra paludis,
Et tuta eiecti iàm linquunt corpora Manes.
Nunc etiã precibus, ſi quandò in vota vocatus,
Vſquè faues, placidamq; animis tu Diue quietem
Aſpiras, triſtique metu præcordia ſoluis.
Tu Cælesti aura das vincere robur Auerni,
Das fraudes nouiſſe omnes, das gaudia vana,
Et peritura breui patrio poſtponere Cœlo.
O Pater, ò noſtri pulcherrima gloria Rheni
Hæc priuata etiàm (ſi fas) mea vota ſecunda;
Nàm nèc opes vllæ, nèc honos, nèc munera Regũ

Suc-

Succendunt pectus; si tantùm desit egestas,
Hoc æuum tenui satis est euoluere censu,
Da Dio Nato, Dia me posse Parenti
Vsquè omni placuisse æuo, da luce suprema
Me fraude à Stygia, tutum à larualibus vmbris
Hanc animam, gelido cum iàm se corpore soluet,
Placatis Superis, placato offerre Tonanti.

HYMNVS VII.

SANCTO GVIDO CONFESSORI

Ex Comitibus Donoratici, è nobilissima stirpe Gherardesca Patritio Pisano, qui Eremita vixit, clarusq; Sanctitate obijt, circà annum CIↃC. floruit, Videntur incuria temporum pleraque acta intercidisse.

Ad Clarissimum Virum
BARTHOLOMÆVM BEVERINI,
E' Clericis Congreg. Matris Dei.

Dictus ab Horatio Riminaldio in Sact. Basilica Pisana.

O Diue Ætherea qui nunc sublimis ab arce
Cuncta vides, duplici seù quà fluit æquore pontus,
Seù quà omnis tellus immenso didita tractu
Aùt Boream subit, aùt Nabathæo Sydere flagrat;
Hìc propiùs Pisasque, tuosque ò Sancte penates,
Quos Arnus flauo quoquè nunc prælabitur amne,

Aspe-

Aspectu pronus, totique adlabere Genti
Alphææ custos, tua quandò hìc annua Sacra
Persoluit supplex, cinerique indicit honorem.
(Tuque etiàm Aonijs lux ò pulcherrima Musis,
Egregiumque decus, nostro Beuerine labori
Aspira, numerosque assuesce audire minores.)
Tu quondàm pectus flammis Cœlestibus ardens
Æthereas sedes, ac ardua Sydera Diuùm
Vsquè animo versans sub limina prima iuuentæ
Syluarum latebris, saltuque inclusus auito
Cælicolis solis sacrasti inglorius æuum.
Nèc tua te trabeata Domus, seriesuè vetusta
Heroum mouet, aùt patrio spes prima Senatu;
Sìc nequè te primis ætas florentibus annis
Auertit retrò, nèc opes mouère superbæ.
Hæc tu cuncta animum Cœlesti incensus amore
Spreuisti Pater, in solis tu deuia Syluis
Amplecti tesqua, & toto super Æthera nisu
Efferri gaudes. Hùc tantùm lumina vertis,
Hùc tua cura omnis, spes hùc, & vota feruntur
Omnia, sollicitoque flagrans hùc tendis amore.
Queis hìc caste Heros non tu cruciatibus ægrũ
Exerces corpus? queis non (sic credere dignum)
Certasti precibus soli placuisse Tonanti?
Ah quotiès medio dùm nox euoluitur Axe
Perfusum lacrymis, suspiriaque alta trahentem
Aspexit flagris corpus laniare cruentis!
Tùm gelido saxo, nuda aùt tellure iacentem
Vix ægros artus vlla fouisse quiete!
Seù lux nata redit, seù noctis inhorruit vmbra,
Vsquè tibi occursat luctusque, laborque supremus
Syderei Regis, dum prò mortalibus ægris
Ipse insons cedro pendet moriturus ab alta.

Hic

Hic semper lacrymis, semper tua lumina fletu
Diue madent, nèc tu crudeli verbere cessas
Afflixisse artus, largumque ciere cruorem.
Tùm tibi Syderea crebrò dulcedinis aura
Expletum pectus, dùm mente euadis ad Astra,
Cœlestesque domos, atque aurea tecta pererras.
Sic reri fas est: Namquè hæc asperrima vita
Quis studia, esuriemque, & tot tormenta laborũ,
Arctoas hyemes, ardenti Sydere Soles,
Fessus, egensque ferat, desertisuè abditus æuum
Littoribus degat, ni sit diuinitùs olli
Subuentum, pronique ferant solatia Diui?
At longa macie, longo iàm squallidus æuo,
Dùm tua Cœlesti mens tota incenditur igni,
Tota ardet Superos, corpus mortale relinquis,
Æthereasque animus liber se tollit ad arces.
Continuò circà, quà templa, Ædesque sacrata
Vicinas latè valles, vicinaque latè
Littora Thusca tenent sacrati à vertice tecti
Vi nulla humana sese omnia turribus altis
Æra mouent. Festis tinnitibus omnia circùm
Responsant, collesque procùl, procùl æquora ponti
Tyrrheni, sonitusque etiàm procùl Ilua remittit.
Tùm iuxtà funus, lethoque exanguia membra
Diù dempti arboribus rami, virgultaque sicca
Extemplò viridi pubescere visa decore.
Prodigijs alijs, alijs ò maxime Diue
Te quondàm signis æuo viguisse vetusto
Credimus; Alphæo nàm olìm pulcherrima saltu
Templa, aræq; tibi, quæ quanquã in rudera vertit
Longa dies, locus ipse tuum nomenque, decusque
Seruat adhùc. Quin nunc luco, Syluaq; propinqua
Aram iterùm Alphæi Sancto posuere Sacello.

HYM-

HYMNVS VIII.

S. RAINERIO NOBILI PISANO,
Qui obijt CIↃCLXI. quiescitque Pisis in Æde Sacra primaria.

Dictus ab Octauio Abranio.

RVrsùs ab Eoo tibi lux pulcherrima Gange
Emicuit, rursùs sacro cumulauimus igni
Hæc tua templa Pater, Cineri solemnia rursùs
Hùc ferimus Sacra. Æthereo tu pronus ab Axe
Labere, dùm Sanctæ nos proni aduoluimur aræ.
Te veniente olìm prima sub limina vitæ
Non nisus Genitrix, non vllum est passa laborem.
Hinc creuit spes certa tui, spes certa Parentum.
Iàm primo pietas tibi prima elucet in æuo,
Elucet Virtus. Placidis iàm moribus ætas
Paulatìm viguit; nèc te tua prima iuuenta
Diù potuit luxu, diù curis sontibus actum
A' castis Superis, & magno auertere Cœlo.
Nàm Pater ipse suo dùm te succendit amore,
Dat sanctis lacrymis, sancto placabile luctu
Dat propiùs Numen. Quìn vox audita per auras
Testatur sacro delicta extincta dolore.
Tùm salsis lacrymis, fletuque amissa perenni
Lux oculis rediit. Iàm tùm tu solus ad astra
Defigis mentem, tu toto pectore tendis.
Hùc te curæ omnes, hùc spes, ac omnia vota
Vsq; ac vsq; ferunt. Procùl omnia plectra, lyraq;
Amota; spreti cantus, spretique sodales,
Quos non idem amor Æthereo succendit Olympo.
Nèc retro flexit te stirps insignis Auorum;

Di-

Diuitias, & opes iuuit spreuisse superbas.
Tu Solymas, tu Diuini monumenta sepulchri,
Ipsaque lustrasti Diui incunabula Regis.
Tu quacumquè oriens Libani de vallibus exit
Iordanis, quà palmiferam iàm vastus Idumen,
Aereasque secat roranti flumine cedros,
Et sesè in pelagus cum grandi murmure voluit;
Tu fatale iugum, Dioque aspersa cruore
Auia tesqua, ipsi quondàm calcata Tonanti
Tu loca Cœlesti mirè inflammatus amore
Inuisis cuncta. Hìc duros tolerare labores,
Pauperiemque iuuat, iuuat hìc asperrima vitæ
Complecti studia, & magnum super Æthera ferre
Te propiùs meritis. Hìc ergò spinea vestis
Corpus obit, nudisque moues vestigia plantis,
Seù tellus æstu, niuibusuè, geluuè laborat.
Hìc quotiès stratus magnorum ad limina Diuũ
Perpetuas precibus voluisti educere noctes!
Ætherea affari quotiès te summus ab arce
Dignatus Genitor! quotiès Diuina Creatrix,
Atque hæc ipsa tua quondàm cessura quieti
Promisit templa, & sacro te Numine fouit!
Post charis Pisis, ac dulci redditus Arno
Extemplò signis ingentibus omnia comples.
Nàm vi Cœlesti, Diuina fretus & aura
Tu miseris passim instantis discrimina fati
Auertis, passimque omnes ex artubus ægris
Depellis morbos. Quìn tarda immota retorto
Corpora vincta situ neruis das ire solutis.
Tu captos oculis optato lumine donas,
Quìn fletos cineres ad vitæ limina reddis.
Tùm, si quandò furens humana in corpora sæuit
Vis nigra Alipedum, tu monstra expellis Auerni.
Tu

Tu nequè iàm tacito potes alta in Sydera lethe
Tendere; nàm cunctis certatìm è turribus æra
Spontè sonant, sacrique obitus testantur honorem.
Hac olìm. Alphæis propiùs nunc Ciuibus adsis;
Et mea quæ memori persoluo carmine vota
Gratus habe, grates magno pro munere reddo.

HYMNVS IX.

AD SANCTAM VBALDESCAM

Ordinis Equitum S. IOANNIS Hierosolymitani, Virginē Sacram Pisanā in Conuentu S. Ioannis Pisis, quæ anno ætatis suę LXX. 1026. obijt, quiescitque Pisis.

Illi in fine Hymni tanquàm Diuæ Tutelari Equestris Militia Melitensis cōmendatur.

Ad Eminentiss. & Reuerendiss. D.
D. SCIPIONEM CARDINALEM ILCIVM.

Dictus à Laurentio Bigonginio

TV quoq; iàm felix supèr ardua Sydera Diuū
Diù meritis euecta tuis, diù limina Virgo
Cœlicolum calcas, & qua mortalibus vsquè
Optabas votis, & quæ sperare solebas,
Hæc iā parta tenes. Genitor tibi summus Olympi
Cum summo Nato, summoque aspirat Amore,
Omnia qua libes tu plenis gaudia votis,
Quæque noua, simul vsquè noua dulcedine pectus
Accumulent, nec finis adest, nec meta voluptæ.

O'

O' quà de superis patrijs nunc finibus Arnum
Voluentem latices, Alphaaque desupèr arua
Aspicis, & casti quondàm penetralia tecti,
Queis tua prodigijs viguit Cœlestibus ætas.
Hùc propera felix, hìc annua soluimus Aræ
Munera, Panchæum templis adolemus honorem;
Nos aditus tibi, nos viridi tua limina ramo
Cingimus, & lætis hìc omnia floribus halant.
Intereà Ilciade, sceptro cui digna Latino,
Parque olìm imperio Virtus, animusque futurus,
Si dent fata viam, nostris conatibus vltrò
Annue, namq; tibi Diuæ hunc molimur honorem.
Tu primis annis, prima exoriente iuuenta
Res tenues intèr, paruosque educta penates
Non sancto cessas ad Sydera tendere nisu.
Iàm tùm Cœlesti tantùm placuisse Parenti
Cura subest. Olli iàm tùm suspiria soli,
Soli ducebas gemitus; & lumina fletu
Humida sæpè mades. Olli tu casta iuuentæ
Limina, tu totum lustris venientibus æuum,
Si res arcta sinit, cupis vsquè, ac vsquè sacrare.
Seù parui tibi cura laris, seù licia torques;
Seù patriis aruis quoquè duro admota labori
Fers æstus omnes, fers sæuæ frigora brumæ;
Seù quicquid molire, animo tamèn astra pererras.
Hùc precibus tacitis, hùc votis omnibus acta
Vsquè optas Dia Genitor det Numinis aura
Quæ placitura sibi te cæpta capessere vitæ.
Iàmque inopes patrij si qui sub limina tecti
Pallentes astant impasti corpora fruge,
Quiuè arctus vincti, qui morbis segnibus ægri,
Tu leni, mitique omnes miserata dolore
Vt potes extremis certas succurrere rebus.

Tum

Tum tenerum gaudes horrenti corpus amictu
Esurieque, ac verberibus domuisse cruentis.
Tu neque iàm gemitu, tristique euoluere luctu
Diuini cessas monumenta atrocia lethi.
Vsquè tibi Ætherea Herois squallentis imago
Pallida, lurida, terribili laniata dolore
Occurrit, plagis vsquè, vsquè immanibus ægra
Se facies offert; tu spinea vincula necti,
Tu Dio Capiti defigi immania serta;
Tu diram attolli cedrum; tu vincta trabali
Brachia, tu plantas ferro, pectusque reuulsum
Vsquè vides lympha, vsquè amplo manare cruore.
Quìn crebro totas hæc inter talia noctes
Mæsta trahis, placidoq; negas tua lumina somnos
Fors tuguri Virgo sola in penetrale recessu
Dùm latices petis, & Cerealia dona laboras,
Iamq; adeò fruges flammaque, ignique domandas
Incensis latebris, & tecti fornice condis.
Eccè improuisò Iuuenis pulcherrimus Axe
Labitur, attonitaque metus his abstulit omnes.
Sunt vota Æthereo tua tandèm audita Parēti.
Mutandæ sedes, hæc ociùs omnia linque,
Nec fas cunctari. Pisarum ad Mœnia Virgo
Posceris; hìc tibi lecta domus, castique penates
Queis omne exoluas æuum sacrata Tonanti.
Tu nil addubita. Quìn nunc in limine primo
Te Custos longæua loci, te castaque Pubes
Optant sacratis certatìm admittere septis.
I' læta, i felix columenque, decusque futura
Mœnibus Alphæis. Te Dia tuebitur Aura.
Hæc fatus pictis redit alta in Sydera pennis.
Quis sanctas animi curas, tuaque omnia vota
Expleta, undantemque imo de corde voluptam
Hìc

*Hìc numeris æquet ? quis gaudia læta parentum,
Aùt memoret lacrymas, dũ iàm pulcherrima toto
Vertice rapta coma est, tuque Aris addita sanctis
Cœlesti supplex te totam incendis amore,
Æthereique oculos conuersa ad limen Olympi
Virgineos artus casto vestiris amictu,
Et tua sacratis obnubunt tempora vittis ?
Continuò lætis it vocibus vndiquè plausus,
It leni strepitu, it placido diffusa tumultu
Lætantum pietas. Est tàm felicibus orsis
Gratari communis amor. Iàm prima Sacerdos,
Iàm Sacratæ omnes florenti ætate Puellæ
Res intèr tantas sacrum pæana canentes
Cælicolis meritas haùd cessant soluere grates.
Ipsi iàm læti remeare ad rura parentes
Multa super Nata, super Æthere multa loquuti.
Quæ pietas Diuùm, quæ Sancti iussa Ministri!
Queis studijs iret, quam læto filia vultu!
Cum deserta Ceres incensi fornice tecti
Clausa subit, frugesque animo subière relicta.
At semèl occidua latuit sub Doride Titan,
Et semèl Eoo nascens apparuit ortu.
Quid faciant ? torrere nouis Cerealia flammis
Dùm iàm dona parant, dũ prima educere cura est
Corruptas igni fruges, ac vincula soluunt.
En noua se monstris res hìc Cælestibus offert.
Cessit vis flammæ, nil clausis frugibus ardor
Obfuit, ipsa Ceres innoxia tota renidet,
Et circà Æthereum latè diffudit odorem.
At tu, prodigijs cui iàm clarescere tantis
Bis Genitor dedit, hoc casta formidine Virgo
Te magè demittis, castoque ardescis amore
Cælicolum Regis, nè sonti gloria fuco.*

Ob-

Obrepat, stimuletuè leui præcordia fastu.
Tu tantùm Superis, ipsi & placuisse laboras
Æthereæ Matri, nullaque cupidine rerum,
Seù spe mortali, seù laude incendere pectus.
Iàm stat plura pati. Longa te duriùs ægram
Exerces macie; quìn dùm lacrymabile funus
Diuini Herois, rursùsque occurrit imago
Liuore horrescens, lacrymis gemis vsquè profusis,
Et teneros artus etiàm plangore cruentas;
Vìxque vllam admittis sera sub nocte quietem.
Quìn cum dura domi sæuit penuria rerum,
Iàm nèc opes superant æquæ, dotaliaque arua,
Aucto seù Matrum Cœtu, seù Sydere læuo,
Haùd tenui iàm suppeditant dona annua victu;
Tu res angustas, & casus sortis acerbæ
Prima leuas. Durum nàm spontè amplexa laborẽ
Dùm sedes omnes, ac ambis omnia latè
Limina, perque vias seù fers Cereale canistrum,
Seù demissa cados è tota protinùs vrbe
Subsidia ampla tuis, pinguis crateras Oliui,
Larga laboratæ Cereris, mitisque Lyei,
Et quæuis frugum lectissima dona ferebas.
At tua quæ pietas Virgo? qui viuidus ardor,
Quæ vis tanta animi? dùm sors à culmine saxum
Præcipitat labens, & nil tibi tale timenti
Hìnc, ac hìnc caput omne haùd vno vulnere rupit,
Iàmque ingens horror, diroque apparet hiatu
Plaga ingens, totoque cruor iàm vertice manans
In vittas, vestesque atro se flumine fundit.
Nequicquàm attonitæ circà Matresque, Nurusq;
Flere omnes, & opem lacrymis vrgere medendo.
Ipsaque nequicquàm casti te maxima Cœtus
Hortari custos, intèr lamenta sorores

Nequicquàm precibus, nequicquã fletibus omnes
Instare vnanimes artem experiare salubrem,
Neù Panacen fugias, medicæ neù munia dextræ;
Des virus plagæ, des segne auertere tabum.
Tu magis obduras, vultuque immota cruento
Persistis; sæuo lenimina nulla dolori,
Aùt optas plagæ. Nàm tu memor vsquè laborum,
Peregrumque olìm, quas Rex tulit Ætheris alti,
Hæc etiam cupis in tanti monumenta doloris
Vulnera dira pati, longisque angoribus acta
Sìc putri sanie, putri sìc vlcera tabo
Inferre extremo tecum immedicata sepulchro.
His Virgo gemmis, hoc solo in crinibus auro
Tu formosa places, tu Diuûm ducis Amorem.
Quid Nuribus memorem lassis dũ munus aquai
Præbes? dùm gelido lympham de fonte ministras,
(Rem miram intuitu!) plenis carchesia lymphis
Versa repentè nouo latè exundaße Lyeo?
Tu magìs hoc animum Diuinis ignibus ardes,
Et soli laudes das hìc demissa Tonanti.
Continuò Matres, quæ iàm vulgare parãbant,
Quæ magna ardebant te ferre ad Sydera laude,
Increpitas vltrò, dictisque hortaris amicis
Ne portenta velint, ac Diuùm munera pandi.
Iàmque adeò curis, & segni debilis æuo
Et tristi macie, & longo tenuata labore
Totque annos atra sanie, dirisque fluentem
Vlceribus plagam, ac sæuos perpessa dolores;
Dùm te summa dies summis languoribus ægram
Exercet thalamo, dùm pectus amore supremo
Cælicolum incendis, speque ipsa ad Sydera tendis
Complexus sociarum inter, lacrymasq; precesque,
Mortales artus, & membra exanguia ponis.

Extemplò gemitus tota mœstissimus Vrbe
Diditur, & miseris latè omnia luctibus ardent.
Omnia mixta simùl lamenta in Virgine rapta,
In rapta fletus, in rapta Virgine questus
Ingeminant. Circà lugubri murmure ripa
Dissultant Arni. Lacrymis communibus ire,
Communi iuuat ire omnes ad funera planctu,
Ossaque supremis cumulare exanguia donis.
At iã omnis Cœtus Matrum, iã maxima Præses
Te cinctam radijs, miraque in luce coruscam
Aereas nubes tranantem, & Sydera cernunt
Miratæ Superùm plausus, & gaudia Diuùm,
Nàm tibi Sydereo Pubes pulcherrima cultu
Obuia tota ruit, ruit alto à vertice Cœli
Ipsa phalanx, magnas tantùm cui cura sub Axẽ
Ferre animas meritis, & virginitate potentes,
Pars lateri glomerata subit, pars ardua Cœlo
Præuolat; hique nouam te circùm Heroïda latè
Nexilibus vincti gaudent fluitare choreis.
Hi lituis celebrant, hi lætis plausibus Astra.
At simùl vnanimes vnà omnes voce per auras
Æthereum pæana, & grandia carmina dicunt,
Tuque recens Diua æterno succedis Olympo
Æterna, & nullam norunt tua gaudia finem.
Nèc minùs hìc Cineres Sacra tellure repostì
Æthereis Italas longè, latèque per Vrbes
Clarescunt signis. Tu Numine freta secundo
Passim atris tenebris, mœsta & caligine septis
Das oculis lucem. Tu queis natura sub ortu
Implicuit segnes artus, curuataque membra
Distorsit, pigris das solui corpora nodis,
Liberaque accepto vestigia tendere motu.
Tu tristes morbos, tu das auertere fata

Iàm vicina agris; Si qua ignibus instat anhelis,
Siqua gelu febris, tu toto à corpore pellis.
Quasque olìm in latices vertisti Diua Lyeos,
Das lymphis (agri norunt hac munera Cœli)
Haurire amissum per tabida membra vigorem.
Ah Diua à patrio quà despicis omnia Cœlo
Non iàm Carpathij ceù quondàm ad littora ponti
Intuitus deflecte tuos; diù barbara Thrace
Heù Rhodias arces, heù diro victa Gradiuo
Regna tenet! Siculo sed quà protenta Pachyno
Nunc Afro Melite iacet vndiquè cincta profundo,
Hùc alacres animos, hùc iàm tua lumina Cœlo
Demitte, & Lybicis hac altera regna sub vndis
Tu Præses quoquè, tù custos antiqua tuere.
Militia nunc tota tuæ, nunc tota sacratis
Puppibus ipsa vaces, captisque ingentibus adsis.
Magnanimæ Heroum Pubi, castaque phalangi
A' Dio Genitore altas tu suffice vires,
Tuque animos, roburq; mari; Sed Thracibus atro
Deijce corda metu, medioque in Marte pauorem
Attonitis immitte animis; da vincere puppes,
Quæ sacra Fidei, sacro & bellantur Olympo.
Da totam Europen hùc ingens vertere robur,
Da iunctis animis, iunctis da viribus ire,
Et semèl extremo Nomades euertere bello,
Atque Asiæ, atque omnis Lybiæ vastissima regna
Eripere Odrysijs sancto Mauorte Tyrannis.
Intereà Alphæi felix ò Diua penates
Hìc tibi sint curæ, sit tota Hetruria cordi.
Tùm mihi, si fas est, vnum hoc, vnũ annue Diua,
Respice me tantùm summo in discrimine lethi,
Luctantiq; animæ, dùm iàm mors imminet atra,
Oh tunc da robur presens, da Numen amicum.

HYM-

HYMNVS X.

S. BONÆ SACRÆ VIRGINI PISANÆ,

Quæ obijt CIↃ CC. VIII. V. Kal. Iunij, quiescitque in Æde sacrarum Virginum S. Martini Pisis.

Ad Clarissimum Virum
DOMINICVM VANNI
Iuris Consultum.

Dictus à Iosepho Maria Cascina Equite S. Stephani.

TVnè meis numeris indicta silebere Virgo?
Tu Bona? cui Genitor venienti in luminis auras
Iàm lecto custode fauet, iàm Numine toto
Imminet, & sanctum Patriæ delegit honorem
Alphaæ? donis iàm tùm Cœlestibus auxit?
His ô Vanniade, Themidis laus alta Quirina,
Pegaseique decus, si qua est ea gloria Pindi,
Aspira numeris; namquè hac tibi maxima Diua
Diù totis admissa animæ penetralibus hæret,
AEsaridaque omnes mirum testantur honorem.
Iàm tenera, & primis Virgo crescentibus annis
Affatu es totiès magni dignata Tonantis,
Cœlicolum totiès. Quìn tùm placitura Parenti
Æthereo duris stratis, duraque quiete
Es iußa exiguos tu sola capeßere somnos,
Nèc socia est sancto Genitrix concessa sopori.
Post crebra esurie, & sæuis cruciatibus vltrò
Affligi gaudes, ac iussu Numinis acta

Non dubitas tenerum ſpinoſo inuoluere corpus
Tegmine, non artus dura vincire catena,
Non ferro, talique ad Sydera tendere niſu.
Ah Virgo felix ipſo comitata Tonante,
Ipſo etiàm fratre Ætherei comitata Tonantis
Cis mare Tyrrhenum, Sicani & marmora ponti
Tendis iter velis. Senſerunt Æquora Regem
Ipſa ſuum pelago ferri, tumidique repentè
Subſidunt fluctus, omneſque ex Æthere nimbi
Diffugère, Notique omnes, maria alta quieſcunt.
Tantùm Syderea Diuinis flatibus aura
Aſpirant puppi, ſeque omnis cærula pubes
Tranquilli Oceani, ſquammiſque, aliſq; ſuperba
Æquoreis crebrò oſtentat formoſa natatu;
Ceù sic Authori ſupèr humida regna recepto
Sit placuiſſe amor, & feſtis coluiſſe ſub vndis.
Iàmque adeò Libani ſaltus, primique fluenta
Iordanis, palmiſque omnem felicibus oram
Florentem aſpectas, quàque alta aſſurgit Idume
Omnis, & Iſacidum priſcorum finibus errat.
Dij præſertìm Comitis monumenta ſacrata
Aſpicis, Æthereis ſeù quà vagitibus aura
E' rupe exciſo thalamo, duroque cubili
Inſonuit, ſeù qua tormenta immania paſſus
Cœleſtis Comes obſtructum mortalibus Axem
Quondàm aperit victa ſtatuens de morte trophæũ.
Tùm procùl aereas cautes, nimboſque Pyrenes
Exſuperans alacris, tu ſedes tendis Iberas
Viſura exuuias Comitis, tumulumque ſacratum.
Vadentem lacero te nil vndantia ponte
Flumina, nilque furor lædit te ſpumeus vndæ;
Dùmque oculos Cœlo manibus fers alta ſupinis,
Gens tota incolumis per iàm labentia tigna,

La-

Labentesque trabes, ipsa & tabulata reuulsa
Euadit celer, & ripa ulteriore potitur.
Tu latus Ismaria quondàm disrupta bipenni
Tota cruore mades, tu Thracum carcere vincta
Omnes pro magno fers Numine læta labores.
Tu quotiès Tybrim, quotiès tot limina sancta,
Limina quæ sacro Diuùm perfusa cruore,
Visisti lacrymans! quotiès præsaga futuri
Euenta attonitis tua mens mortalibus edit!
Sis licèt Alphæis, alijs licèt hospita tectis,
Vsquè tuis votis, precibusque ad Sydera tendis;
Vsquè iuuas, & opem passìm languentibus affers.
Ipse suam effigiem tibi Rector præbet Olympi,
Ipse suo fratri sacratam attollere sedem,
Dat quoquè te miris latè inclarescere signis.
At tu me propiùs, propiùs me respice Virgo.

HYMNVS XI.

B. CLARÆ GAMBACVRTIÆ SACRÆ VIRGINI PISANÆ,

Nedùm in Apotheosin relatæ, Fūdatrici Conuentus S. Dominici Pisis, quæ obijt decimo quinto kal. Maij 1420. ætatis suæ 57. quiescitque Pisis.

Dictus ab Andræa Vrsinio.

O Decus Alphææ, laus & pulcherrima Genti,
Et quondàm Heroum Clara alto à sāguine ducta

Quæq; eadem Patriæ nunc spes, columenq; sacratū
Sydereo felix despectas omnia Cœlo,
Antiquas sedes, antiquo gurgite labi,
Seque Arnum medijs spumantem euoluere Pisis,
Quique tibi superant prisci monumenta penates.
Hùc ades, ac humili laudes ne despice cantu.
Tu tenera, & primo iàm vix educta sub æuo
Deflagras castis tantùm præcordia curis.
Iàm tùm Cœlicolum Regi placitura canebas.
Vota libens, totoque ibas ad Sydera nisu;
Nàmque inuita thoro, tædisque iugata superbis
Haùd cessas lacrymis testari crebra Tonantem
Non tibi mortali flagrare cupidine pectus;
Sed castos annos, ætas quæcumque sequatur,
Te cupere intacta Superis sacrare iuuenta.
Quìn raptū à digitis aurum, viridesq; smaragdos,
Gemmasq; & radijs fulgētem adamanta coruscis
Intèr singultus, intèr suspiria flentem
Fama est te Supero donasse hæc munera Regi,
Qui tibi solus amor, sola exoptata voluptas.
Audijt hæc, Cœlique alta miseratus ab arce
Et votis vltrò, & precibus Pater annuit æquis.
Dùm magnus Cœlo vix tèr conuoluitur annus,
Vi morbi oppressus primæua in flore iuuentæ
Occidit, & tædas Coniux in morte resoluit,
At tu sola tibi iàm reddita, nequa parari
Vincla thori, nectiuè iterùm connubia possint,
Omnem cæsariem, capitis pulchrumque decorem,
Abscindis ferro. Sìc te iuuat ire sub Axem.
Haùd Pater hunc animum, stirps haùd excelsa tuorum
Seù precibus blandis, seù largo euincere fletu.
Nilque minæ prosunt, tristes nil carcere cæco
Obie-

Obiectus squallor. Tu mente immota resistis,
Curarumque adeò victrix, votisque potita
Non nisi iam studijs animum cœlestibus ardes.
Vix nocturna quies tenui permissa sopori;
Mente adeò, precibusq; vigil supèr Æthera tendis,
Et tantùm in Dio suspiria ducis amore.
Hinc res mortales, hinc sordent omnia, Cœlo
Vsquè aciem attollis, Cœlo omnia gaudia quæris.
At Stygij Manes nè quid molimine tentent
In nudos artus setis immanibus horrens
Inducis tegmen, nèc non domuisse laboras
Seù macie, seù sanguineo tibi verbere corpus.
Tantùm vni tibi dura, tibi implacabilis vni,
Et nil indulgens, toti at mitissima Cœtu
Ipsa praees, sacrasque omnes vno ordine matres,
Vno omnes natas sancto tu lenis amore
Complecti gaudes, blanda & solatia prabes.
Has olim sedes opibus tu diues auitis
Virginibus patrijs casta sacrata quieti
Attollis tecta, & monumenta æterna relinquis;
Nèc cessas inopum angustis succurrere rebus.
Non Patria, fratrumque aspersi cæde penates
Extremumque nefas populi in sua fata ruentis,
Te stabili mouère animo, placidaque quiete.
Hos diros casus, & fata extrema tuorum
Prò charis Superis, & Diuùm Rege ferebas.
At Dia effigies Senarum à mœnibus vsquè
Hùc donum venit, mortalique ore loquuta
Te sibi Custodem, sedesque, aramque poposcit,
Quà pronum impertit quoq; nunc è stipite Numen.
Tùm quoquè prodigijs summi te Rector Olympi
Seù iam vita manet, Cineres seù terra recepit
Dat toto Ausoniæ latè inclarescere tractu.

Dùm cuiquam è Cœtu lux imminet vltima fati
Continuò audiri strepitus, & murmure sacro
Iàm tua collidi, miscerique ossa sepulchro.
At nunc prona tuis ex AEthere Ciuibus adsis.

HYMNVS XII.

SANCTO FRANCISCO DE PAVLA ORDINIS MINIMORVM FVNDATORI,

Qui ætatis suæ Anno 91. postridie kal. Aprilis 1507. obijt.

Dictus à Thoma de Fabbris.

QVis te, Diue Heros, mortali attingere cantu
Mortalis tentet? nàm dũ tibi vita maneret,
Imperijs Natura tuis se tota remisit;
Se quoquè Sydereus Diuûmq; hominumq; Creator
Spontè tibi indulsit, presenti ac Numine fouit,
Si quãdò precibus quicquàm in tua vota rogares.
Hinc parent elementa tuo passim omnia nutu.
Lymphas sæpè tibi iussa de rupe cadentes
Terra dedit, sæpè arboreos noua munera fœtus
Parturijt; iussique situs mutare priores
Cessère aerei cum toto vertice montes.
Se rupes, se saxa sinunt immania ferri,
Attollique manu, fugit ipso à pondere pondus.
Non te acres flammæ non ipsa incendia lædunt
Ingressum indomitos medijs fornacibus ignes.
Quin tibi se Venti, se passim subdidit aura
Omnis, & ad nutus nimbi fugère sacratos.

Tu

Tu mare Sicanum, quà Scillæ naufragus horror
Vsq; latrat, vorat vsq; rates, reuomitq; Charibdis,
Transmittis nulla vectus per cærula puppe,
Attonitumque moues vestigia sicca per æquor.
Passim iussa lues, elephasque, ac sæua Diana
Spumoso cessat prosternere corpora lapsu.
Capti oculis solem aspectant, clausasque per aures
Iàm sonus ire potest, & vox audita referri.
Vinctis segnities neruis, omnisque recedit
Corporibus stupor; Inuiti Phlegetonta sub atrum
Effugiunt Manes, & corda obsessa relinquunt;
Morbi omnes properare fugam, non ipsa sepulchris
Ossa latere suis; passim ad noua limina vitæ,
Vitalesque auras datur atra à morte reuerti.
Quæ Rex Parthenopes dat regia dona, recusas,
Hìc populi cruor est, ò Rex, & sanguis egentum,
Atque onus in miseros, inquis, minuisse memento:
Effringisque aurum, at visu miserabile monstrũ!
Continuò cruor è frustis fulgentibus exit,
Et circà largo perfusa est sanguine tellus.
Si tacito quid corde tegunt, quid mente repostũ
Mortales cælant, tu per penetralia Diue
Totus abis, sensusque soles nouisse latentes,
Quin etiàm attonitis fata euentura canebas.
Tu Rege à Rhodani Gallas accitus ad arces
Omnem istam signis comples cœlestibus oram.
Teque optat votis tumidi Dominator Iberi;
Te paribus studijs, curisque ingentibus actus
Teutonicum magnus deposcit Cæsar ad Albim.
Ergò te viuo tua se diffudit in omnem
Relligio Europam; stantque incrementa superba
Post magis, atq; magis venturo augenda sub æuo.
Tu senio extremo fessus succedis Olympo,
At tua prodigijs vis hic manet vsquè secundis.

HYMNVS XIII.

S. THOMÆ DE VILLANOVA ORD. EREMIT. S. AVGVSTINI Archiepiscopo Valentiæ in Hispania, à Papa Alexandro VII. Diuis adscripto, qui obijt 1555. etatis suæ 68. initio Canonizationis solemnitate, ac pompa celebratur.

Dictus à Petro Thoma de Ansaldis.

SI quandò Aetherei Vigiles, primaq; phalangis
Ductores superi, vos Agmina lucida Diuûm,
Militiæque, Aciesque Poli, vos Angue subacto
Et quondàm insignes Arctoa clade manipli;
Quique artus ægros, & iàm mortalia membra
Exuti omnes, qui meritis ingentibus acti
Iàm superas arces, & Diuûm regia tecta
Incolitis latè Cœli alta in parte locati.
Si quandò iuuit terrena inuisere regna,
O' nunc vnanimes à toto abscedere Cœlo
Nè pigeat Superi, nè nunc Tyberina fluenta
Aspicere, & propiùs sedes lustrare superbas.
Quæque tot aereis hic templa educta sub Astris,
Tot sanctos adytus, & tot delubra tenetis;
Neù premere, & notis vestigia figere plantis
Qua cæde & vestro tellus sancita cruore.
Hùc rès æthereo plausu, æthereoquè triumpho
Solis Cœlicolis, solis supèr Axe receptis
Digna vocat, vobis, si qua est ea Gloria, surgit.
Hìc qui terrarum à magno concessa Tonante
Sceptra

Sceptra gerit, gemino solus qui præsidet Orbi,
Et vestri pandit, seù limina claudit Olympi,
Et premit imperio Manes, & Tartara nutu
Chisius ipse, caput triplici circumdatus auro
Ipse sacro, niueoque humeros indutus amictu
Indis Chrisolitis, Indis candente Smaragdis,
Gemmato nixus solio, iàm maxima Cœlo
Sacra parat, Superisque nouos indicit honores.
Primates circà prò magnis Regibus astant
Demissi, circà gemmisque, ostroque corusca
Primorum selecta manus. Stant ordine longo
Tèr centum Ausonij Patres, queis infula candis
Aurea deuincit crinem, queis omnibus æquè
Est standi discretus honos; tùm plurima pubes
E' magna Europe, magno procùl Orbe profecta
Spectandi studijs, & tanto excita paratu.
Seù quos Oenotria tellus, quos maximus amne
Danubius, geminoque ingens quos flumine Rhenus,
Quos magnus Rhodanus, Scaldisque, & causa triumphi
Hùc læta occiduis Hispania misit ab oris.
It Panchæus odor Templis; it Sanctus ad auras
Thure vapor; latèque opibus cumulata superbis
Bis mille accensis ardent altaria flammis.
Dùmque omnes sacro lecti de more ministri
Et castùs Cœtus simùl omnis, & omnis ad Axem
Æthereum pubes iàm toto pectore tendit,
Tèrque preces, tèr vota ferunt iterata Tonanti,
Et tacito latè simùl omnes ore silescunt.
Ipse Pater summo fretus iàm Numine Diuùm
Chisius intendens oculos, ac lumina Cœlo.
(Qui mos sacrorum) solemnia verba profatus
Heroa Hesperium Diuis Cœlestibus addit,

Et quàcumque patet gemino ſub Sydere tellus
Dat cunctis latè templis, latè omnibus aris
Sacratos cultus, datque à mortalibus agris
In ſpes cuique ſuas, ſua cuique in vota vocari.
Haud mora. Lætitia fremitu, placidoq; tumultu
Inſurgunt altè plaudentum ad Sydera voces.
Inſequiturque canor lituis, ſanctuſque tubarum
Ingeminat clangor; lætiſque fragoribus Æthram
Arx Romana quatit; piceis volat ignea gyris
Flamma micans, ſacrũq; ciet per nubila murmur,
Et medio flagrant innoxia fulmina nimbo;
Tùm tota ſimùl Vrbe altis à turribus æra
Certatìm ſacris tinnitibus omnia complent.
At vos Cœlicolæ, queis omnis Iberia curæ,
Queis olìm Gades, & queis nimboſa Pyrene,
Tot ceſsère Vrbes, & tot pulcherrima regna,
Seù quà Mopſopiæ ramis inſignis Oliuæ
It Betis Pater, & longis erroribus actus
Occiduo tandèm mergit ſua flumina ponto.
Quàuè Tagus diti voluit ſe ſpumeus auro
Illabens, quà raucus Anas ſe gurgite magno,
Se magnis vndis per pinguia culta volutat,
Irrumpitque mari; quà latis Duria lymphis
Frondoſas intèr riparum elabitur vmbras,
Iàmque ſacros Diui præterluit amne penates.
Hìc nunc ò propiùs centum modulamina vocum
Centenis audite choris, lituiſque Latinis
Heſperium decus, & caſtum pæana canentes.
Diue Heros primi quondàm ſub luminis auras
Te Pater ipſe ſuo Diuùm ſignauit honore,
Iàm tùm ſpontè ſua grandi te Numine fouit,
Ac ſibi ſydereo vinctum delegit amore,
Qui magna Lybia ſacratum Heroa ſequare;

Qui-

Quiq; olim Asturia in magna voluentibus Astris
Sis Ara adlectus custos, ipsisque sacratis
Diuum adytis sancto presis circumdatus auro
Cæsariem, ac propiùs rem alti tuearis Olympi.
Tùm res afflictas inopum, tristesque labores
Ipse leues, serumque adeò tua mitis in æuum
Hæc pietas eat, & sempèr memoranda feratur.
Nèc dubijs Genitor dedit hæc clarescere signis.
Nàm tua dùm cæpit iàm fari infirmior ætas
Continuò primi ceu tunc des pignus amoris,
Des primos animæ nisus, auique futuri
Primitias Supero Regi, Superaque Parenti
Cœlicolum sacres, Diuinis laudibus ora
Imbuis, & blæso celebrasti carmine Diuos.
Post æuo crescente, anima penetralibus altis
Se Dius commiscet Amor præcordia fingens,
Sydereisque animam iàm tùm Virtutibus implet.
Extemplò studia in Superos, pietasque, precesque,
Ac animi lenis, mitisque apparet imago.
Nàm tu, brumali sæuit dùm Sydere tellus,
Dùm mæstis nimbis, gelidisque Aquilonibus aura
Horrescit, si qua lacero squallentia cultu
Corpora, si qua vides crudeli algore teneri,
Si qua exhausta fame, seù curis tristibus ægra;
Illacrymas gemitu, & sancto miseratus amore
Non lacrymis inopum, non te miscere dolori
Mærentum cessas; proprijs quin vincula plantis,
Quin thoraca ablatum humeris, ablata capillis
Ipse tuis tegumenta, & si quid charius his est,
Donabas miseris, ipsa & Cerealia dona,
Quæ quondàm Puero Genitrix præbere solebat.
At dùm casta viget lustris iuuenilibus ætas,
Vt tibi Sydereo pectus succenditur igni!

Vt

Vt dotes animi donis cœlestibus aucta
Creuère! vt sacras mens tota exculta per artes
Iàm nil terrenum, nil non cœleste volutat,
Solaque se Superis miscens supèr Æthera tollit!
Hùc te curæ omnes rapiunt, hùc omnia vota.
Statque pati, stat temnere opes, duroq; labore,
Et solis tantùm mercari Sydera pœnis.
Atque adeò tegmen setis crudelibus horrens
In castos artus, ferroque rigente catenas
Inducis, macieque etiàm sic saucia membra,
Sic lacerum exerces corpus, plagisque cruentas,
Deflagret castis nè qua impia flamma medullis.
Tu quicquid Genitor supremo à funere liquit
Diuitiasque, & opes das clara stirpe creatis,
Pauperie at summa pressis, victusuè labore,
Virginibus patrijs arctis solatia rebus.
Sic inopes Cœtus, Lybici sic casta Parentis
Amplexus septa, amplexus iàm limina sacra
Te magis atque magis Cœlestûm incendis amore,
Vsquè animis magni tibi Numinis hæret imago;
Huic soli gemitus, soli & suspiria ducis,
Soli tu lacrymis, ac sanctis fletibus ora
Vsquè rigas, Supero nec mens discedit ab Axe,
Quò precibus flagrans, votisque ingentibus acta
Aspirat tantùm. Quin nox vbi sera quadrigis
Iàm medium tenet alta polũ, tenet omnia somnus
Corpora, tu stratis duris, duroque cubili
Vix tandèm exigua componis membra quiete.
At decus eloquij, cœlestia munia fandi
Seù mites monitus, seù sacra fulmina linguæ
Quis cantu exæquet? nàm tu lux gentis Iberæ
Æthereæ flamma, & stimulis cœlestibus ardens
Cunctantes animos, & segnia corda trahebas.

Tan-

Tantùm Cœlicolas, atque ardua Sydera votis
Affectanda homini, non hæc peritura canebas,
Quæ sors, quæ casus, quæ vertant funere fata.
Hinc patria tellure ingens it didita Virtus,
Itque etiàm immenso Europæ clarissima tractu.
Teque adeò laudum tantarum incensus amore
Idem Danubij, ac tumidi regnator Iberi
Spontè sua Hesperiæ legit Primoribus Aulæ
Qui pronis Superis, ac fandi munere fretus
Terrarum Dominis cœlestia iussa recludas.
At tu quam casto malis inglorius æuo
A plausu procùl, & factu latuisse superbo!
Quaque adeò in terris mortalia corda fatigat,
Exercetque animos, non est tibi gloria cordi.
Nèuè vnquàm, spreti imperij ni lege subacto,
Insula Memnonio crinem tibi vinciat auro.
Ergò iàm sacro victus succedis honori;
Et quamquàm extemplò series asperrima rerum,
Curarumque premat moles, natique repentè
Te duri exagitent casus, densique labores;
Obuius ipse malis, contràque audentior ibas,
Difficilesque animos, & nescia pectora vinci
Mollibas tandèm, placidisque hortatibus omnes,
Seù iàm spontè sua, seù te monitore trahebas.
Hinc casti ritus, & passim munia sancta
Florescunt rursùs templis, ac omnibus Aris
Antiquum decus, & cultus redière vetusti.
Nèc non noxarum iàm omnes, scelerisque, dolique
Pertæsos casto iuuat ire ad Sydera cultu.
Intereà haùd sancta cessas durissima vita
Tu studia amplecti, precibusuè ad Sydera ferri.
Dùm sopiti artus, ac membra immota quiescunt,
Et procùl à terra quandòque elata manerent,
Tu

Tu Superas sedes, ac grandia limina Cœli,
Auratasque domos, coràm & pulcherrima Diuũ
Corpora, Sydereosque habitus, radiosq; micantes
Spectasti crebrò, & sacrum pæana sub Axe
Audisti Æthereo, nèc non Diuina volupta
Ceù mixtus medijs libasti gaudia Diuis,
Tùm quos non inopes, aùt non solatus ègenos?
Noctes, atque dies his limina tota patebant;
His vestes, & quicquid opũ tibi, quicquid & auri
Largiris, mitique omnes complexus amore
Dimittis lætos vt sors sua quemque premebat.
Hìc sileam Æthereas fruges, ac munera Cœli,
Quæ quondàm Supero Genitor demisit ab Axe?
Dùm tu fortè sedes casta penetralibus aulæ,
Poscit Ibera Nurus tenui solatia victu
Ægra fame, largisque humectat fletibus ora,
Tùmque preces addit rursùs, suspiria rursùs
Cum gemitu miscet, iàm dulcia pignora Natos
Fortè extrema pati, fortè ipsa in morte teneri
Esurie victos, aliquo des munere frugum
Vicinam Lachesin, & tristia fata morari.
Quid facias? flenti desunt sua munera matri.
Æthereum supplex tua lumina versus ad Axem
Irroras lacrymis, simùl ad Cerealia tecta,
Si quid adhùc superet frugum, si fortè supersit,
Custodes mittis magna spe Numinis actus.
At famuli nequicquàm iri, sumique laborem
Nequicquàm, iàm visa sibi nuda omnia frugum.
At moniti tamèn ire, & sancta capessere iussa.
Vix primas sedes, ac ipsa ad limina ventum,
Atque hìc attoniti monstris cœlestibus hærent.
Eccè immensa Ceres tectum diffusa per omne
Dulci halat, sparsaque tenent latè omnia fruges,

Et

Et Dia exundat Cereali munere messis.
Omnes quid memorem artus, ac membra omnia vinctùm,
Atque adeò prius inualidum, feßumque senecta
Sera hominem firmis vestigia figere plantis,
Et lætum insueto se ferre per omnia greßu?
Dùm iàm fatali defixus membra cubili
Vi morbi oppressus, summisque doloribus æger
Extremùm langues, & mors vicina propinquat,
Tunc etiàm Pater haud inopũ miserescere cessas;
Nàm quicquid seù vestis adhuc, aurinè remansit
Das vltrò miseris supremo largus amore.
Quìn ipsum stratum, quo tu moriture iacebas,
Id quoquè donasti, sic pauper iturus ad Astra.
Hìc neq; meta tui. Quìn post tua funera rursùs
Dat Genitor Diuùm signis florere superbis.
Nàm passìm luci, passìm vitalibus auris
Exangues artus, ac fleta cadauera reddis.
Tu tenebras oculis, tu pigris vincula membris,
Et tristes soluis vicino à funere morbos,
Tu quoquè Tanaria crudelia monstra paludis,
Si quos exagitant, stimulisuè atrocibus angunt,
Depellis, Stygijs stant tuti fraudibus ægri.
Ah pietas in te, quæ tanta, & tanta reluxit,
Caste Heros eadem sacra Primoribus Ara
Fac Virtus eadem Recti, Sanctique cupido
Sit cunctis, ollis tu sis imitabilis ardor.
Tùm Pater Hesperiæ qui lux, & gloria Gentis
Qui Dio Nato, Dio qui fretus Amore,
Qui summo Genitore potes nunc omnia Cælo,
Da Diuùm Rex Ætherei sua munia Nati
Diù Fabium terris sua diù sacrata tenere
Sceptra sinat, placidaque Orbem diù pace tueri,
Et serò tecum Cælesti attollat Olympo.

HYMNVS XIIII.

DIVO FRANCISCO SALESIO
EPISCOPO GENEVÆ, ET PRINCIPI.
Nupèr à S. D. N. D. ALEXANDRO VII.
Inter Sanctos Cælites relato 1662.

REGIÆ CELSITVDINI
SERENISSIMI PRINCIPIS
CAROLI EMANVELIS II.
Ducis Sabaudiæ, Principis Pedemontij,
Regis Cypri, &c.

Dictus à Cosmo Maria Vercassonio
in Sacra Basilica Pisana.

HÆc quoquè Sacratis dùm latè Heroibus ætas
It fœcunda suis, it priscis æmula sæclis,
Queis nil prodigijs, aùt iàm cœlestibus vllis
Concedit studijs; At virtus omnis auita,
Omnis adest rursùs Pietas, quæ pectora fingit
Et meritis animos ingenti ascribit Olympo.
Iàmque nouo Indigeti primis obnoxia votis
Certatìm Europe Pario de marmore templa
Attollit, latèque nouis fumantibus aris.
Iàm thus Romanum, Panchæaque munera libat.
Vos mihi, Cœlicolæ, nunc aspirate fauentes,
Hunc vos Heroem, quo tellus tota superbit
Allobrogum, quemque Æthereo vos nupèr ouantē
Accepisse Polo, Regnique in parte locatum
Inseruisse alta iuuit Primoribus Æthra,
Vos miris signis, & mille laboribus auum
Exactum Heroi date digno euoluere cantu,

Et

Et ferre in feros tanta hæc monumenta nepotes.
Tuque adeò, Allobrogum cui se Mauortia tellus,
Se Tellus Taurina omnis pulcherrima subdit,
Cui mare Carpathium, cui sceptro debita Cyprus,
Carole, Progenies Diuis à Regibus orta
Hùc ades, hæc Princeps omnis tibi pompa paratur,
Hoc Regnis decus omne tuis, hæc gloria surgit.
Intereà castis his annue tu quoquè cœptis.
Fors olìm Odrysias Taurino Marte phalanges
Disiectas pelago, disiectaque Thraciæ longè
Carbasa, & Ismarijs tua Regna erepta Tyrannis,
Idalias Arces, & victa littora Cypri
Ipse canam, viuaxque ibit per sæcula carmen.
Caste Heros, prima nedùm ad cunabula vitæ
Lux matura fuit, dùm iàm succensus amore
Ipse tui Diuùm Genitor te Numine fouit,
Te sibi, dùm sacris affusa Altaribus hæret
Casta Parens, dono pignus cœleste poposcit
Iàm tùm Cœlitibus, templisque, arisque dicatum.
Si quandò Pietas, animi si viuida Virtus;
Aùt se mitis amor mortali vestiat ore,
His tantùm effigies, atque hæc tua mitis imago
Sit placitura Pater. Cœlesti plena decore
Paulatìm primis ætas apparuit annis,
Et sensìm casta iàm cum formidine Diuùm
Crescit amor, flammisq; animus cœlestibus ardet.
Iàm tùm sydereas Arces, & limina Cœli
Affectas tantùm; primis hùc tendere votis,
Et precibus cura, & studijs simùl omnibus ire.
Nèc minùs Æthereo iàm mens imbuta vigore
Dat specimen cœleste sui, nèc viuidus ardor,
Quo iàm omnes animū iuuat excoluisse per artes;
Nèc potuit miti latuisse sub indole pectus.

Nàm

Nàm si dura fames, si queis incumbit egestas,
Si nudos artus brumali asperrima Cœlo
Læsit hyems; squamisáe elephas albentibus horrẽs
Sanguineis latè maculis, putrique cruentat
Infestus tabo; si pigri segnia membra
Exercent morbi, seù tabes mœsta peredit,
Seù curæ exagitant tristes: tu protinùs omnes
Solari, sortemque animo miseratus iniquam
Ægrorum lacrymis, ipsisque doloribus æger
Misceri haùd cessas, & larga effundere dona.
Qualis ab Eois dùm primùm Lucifer Indis
Idalium Sydus lætis fulgoribus effert,
Osque sacrum terris iàm toto lumine promit,
Agricolis tacitè pertentant gaudia pectus.
Sic, ò Diue, tibi prima lanuginis æuo
Dùm pulchra exoriens diffundit lumina Virtus,
Luxque oculis, primaque iubar cæleste iuuenta
Emicuit; passim subit ipsa in corda tuentum
Vis arcana Poli, se Recti mira cupido,
Se pietas sensim, sensim nouus ardor Olympi
Insinuat, sontesque abeunt è pectore curæ.
At nutu ingenti Diuùm inuiolata potestas
His te prodigijs, primo & dignatur honore.
Nàm quondàm Europæ tu lux decreta, salusque,
Qui duras animas, Sacrisque auersa Latinis
Corda trahas, prædamque Erebi de faucibus actã
Syderei victor sistas super ardua Cœli.
Ergò stat Galli penetralia viscere Regni,
Vrbem præcipuè, quà Sequana regius amnis
Borboniæ monumenta domus, sedèsque superbas
Regifico ductas latè alta ad Sydera sumptu
Irrigat, & placida labens præterluit vnda.
Hic tua sydereo dùm tota affigitur Axi,
Tota

Tota vacat Superis mens, & propiore calescit
Numinis igne sui, mirum, quàm didita latè
Extemplò pietas! Quali tua maxima plausu
Clarescit Virtus! Dùm, quæ Natura latebris
Abdidit alta suis, cæca & caligine condit,
Vnus tu promis, Verique ad lumina ducis.
Quin res Æthereas, atque ipsa arcana Tonantis
Iàm penetrasse datur, seù quò monumenta pioru͂
Spectarint Vatum, seù nunc noua fœdera tendāt
Syderei Herois quondàm sancita cruore.
Tu sancto gemitu, dùm casta altaria supplex
Irroras lacrymis, & Cœli suspicis Axem,
Hùcque ambas acies, hùc solùm lumina figis,
Et tuus omnis amor iàm toto pectore fertur,
Magno Cœlicolum Regi, magnaque Parenti
Te totum donas, & quæ te cumque sequatur,
Seù viridi rapitur, seù segni tardiùs æuo,
Ætatem sacras, castisque euoluere lustris
Omne voues æuum vitæ, vitæque labores,
Haùd alijs flammis, alijs haùd ignibus vnquàm
Arsurum pectus, neuè vlla incendia castis,
Hac nisi dent Superi, deflagratura medullis.
Nequicquàm Stygij cæpta ad felicia Manes
Incendi rabie, nequicquàm fraudibus atris
Moliri insidias, diris horrenda figuris
Dùm monstra obiectāt animo, dū murmure rauco,
Et voce obscura ingeminant, tibi limina Diuùm
Æternùm clausa, & prædam Phlegetonte sub imo
Te sibi deberi, dudùm & crudelibus vmbris
Addictum, nèc fas vllam sperare salutem.
His nàmque insidijs, & curis tristibus actum
Te Virgo Custos, ac Diuùm maxima Præses
Eximit, atque animum præsenti Numine firmat,

Et vetuit posthàc, moliri hæc talia Ditem.
At tibi cœlesti miscet dulcedine pectus.
Iàm ripa Eridani, clarique Antenoris Arces,
Iliacisque vocat tellus habitata colonis.
Hìc similisque, eademque sibi tua viuida rursùs
Se prodit Virtus. Quis enim flagrantia calet
In Superos vota, aùt castos, queis vritur, ignes
Dissimulet tacitus? Quìn Sanctæ ad munia vitæ
Iàm magis, atq; magis studia ad cœlestia tendis.
Tu tenerum corpus spinosis sæpe cruentas
Verberibus, rigidoque artus præcingis amictu.
Quìn sapè insomnes intèr suspiria noctes
Tu flendo euoluis, dùm se sub stipite diro
Diuini Herois confossa ostendit imago.
Nil hinc illecebræ molles, nil forma superba,
Lasciuæque preces, aut blandi copia furti
In castum eualuit pectus; sua fœdera seruat
Mens iurata Polo, nèc sonti tangitur igni.
Ah tibi quæ pietas animi, quæ, Diue, cupido
Si vis vlla sinit, tibi si datur vlla potestas
Tu quàcumque via prosis mortalibus ægris.
Nàmq; vbì languescis summo in discrimine lethi,
Nèc vis ipsa mali cedit felicibus herbis,
Et propiùs Lachesis, propiùs lux summa timetur;
Tu si fata vocent, vis ipsum exangue cadauer
Discendi studio per membra, & membra reuelli,
Dissoluique artùs, ne post tua funera cesses
Exuuijs prodesse tuis. Sed non ità visum
Cælicolis. Ægros paulatìm fusa per artus
Visque, salusq; redit; Quìn & placidissima vultu
Iàm magè sydereum, seù quid Celeste refulget
Maiestas, lumenque oculis formosius ardet.
Dùmque adeò leges omnes, seù iura Quiritum,

Seu

Seù ſacrata tenes, & crinibus addita laurus
Iàm de more tibi dedit alta inſignia famæ;
Tu ſancta Hadriaci quà ſeſe ad littora ponti
Attollit ſedes, ipſi calcata Tonanti
Sedes, trans pelagus procùl à Iordane per auras
Vecta humeris Diuùm, & Picenis addita ſyluis,
Fers tua vota Pater; Sed quæ noua flãma repentè
Incendit pectus? Quæ mens dulcedinis aura
Tota liquet, propiùſque loci iàm Numina ſentit?
Hæſiſti hìc quotiès ſancti penetralia Templi
Amplexus! quotiès caſto dùm lumina rore
Imbuis, ad ſanctos fixiſti baſia poſtes!
Hìc tua virgineo tantùm lapſura ſub æuo
Rursùs luſtra voues, atque hæc noua fœdera voti
Sydereæ cura eſt iterùm ſacraſſe Parenti.
Tu miris ſtudijs antiquæ limina Romæ,
Et pia quæ totiès rorarunt cædibus arua,
Quæ totiès Diuùm ſparſo maduere cruore,
Inuiſis, ſimilique animum ſtimulatus amore
Hìc quoquè prò magnis Superis, prò lege ſacrata
Tu nil addubites tormenta immania ferre,
Inque omnes plagas & triſtia vincula corpus
Offerre, atque artus auelli, atque oſſibus oſſa
Abrumpi, aùt vri flammis, aùt gurgite toto
Oceani mergi, aùt aliquo ſuccumbere letho.
Tantum ſanctus Amor caſto ſub pectore flagrat.
Intereà reduci poſtquàm pulcherrima tellus
Romulidum ſat viſa, omniſque Oenotria Pubes;
(En qui curarum exagitet præcordia fluctus!)
Iàm primis annis, prima florente iuuenta
Inſignis celſa Allobrogum de ſtirpe Puella
Eſt thalamis optata tuis, tædiſque reperta.
Hùc Pater, vnanimeſque alta de ſtirpe propinqui

Certatim tendunt, ac totis viribus itur.
Nunc precibus mollire animũ, nunc vincere fletu
Tentant, nunc placidis monitis, nũc acribus vrgẽt,
Neù spe tàm magna, talique è sanguine cretam
Auersere thoro; Sin nil communia vota,
Atque omnes valuere preces, neù mente superba
Despicias chari saltem Genitoris amorem;
Cui tali ex thalamo sit fas sperare nepotes.
Vt dura Oceani cautes, quam fluctibus atris
Verberat ira freti, crebrisque Aquilonibus vnda,
Hinc, ac hinc illisa quatit, quatit vndiq; Pontus,
Illa omnes æstus, omnes immota procellas
Sustinet, ac longè pelagus, fluctusque remittit.
Sic tibi nequicquàm totiès tentata precando
Mens inuicta manet, mens bis iurata Tonanti
Fida suo, purisque æuum ductura sub annis.
Incassùm hortatus, lacrymæq; precesq; feruntur;
Quin, mirum! dictis tu contrà lenibus actos
Emollis omnes, ac in tua vota reducis.
Ergò hoc ingenti curarum liber ab æstu,
Lætitiaque ardens, dùm iàm cœlestia Sacra
Sunt impressa animæ, vis & cælestis inhæret,
Qua tu stellanti Numen deducis ab Axe,
Idque potes rursùs Genitori offerre Tonanti;
Nonnisi sydereas, regna immortalia, sedes
Vsquè animo tecum noctesque, diesque volutas;
Atque adeò Diuùm templis, arisque sacratis
Te nullæ auertunt curæ. Tu munia cuncta
Lætus obis. Sacro si qui sua crimina fletu,
Si gemitu luxere pio, tactique dolore
Iàm noxis, ac labe optant præcordia solui,
Omnes Diue audis, omnes ad sydera sanctis
Tu stimulas monitis, tu vita innoxia lustra
Exi-

Exigere, ac patrio ſpes tantùm attollere Cœlo.
Tũ quondàm Æthereo perfuſũ ſanguine Robur,
Quò ſpes humana tendant, cœleſte trophæum
Erigis, ac cœtus omnes hoc auſpice ſigno
Inuitas, queis vna animis, eademque cupido
Sit rem Diuinam, rituſque, araſque tueri
Cœlicolum, & Fidei protendere ſepta Latinæ.
Extemplò innumeri celſis natalibus orti
Se ſocios, magna ſe ſtirpe Heroides addunt.
Certatìmque alij miro pietatis amore
Succenſi, Matreſque, Virique admittier orant.
At qui te caſus, ſeries quæ dira laborum
Exagitat! Quanto curarum volueris æſtu!
Dùm ſacrata Fides, quæ pridèm immitibus oris
Abiecta ad gelidi ripas, tractuſque Lemani,
Suſcipitur priſco tibi reſtauranda decore!
Quà tu cùmque aciem, quà triſti lumina vultu
Conuertis, facies paſſim ſe mœſta locorum,
Se vultus torui, & feritas crudelis agreſtum
Oſtendit. Cunctis (viſu lacrymabile) templis
Deſertus ſquallor. Non hic celeſtis imago
Vlla tibi, haùd vlla effigies ſpectanda ſacrata.
Proh dira impietas! Hauſere hæc omnia flammæ;
Quìn ipſas Aras, ipſa & delubra furentes
Sacrilego paſſim iuuit conuellere ferro;
Iuuit opes rapuiſſe omnes, ipſique Tonanti
Oblata Eois donaria fulua Smaragdis.
Non puduit ſuſpenſa tholis, non aurea ſigna
Diripuiſſe adyto, atque vſu temeraſſe prophano.
Quin etiàm rabie, ſtimulis furialibus acti
Diuorum Cineres ſparſere in nubila ventis;
Tùm ſæpè inſontes ad diri funera lethi
Adduxiſſe iuuat. Tantum furor impius audet.

Hìc tamèn Æthereâ fretus tu Numinis aurâ
Seù miti hortatu, seù fandi viribus altis
Demulces tacitè præcordia dura, Salesi,
Errantesque animas à magno limite Cœli
Paulatìm reuocas, ac fraudes detegis omnes,
Insidiasque Erebi, tùm quà caligine cæca
Abducti Patrum vestigia sancta priorum
Et ritus passim, & Fidei monumenta vetustæ
Liquère immemores. Tùm prima ab origine pãdis
Vt se dira animis iterùm dementia miscet.
Nàm quæ nunc nouitas stimulante erupit Auerno
Et dirum Arctoo nupèr caput extulit Orbi,
Hæc vetus, & diris quondàm defixa sacratis,
Ac dictis Patrum magno proscissa Senatu,
Tùm quæ Diuus Amor gemina sub lege loquutus.
Vt primæua Fides nequicquàm exercita tantis
Errorum fatis, quæ sæcula dura tulere;
Vtque eadem, similisque alta sub rupe Quiritum
Ipsa sibi stetit, ipsa æuum mansura per omne
Victrix, ac hostes sempèr domitura superbos
Donèc summa dies diffusa incendia rebus
Misceat, & vastum flagrato ex Orbe cadauer
Liquerit, & puro iàm pura elementa sub Axe.
Hanc contrà Stygij nil totum robur Auerni,
Hostilesque iræ, atroue imbuta veneno
Impia, sacrilega, ac immania dicta furentum,
Non ipsum ferrum, seù vis armata valebit.
Talibus oranti passim, victosque trahenti
Hinc, ac indè animos, se spe cœlestis Olympi
Innumeri dedunt, seù qui sub mœnibus altis,
Seù syluis degunt, seù celsis alpibus errant.
Hi passim vnanimes ad Diuùm altaria fusi
Optatam à Superis pacem, veniamque precati
Solem-

Solemni ritu conuersi ad Sydera vultus
Æternùm iurant, se sensa abolere nefanda,
Se veteri Fidei, & Sacris parere Latinis.
Heù quas Eumenides, quas hìc non pectore toto
Accipiunt diras! Queis non, dùm talia cernunt,
Perfidiæ Authores, flagrant vltricibus iris?
In te omnis rabies, in te furor vltimus ardens
Infandis cumulat commenta atrocia dictis.
Hìc nequè meta doli. Quonis te perdere letho
Crudeles certant; seù dura à rupe Lemani
Præcipitare lacu, & nocturno inuoluere fluctu,
Seù medijs syluis inimico absumere ferro.
At diros ausus alta compescit ab Æthra
Cœlicolum Rex. Insidiæ nectuntur inanes.
Nil tibi nocturnis vis dira oblata tenebris,
Nilque nefas præsens, aùt in tua vulnera ferrum
Districtum valuit; nàm sæua furentibus ira
Tota repentè cadit, dùm lenia dicta reponis,
Emollisque animos. Olli sua tristia facta
Incusare, auro victos hæc tela tulisse,
Et veniam lacrymis, & pacem orare precando.
Hoc magè iàm captis tu, Diue, laboribus ardes.
Quamuìs tristis hyems brumalibus horrida nimbis
Sæuiat, aùt gelidi soluant se nubibus imbres,
Aùt latè hybernis Aquilonibus obuia circùm
Horrescant, acrique gelu, niuibusque laboret
Circà omnis tellus, & tristi plurima Cœlo
Horrificas intèr decurrant fulmina nubes,
Et lugubre sonet sacris mugitibus Æthra.
Tu tamèn exuperas hæc tot discrimina Cœli.
Tu longinqua situ, tu longo dissita tractu
Inuisis templa, & castas operatus ad aras

 Vsquè

*Vsquè nouam auertis Lethæo à flumine prædam,
Et patrio sacras hæc victor pignora Cœlo.
Est antiqua situ sedes, quà fonte Lemani
Erumpit Rhodanus, prisci dixere Geneuam,
Quà sceleri locus, & penetralia tuta furori,
Illuuiesque omnis varijs à sedibus acta
Immunis degit, sontesque amplexa Penates
In res Romanas odijs crudelibus ardet.
Hùc tua te pietas, tùm mens interrita fato,
Tùmque etiam Summus Romana à Sede Sacerdos
Ire iubet. Diris adeò sub manibus hospes,
Perfidiæ quem primus honos, ac impia fama
Florentem Arctoo diffuderat vndiquè plausu,
Hunc tu sæpè hostem cælesti munere fandi
Aggressus primis dura in præcordia dictis
Paulatìm tendis; Mox Dio è fœdere legis
Errorum ambages, noctemque, ipsasque tenebras
Depellis sensim. Tùm fasso ad sydera Cœli,
Æthereasque domos, nos sacra efferre Latina,
Nos à Romulidis & vera, & sancta doceri,
Tu labem tentas, tu totum euellere virus,
Tu firmare animum, ritusque, arasq; Quiritum
Amplecti suades, nè se felicibus oris
Cælicolum durus, nè sancto differat Axi;
Se saltèm aspiciat iàm fessum ætate suprema,
Ne fors dira quies post impia fata supersit.
His nutare magis, magis imo pectore tangi,
Inflectique senex. Ast heù Plutonia Regna
His cœptis obstant, his sæuo tota Senatu
Primorum manus, atque odijs exercita diris,
Nequa fugæ superet spes, aùt sit copia fandi,
Longæuum excubijs, & denso milite sepit.
Nèc minùs ad superas sedes, licèt ardua moles*

Cura-

Curarum premit, ac series immensa laborum,
Priuato cessas tu tendere saucius igni.
Hùc spe totus abis, hùc omnia vota, Salesi,
Hùcque preces omnes, hùc te suspiria ducunt;
E'que imis animi totus penetralibus ardens
Sydereo gaudes te totum offerre Parenti.
Statque ratum tibi, nèc fastu, nèc honoribus altis,
Nèc plausu humano demissum accendere pectus.
Quò circà inuito circumdedit aurea crinem
Infula, & oblati vix tandèm insignia cultus
Admittis, Pater; At magni Regnator Olympi
Hæc intèr miro dùm mens ad sydera nisu
Euehitur, dùm artus omnes, immotaq; membra
Iàm liquit calor, Ætherea dulcedine Diuùm,
Immensaq; animum dat totum explesse volupta,
Seque vnà placidi iubaris fulgore micantem
Cum Prole æquauà, Dioque ostendit Amore.
Ipsa etiàm Æthereo Genitrix pulcherrima cultu
Apparet, qualisque solet supèr Axe videri
Lucida tota auro, & gemmis cœlestibus ardens
Cælicolum Regina. Ipsi simùl Ætheris alti
Primores, omnisque Poli formosa Iuuentus.
Queis posthàc flammis, queis tu non ignibus Heros
Vsquè, ac vsquè flagras, totumque ardescis amore
Sydereo pectus! Noua vis, nouus ardor ab Axe
Illapsus; rubuitque sacro succensa calore
Irradians toto facies lætissima vultu.

Ergò nouis alacer curis, onerique subire
Extemplò ardes, estque omnes tolerare labores
Mira volupta tibi, prodesse laboribus vllis
Si tu Diue potes, si quas ad sydera tantùm
Euexisse animas. Nàm te nec Sirius æstu,
Nèc glacie remoratur hyems, aùt perfida tela,

Insidiaque mouent. Tu per prærupta viarum
Aerios scopulos, & solis hospita nimbis
Incedis iuga. Tu quàcumque amplectitur alpes,
Quàcumque immensis ditio se finibus effert,
Omnia perlustras, ac passim limina sacra,
Arasque antiquas omnes, moremque sacrorum
Restituis latè, & Fidei decora alta reponis.
Quique regant delubra viri, qui sacra ministrent,
Hi lecti eloquio, & magnis virtutibus aucti.
Atque adeò sacro se iàm pulcherrima cultu
Ostendit facies, ac cunctis didita templis
Alma Fides, Pietasque, & Recti sola cupido
Altè animis infixa viget, crimenque, nefasque
Exulat, & castis ad sydera moribus itur.
Quìn atros etiàm putri squallore Penates
Vinctorum sedes, scelerumque vltricia tecta
Inuisis crebrò; tùm queis onerata catenis
Corpora, supplicijque atrox impendet imago,
Iàmque nefas admissum animo, fraudesq; doliqne
Occursant omnes, lethi & miserabilis horror
Suprema attonitos ducit formidine sensus.
His tu mitis ades, tu sacro crimina luctu
Excipis, ac tristes animi solare labores,
Nè iàm crudeli pigeat sua crimina letho
Diluere, & placidam à Superis sperare quietem,
Isque comes miseris, nec dira in morte relinquis.
Quis nunc, magne Heros, monumenta sacrata pudori,
Quæ tu prima locas, sed nunc diffusa per omnes
Hinc Rhodani fines, Taurini hinc limina Regni,
Exæquet numeris? Tù queis iterare iugales
Non libuit tædas, aùt primo protinùs æuo
Inuisi thalami, sed amor, dulcisque cupido
Ex-

Extimulat Superis castam sacrare iuuentam;
Sydereis monitis, ac certa Numinis aura
Præfigis morem, ducendaque munia vitæ
Omnia, quæ passim matres, passimque sacratus
Natarum obseruet cœtus, seu limine casto
Vnanimes degunt, seu dum lugubria tecta,
Squallentes mœrore domos, tenuesque penates
Ægrorum inuisunt, nec non Cerealia dona,
Et dulces epulas, & mollia vina ministrant,
Muneraque accumulant mœstis solatia rebus:
Quæ mens læta tibi, quæ gaudia sacra voluptas!
Cùm natas omnes tantæ pietatis amore
Aspicis incendi, solisque ad sydera votis
Ire omnes, castoque omnes florere decore!
Tu lapsis inopum rebus, sortique supremæ
Præsidio ingenti natus, nàmque agmine magno
Confectum macie vulgus, miserandaque pubes,
Seu stas, seu quouis, Heros, vestigia vertis,
Se lateri agglomerant, queis tristiè corde laborem
Et sacris monitis, & largo munere demis.
Tùm sedes ipsas, proprij penetralia tecti
Hospitibus pandi noctesque, diesque iubebas;
Præcipuè septis, queis iàm communibus ætas
Est sua Sydereo votis oblata Tonanti,
Hos omnes mensa, miro dignatus amore
Excipis, ac placidam fessis das nocte quietem.
Quid Stygia fraude, & furijs crudelibus Orci
Implicitos memorem? Queis vis insedit Auerni,
Dira acies, diraque habitant sub corde phalanges
Atrorum Alipedum, qui post bacchantibus ægris
Viperea mixtum rabie, mixtumque furore
Obijciunt virus, stimulisque immanibus ægros
Exercent artus, sæuo & molimine torquent?

His peste inferna, Stygijsque angoribus ægrum
Exoluis corpus; Tùm vis primæua per omnes
It diffusa artus, ac stant sua robore membra.
At pulsos Manes, nè posthàc talia tentent,
Sub lugubre Chaos, sub Tartara dira relegas.
Ah quotiès Genitor secreta euoluere fata
Cælicolum, quotiès quæ post labentibus æuo
Eueniat lustris, ceù coràm hæc omnia, Diue,
Aspectes, coràm casus mirere futuros,
Iàm nouisse sinit, totoque admittere sensu.
Hinc quæ sæpè homines animi penetralibus altis,
Quæque imo penitùs cælarent abdita corde,
Tu nullo effatu rerum, nullo indice noras,
Et passim attonitis hæc ipsa arcana canebas.
Tùm quot prodigijs tibi vita insignibus acta.
Queis hebetes artus sensu riguere sepulto,
Queisuè olìm vincto stant segnia corpora motu,
Stant membris distorta suis, curuataque fædo
Cuncta situ, priscum tu das haurire vigorem;
Das noua iàm solidis niti vestigia plantis,
Queis & præcipiti mens est emota furore,
Dùm tantùm placidis fera mulces plausibus ora,
Et blando vellis sub summo vertice criuem;
Extemplò miseris præcordia sana quiescunt,
Visque, vigorque animi sua munia tuta frequẽtat.
Quìn ægris etiàm certi discrimina fati
Auertis, passim maciesque, atræque recedunt
Corporibus febres, passim agmina tristia morbi.
Iàmque adeò visum Superis sua Sydera, Diue,
Non differre vltrà. Merces te sancta laborum
Curarumque vocat. Summis languoribus æger
Fers animo miti tormenta infanda dolorum,
Et totum Dio deflagrans pectus amore

Sin-

Singultus intèr, lacrymasque, ac vota precantum
Liber, ouansque animo rebus mortalibus exis.
At Rex Sydereus miro testatus honore
Exuuias tantas longè, latèque per omnes
Finitimas Rhodano sedes, per & Oppida latè
Allobrogum, finesque Italos, Taurinaque Regna
Dat signis iterùm, & magnis clarescere monstris.
Nàm caligo oculis, & nox infusa recedit,
Se laxant nodi membrorum; quìn stupor omnis
Vanescit, vescique iterùm vitalibus auris
Extinctis datur, Inferna vis atra paludis,
Et diri cessant bacchari in corpora Manes.
O' Decus Europæ, Taurinæ ò gloria Gentis,
Cui nunc humanis Genitor succurrere rebus
Ipse sinit Diuùm, tristesque è pectore curas,
Ac omnes morbos, ipsumque auertere fatum.
Cui patrij nunc alta soli custodia cessit,
Da Regi Allobrogum sua sceptra inuicta tenere,
Sique armis bellare decet, si quandò Gradiuum
In Thraces, Cyprumque parat, iustouè Geneuam
Hìc Mauorte quatit; Tu pronum ex Æthere robur
Magnanimo Heroi, tu sacras suffice vires,
Et semèl has Arces, inuisaque mænia Cœlo
Da Pater inuictis (oh nunc) cecidisse sub armis.
Da posito fastu, posita caligine gentem
Nobiscum vnanimam Sacris parere Quiritum,
Otia casta sequi, & rebus florere secundis.
Heroa at Regem Pylia post longa Iuuenta,
Post spatia extremæ, viridisque æquata senecta
Tu serò insertum Superis supèr Æthera tolle.

HYMNVS XV.

BEATÆ ROSÆ
A' SANCTA MARIA

Sacræ Virgini Peruanæ in America apùd nouos Indos, Tertij Ordinis S. DOMINICI, præcipua Sanctæ illius Vitæ elogia complectens, quæ Anno CIↃ IↃ LXXXVI. decimo secundo Kalendas Maij Limæ Metropoli Regni Peruani Nata, Ac ibidem CIↃ IↃC XVII. kal. Septembr. Sanctitate, & Miraculis clara, obijt.

SANCTISS. DOMINO NOSTRO D.
CLEMENTI NONO
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,
Qui Sacram Virginem ROSAM Beatarum Virginum Catalogo Anno 1668. Mense Aprili inseruit.

Dictus à Petro Thoma de Ansaldis.

O' quam te memorã Lux Orbis prima retexit?
Nil olìm occiduis iàm te formosius Indis
Exortum, nil sydereo te Sanctius Axi
Decretum medio miratus ab Æthere Titan
Aspexit, stupuitque extremo à littore Ponti
Ipsa quoquè Europe se pignora tanta referre.
Est procùl immenso Tellus vastissima tractu
Eois obuersa Indis, Cælique sub Axem
Æquatum, sese ora omnis, diffusaque latè
Protendunt priscis nota haùd mortalibus arua;

Quæ

Quæ iàm Orbem dixere nouum, ditissima Regna,
Vìxque hæc ora ingens nupèr victricibus armis
Austriadum cessit; vìx iàm crudelibus aris
Abiectis Erebi cœlestia Sacra Quiritum
Suscepit primis conuersa ad Sydera votis.
Cùm tu Virgo ingens Diuis exorta secundis
Extemplò Patriæ sedes, vicinaque regna
Prodigijs imples. Quìn & Tyberina fluenta,
Romulidumque Arces ipsa hæc pulcherrima fama
Attigit, attonitique animi stupuere Quirites
Prodigia extremo vìx expectata sub Axe.
    Tuque adeò gemino qui præses maximus Orbi
Iuliade, Æthereas solus qui claudere sedes,
Quique aperire potes, qui stringere Tartara nutu,
Quique hanc sydereis florentem Heroida signis
Sìc meritam factis ipsis supèr Axe Beatis
Virginibus misces, Superùmque attollis honore.
Hùc ades, & castis ò CLEMENS annue captis.
    Dùm Virgo primi venisti ad luminis auras,
Vìx vllos Genitrix sensit paritura dolores.
At nequè tu primæ iàm sub cunabula vitæ,
Aùt vnquàm lacrymis, vnquàm vagitibus ora
Imbuis, aùt parui fletu sonuere penates.
Iàm tùm Sydereus Genitor te destinat Indis
Egregium decus, & miro delegit amore
Ipse sibi, Nato vinclis cœlestibus addi
Dignatus nuptam. Tùm lumina prima decore
Sydereo vestit, rarumque aspirat honorem.
Nimirùm flagrans ardet latissima visu
Maiestas, nèc non fragrantibus aurea nimbis
Visa Rosa in miti sedisse innoxia vultu,
Argumentum ingens, quid iàm portenderet Axis
Prodigio, Natæ nomenque, decusque remansit.

Post

Post Virgo primis tu vix labentibus annis,
At matura animi sublato ad Sydera vultu,
Si qua ætas superet, totam te casta Tonanti
Vsquè sacras, totam cælesti incendis amore,
Syderaque, & Superi tantùm penetralia Cœli
Affectas, solis hùc tendere nisibus ardes,
Hùc solum votis, precibusque hùc omnibus instas,
Spesque tuæ tendunt omnes, sanctique labores.
Hisque adeò studijs, solisque exercita curis
Mortales optas latuisse inglora cœtus,
Et procùl ignotis deserta in rupibus abdi,
Aùt Lybiæ extremis agitare in saltibus auum,
Dùm fas cum solo commercia ducere Cœlo.
Nàm seù lux oritur, seù cedit victa tenebris,
Diuini Herois laniata occurrit imago
Vsquè animis, vsquè atrocis durissima lethi
Supplicia, immeritusque labor sub Stipite diro
Occursat; dumis perfossa immanibus ora,
Vulsaque membra atro spectas manare cruore.
Hæc tu collacrymans, summoque exercita luctu
Non cessas omnes flagris crudelibus artus,
Cunctaque membra tuo quoq; saucia ferre dolore.
Nunc rigida corpus iuuit vinxisse catena;
Nunc ferro laniasse; suis stant verbera plagis
Diuisa, atque ægris coeant dùm vulnera mẽbris,
Hæc intacta sinis, flagrisque immitibus vrges
Alternos artus, queis vix obducta cicatrix.
Tùm quoquè crudeles dumos, crudelia serta
Est imitari amor; in toto nàm vertice celas
Tenuibus eductum spinis, stimulisque rigescens
Argentum, sacro qua tu tormenta dolori
Haud dubitas altè fixisse impressa cerebro.
At non his animum laniata doloribus exples;
Tor-

Tormentis alijs, alijs cruciatibus ægrum
Affligis corpus; pœnis iuuat omnibus ire
In sensus omnes. Vix ulli fessa quieti
Nocturnæ indulges; at queis atrocibus usa
Supplicijs certas victrix domuisse soporem?
Nunc stimulis tua membra fodis, nunc crine per auras
A' ferro immani pendes, nunc stipite ab alto
Vincta hæres, & vix imum vestigia libant
Ima solum. Supero sic tu persoluere Regi
Sæpè preces, sæpè insomnes educere noctes
Consuesti; vinctosque artus algore supremo
Vix tenui ad lychnum ramorum ardente fauilla
Demulces, corpusque breui cessura quieti
Aùt gelido saxo, nuda aùt tellure recumbis,
Aùt silice immiti strato, dumisuè cubili.
Quàm Virgo sanctis ardes præcordia flammis?
Quàmque iuuat duros omnes tolerasse labores?
Hos ægros artus, hæc sic proscissaque membra
Tu longa esurie torques, tu crebra renatos
Oceano Soles, lucesque impasta recondis.
Tùm demùm latices, ac vix Cerealia dona
Delibas, crebroque atro tu pocula felle,
Tu tristes herbas, & amaris gramina succis
Degustas tantùm; nèc sic tamèn incitus ardor,
Aùt animi vigor, aùt abscedit corpore robur.
Quìn crebrò morbis, sæuisque doloribus ægram
Ipsa fames, lymphisque Ceres diluta reduxit.
At contrà crebrò summa in discrimina lethi
Adduxere dapes. Nàm visum Virgo Tonanti
Vt tormenta feras, & non lædare ferendo,
Dùm pœnæ atroces angunt, summique dolores.
Tùm Diuo Hesperiæ Patri, cui Sancta Virago
Sena-

Senarum miro se quondàm addixit amore,
Deflagrans quoquè tu paribus præcordia votis
Te totam addicis, signisque ingentibus acta
Antè aram Æthereæ supplex prostrata Parenti
Virgineo vestire habitu, vittisque sacratis.
Post hortis patrijs viridante potita recessu
Angustis tuguri gaudes semota latebris.
Hic incensa animis tu casto ad Sydera uisu
Attolli, Diuùmque optas supèr Æthere sisti.
Hùc lacrymæq; precesq; hùc omnia vota ferũtur.
Hac intèr fuluis contorques licia fusis,
Aùt aliquid cælatum auro, gemmisuè laboras,
Fortunæ auxilium tenui, sortique Parentum.
Ah Virgo felix, totus tibi pronus Olympus,
Cælicolæque omnes, Diuùm te Regia Mater
Cælesti affatu, thalamis, tædisq. superbis
Dignata Æthereo Proles æquæua Parenti.
Dos tibi Sydereæ sedes, dotaliaque Astra,
Quæ tibi nunc lætis fulgoribus omnia lucent.
Ergò iàm Superùm dona immortalia libas;
Et magè iàm stimulis animum cœlestibus acta
Diuino langues, soloque ardescis amore,
Quo sis cumque loco, seù sola inclusa latebris,
Seù socia affatu visunt, seù lumina sero
Occludis somno, seù quicquid Virgo facessis,
Sydereis radijs tibi Dia affulget Imago,
Præsentique explet Diuùm dulcedine pectus.
Tu sede à tuguri stella vt clarissima Cœlo
Attolli medio, flammisque ingentibus ardens
Visa omnes circà tractus, semotaque Regna
Diffusis radijs, & mira luce replere.
Tu crebrò flagrans immenso pectus amore
Dùm flores, herbasque, & magnis robora ramis
Diui-

Diuino laudes hortaris soluere Regi,
Continuò aeria quercus (lætabile visu!)
Collisis ramis, collisis frondibus omnes
Auditæ ad numerum dulci strepuisse canore;
Ac visæ aereo flexis cum vertice ramis
Delibare solum, rursùsque redire sub astra.
Ipsi se flores, ipsa pubentibus herba
Se nimbis pandunt, se festo gramina luxu.
Tùm vario circà plausu gestire videres
Omne solum, ac omnes obuerti protinùs Axi
Sydereo plantas, & læto ludere fastu.
At Rex Cælicolum, quò tu securiùs Astra,
Ærumnasque, grauesque intèr mereare labores,
Et fors nè tenues subeant præcordia fastus;
Seque, suumque iubar coràm, aspectabile visu,
Oraque Dia negat, simùl omnia dona voluptæ,
Gaudiaque, Æthereaque omnes dulcedinis auras
Subtrahit, & solam tristi in mærore reliquit.
Hinc dolor immensus, seù nox atrata recurrit,
Seù lux Eois iàm prima emergit ab Indis,
Vsquè animo sedet, & curis exercet amaris.
Nàm crebrò tibi sepiri caligine cæca,
Et tenebris atris, & nocte repentè profunda
Visa omnis demergi mens, confusaque tristi
Horrore inuolui, mæstisque angoribus gra
Torqueri, seù iàm tenebroso carcere vincta
Horrificis vitæ delicta infanda prioris
Elueret pœnis, aùt iàm scelerata sub imo
Supplicia expleret barathro, nèc meta laborum
Vlla vnquàm misera, finisuè futura supersit.
Tùm nisu nequicquàm ægro, conatibus ægris
Nequicquàm moliri animus se vertere ad Astra,
Sydereumque Polum. Menti stupor altus inhæret,

Et segni obrepunt densata obliuia cordi,
Ceù nunquàm supera notus Rex maximus Æthra,
Nunquàm notus amor, quo iàm flagare solebas,
Aùt qua iàm totiès libàras munera Diuùm.
At contrà æternos ceù sic passura dolores
Carceribus tibi visa premi, queis nullus ad auras
Exitus, at duro circumstent mænia ferro.
Tèr quinis annis tu monstris talibus acta,
Inque dies duros animæ perpessa labores
Euadis tandèm, & superi pulcherrima Cœli
Eccè tibi radijs iàm lux maioribus ardens
Affulget rursùs, rursùs noua gaudia reddit,
Et se Dius Amor cum toto Numine miscet.
Iàm latebrasq; sinusq; animæ diffusa per omnes
Omnipotens Aura æthereis præcordia flammis
Tota incensa rapit, secumque attollit ad Astra.
Quìn seù fortè colum, seù sancta volumina versas,
Ipsa tibi crebrò teneri formosa Tonantis
In minimos artus collecta apparet Imago,
Tota corusca tamèn, totà alto Numine flagrans
Ardescit, summisque mouens vestigia chartis
Paruus ouat, cursu gaudens, atque alite planta.
Nunc lana in summa Diuina parua iuuentæ
Membra locat, lumenq; simùl, simùl oraque tota
In te vnam figit, tenditque tenerrimus vlnas,
Ceù stringi amplexu, speretuè ad basia tolli.
Intereà se totum animi penetralibus altis
Insinuat miscens, tùm mira summa volupta
Gaudia, tùm supero dat multa arcana sub Axe
Iàm nosse, & sanctas animo percurrere sedes.
Sìc rursùm radijs, & multa luce corusca
Ipsa etiàm æthereo Genitrix lætissima vultu
Re-

Reginæ apparet Superùm, dulcique morari
Te crebrò afflatu, crebrò dignata soporem
Excussisse oculis, dùm lux vicina propinquat,
Iàmque preces, solitique vocant ad pensa labores.
Quìn clamata semèl, semèl & reuoluta sopore,
Dùm fortè obdormis, & somno victa recumbis,
Compellat rursùs; Quid dulcis nata morare?
Sìc oblita preces? En hùc delabor ab Axe
Votis prona tuis; iàm pleno sydere Titan
O' nata euehitur, thalamo iàm surge relicto.
Hæc memorans, versat sopitos mollitèr artus,
Affuditque thoro ambrosiæ cælestis odorem.
At tibi pulsa quies, & mens perfusa liquescit
Sydereo tactu, iàm fuluo murice pallam
Reginæ auersæ, radiosque, iubarque decorum
Aspectas, Superis dùm iàm se reddit imago.
Tùm lux Ausoniæ Senarum maxima Virgo,
Qua nulla Italidum magè sanctis ignibus arsit,
Aut magè prodigijs, Diuùmque eluxit honore;
Quam sæpè à summo formosa apparuit Axe
Sydereis pallam gemmis, auroque micanti
Insignis, sparsisque sacris in crine pyropis?
Te quotiès oculis læto radiantibus igni
Totam obijt? Sanctis quotiès hortatibus ægram
Solari, votisque tuis ingentibus vltrò
Prodigijs fauit, queisque alta ad Sydera victrix
Ercitare ardens documenta arcana reliquit?
At tu totam animis, toto hauris pectore Diuam,
Effigiemque, habitusque, atque ipsius ora Iuuentæ
Tota refers, similique ardes placidissima vultu.
Te Supera Alipedum Pubès, quos rector Olympi
Præsidio humano, & rebus mortalibus addit
Custodes, studijs fouisse ingentibus ardet.

Præ-

Præsertim ipsa tuo Custode à Cælite robur
Sæpè experta; graui sæpè in discrimine gaudes
Optato auxilio, mediÿsque laboribus exis.
At Lemures contrà stimulis atrocibus acti,
Incensique odÿs nequicquàm immania membra
Cyclopum induti sæuis plangoribus artus
Exercere omnes, dirosque inferre dolores.
Nequicquàm illecebris vsi, dùm pulchra iuuentæ
Ora gerunt, roseumuè oculis sparsere decorem,
Cessere incæpto sempèr certamine victi.
Tu tranquilla animi nullo vnquàm fracta labore es,
Seù morbi congesti omnes, crudelibus omnes
Tormentis simùl, & mixtis cruciatibus angunt;
Seù dura assiduè Mater sæuitque, fræmitque
Increpitans dictis, seù verbere sæpè cruentat
Insontes artus, & te domus omnis amaris
Acta odÿs vnam probris exercet iniquis,
Vnam proscindit plagis, ac dira minatur
Insultans, sæuisque addit conuicia dictis,
Fingere fortè dolo magna hæc commercia Diuùm,
Et tantùm plausus pietate ambire superbos.
Hæc tu pro Superis pacato corde ferebas
Nullo vnquàm gemitu, aùt lacrymis testata dolorem.
Tùm quotiès, si qua extremis languoribus ægra
Corpora, si qua thoro plagis defixa recumbunt,
Resque angusta premit, tu miro inuisis amore,
Munificasq; manus, & opem squallentibus addis
Optatam sæpè, & patriÿ sub limina tecti
Deferri exoras; studÿs hìc omnibus ægras
Est fouisse labor, tu munia cuncta subire
Visa alacris, putri tu nil manantia tabo,
Aut

Aùt mēbra, aùt atrum plagarū horrescere virus.
Quìn semèl obiectus dùm teter faucibus horror,
Corrupta eluuies tabo, sanieque cruenta
Diù venis demissa horrens, ac lurida pestis
Dirum halat, vomituque ciens præcordia tentat.
Quìd cessas Virgo? quìd mens generosa minatur
Triste sibi? diram perge abiecisse mephitim?
Haùd ità. Tu victrix sensus domitura Virago
Hos sic corruptos sanie, fœdoque cruore,
Et tabo latices sola in penetrale recessu
Absorbes totos, atque ima in viscera mittis.
Quìn etiam vates æui haùd ignara futuri
Tu crebrò Patriæ multa euentura canebas
Insperata quidèm, sed quæ post maximus Æther
Attonitis Indis veris successibus implet.
Tùm quoquè mortales si qua alto corde reposta
Cælauere olìm, aùt animi penetralibus abdunt
Seù coràm amotis tu cuncta arcana latebris
Aspectas Virgo, sæpè & mirantibus edis.
At tibi quæ Superi non Rex indulget Olympi
Munera? quæ donis non dona prioribus addit?
Te scis à fato supèr ardua limina Cœli
Venturam, Dij tecum scis fœdus amoris
Mansurum ad cineres, scis præsens vsq; leuamen,
Auxiliumque alto demitti protinùs Axe,
Seù quandò charos penuria mæsta Parentes,
Curæque exagitant tristes, diruśuè repentè
Obiectus pauor atroci discrimine terret.
Tu rem arctam Cerere, & misso Diuinitùs auro
Sæpè leuas; cessit rabies bìs victa furentum
Taurorum, diro dùm sternunt obuia lapsu
Corpora, semianimesque atro se vulnere mersant.
Persequor? & nostro te totam euoluere cantu

Hic

Hic Virgo sperem? vires non sufficit aquas,
Non numeros Natura pares; succumbimus orsis.
Tota tibi lustris quondàm labentibus ætas
Non nisi prodigijs, & signis grandibus acta.
Ipsa tui nosti tormenta atrocia lethi,
Quosque Trabe in Solyma Proles Diuina labores
Pertulit, hos ipsos vt non æquare potestas,
Sìc partem sensuram animo, sìc corpore gaudes,
Immanesque omnes, quos tunc subitura dolores
Prædicis, totum flammaque, ignique, cerebrum,
Ceù septum flagrante globo radicibus imis
Debere incendi, debere à vertice summo
Ignitum flammis ima ad vestigia telum
Transadigi, siccosque sitim sæuire per artus;
Tùm medium corpus, media & præcordia findi,
Ac si transmißa flammatus cuspide mucro
Hìc altè fixus transuerso sæuiat igni.
Tùm nexus membrorum omnes, ac omnia vincla
Ceù diuulsa sibi summos sensura dolores.
Quas postquã flagrans animis, ac robore sancto
Omnes explesti mortali in corpore pœnas,
Protinùs auricoma Superùm stipata phalange,
Mille tubas, cantusque intèr gratantis Olympi,
Supremas arces, atque intima limina Diuùm
Conscendis magno propiùs fruitura Tonante.
At circà exuuias, & membra exanguia lethi
Mirus honos, supplex Vrbs tota affusa feretro
Haùd cessat lacrymans te prima in vota vocare.
Primi Sacrorum Patres, primique Senatus
Virgineum alterni gaudent attollere funus.
Turba omnis Diuam, magno supèr Æthere Diui
Ingeminat plaudens, Diuam matresque, virique
Vnà omnes iàm voce canunt, Diuã æquora ponti,

Diuam

Diuam omnes scopuli, vicinaque littora reddunt.
Haùd vana hæc medij iactarunt plausibus Indi.
Nàmque repentè nouis supera Rex altus ab arce
Prodigijs, summisque dedit clarescere signis.
Diù noxis, scelerumque atra caligine mersi,
Exuuijs si fortè manus, si fortè feretro
Admouere, sacro concussi pectora luctu,
Speque erecti animos extemplò ad sydera versi
Voce palàm, lacrymisq; palàm sua crimina fassi
Certatìm innumeri studia ad cœlestia tendunt.
Tùm vultu exangui si quis sua lumina figit,
Spes subitò æthereas tota in præcordia labi
Gauisus sentit, se sancto protinùs igni
Ardere in Superos, & sontes temnere noxas.
Sìc posthàc crebrò tu culpis mersa vetustis,
Criminibusque assueta nouis durissima corda
Emollis, propiùsque atri discrimen Auerni
Das spectare oculis, & facta odisse nefanda,
Et sancto ad Superos attollere lumina fletu.
Tu ritè à miseris si quandò in vota vocata
Vsquè audis; ceditque ægris Mors sæpè propinqua.
Quìn plorati artus, & corpora frigida letho
Ducendæ rursùs venère ad limina vitæ.
Passìm morbi omnes, tabesquè, elephasq; cruentis
Abscedit maculis, & vis infesta Dianæ
Haùd membra exercet spumoso saucia lapsu;
Febresque, horrificique omnes fugisse dolores
Corporibus certant. Se neruis vndiquè vinctis
Exoluunt, laxantque artus, passimque recedit
A' membris stupor, & priscum stat corpore robur.
Ah Virgo, Europen quà Cœli cernis ab Axe,
(Dùm Genitor Diuùm nunc annuit omnia votis.)
Europen quoquè tu custos assuesce tueri.

En

En vt Sarmatici fines, Aquilonia Regna,
Iàm vacuo marent solio, sceptrisque relictis!
Certatìmque Patres magna ad suffragia tendunt!
Da summo optari dilectum Heroa Tonanti,
Hæc qui sceptra gerat, preno qui fretus Olympo
Hoc semèl inuicti coniuncto robore Regni
Et Thraces omnes, & frangat Marte Gelonos.
Da quoque Bistonias Dyctæo à littore classes
Auerti, dirasque rates, sontesque phalanges
Hauriri ventis, Cressoque sub æquore mergi,
Et stare Odrysijs Regna hæc inuicta Tyrannis.
Tùm Virgo Italiam, Tybrimq; Arcesq; Latinas,
Nàmq; sacratus honos, hinc & tua Gloria creuit,
Da stabili pace, & rebus florere secundis,
Præsertìm Superi Regis da credita Regna,
Muniaque alta Poli; sceptra, & cœlestia ferre
Hìc diù Clementem, diù terris aurea sæcla,
Otiaque, & placidam populis reuocare quietem.



HYM-

HYMNVS XVI.

S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PACTIIS

Nobili Virgini Florentinæ Carmelitanam Religionem professæ in Conuentu S. Mariæ de Angelis Florentiæ, à PAPA CLEMENTE IX. SS. Virginibus adscriptæ 1669. quæ obijt Anno ætatis suæ 41. die 26. Maij 1607. quiescitque Florentiæ.

Dictus à Francisco Septimio Palmerio.

DVm septem geminæ nunc festis ignibus Arces
Collucēt, sacrumq; aris tibi maxima Roma
Testatur decus, atque ipsi laurentibus aruis
Latè omnes circà populi, circà Ausones omnes,
Et gemini Italiæ tractus, quà Nereus infrà,
Quà suprà salsis attollit fluctibus æquor,
Iàm tibi Syderea applaudunt supèr Æthera Diua,
Certatìmque aras donis cumulasse superbis
Cūcti ardent; Thusci in primis pulcherrima regni
Flora Caput, Flora Æthereis gratissima Diuis,
Diuorumque altrix, & te nunc Ciue superba,
Omnibus haùd ceßat templis, haùd omnibus aris
Cœlicolum meritas Regi persoluere grates.
Iàmque omnes tibi vota, tibi pæana sacratum
Supplicibus numeris, victuro & carmine dicunt.
Me quoquè, si fas est, extrema à Belgide vatem
O' Diua haùd vana flagrantem laudis amore
Admitte, & tenui propiùs, castoque labori.

Huic etiàm aspira; Nàm te quoquè Belgidis ora
Præsentem agnouit, magno & prò munere voti
Lois aram gemmis, auroque dicauit.
Post prima exacta tu vìx cunabula vitæ,
Queis olìm totis sis tota arsura medullis
Iàm Dios ignes prima in præcordia labi,
Molirique viam flammis, aditusque calori
Æthereo sentis. Iàmque ardua Sydera tantùm
Affectas votis; sancta & formidine Diuùm
Vsquè animum demissa, vsquè vni affixa Tonãti
Tota hæres, vni flammis Cœlestibus uri
Iàm captum pectus casto vsquè sacrasse sub auó
Haùd dubitas Virgo. Iàm tùm latuisse cupido;
Iàm lacrymis, precibusq; optas supèr Æthera ferri,
Et plagis artus gaudes laniare cruentis.
Tùm nèc opes tibi, nèc celsa de stirpe penates,
Nèc cordi luxus. Odisti si qua smaragdis,
Siqua auro, Tyriouè ardet sub murice vestis;
Solaque formosæ tu limina prima iuuentæ
Affigis Superis. Nequicquàm læta Parentes
Connubia, aut Nata Thalamos optare superbos.
Cœlicolæ obstant. Tu septis inclusa sacratis
Extemplò haùd cessas mira inclarescere fama,
Prodigijsque omnem latè Cœlestibus oram
Tyrrhenũ arrigere. Immensi nàm Rector Olympi,
Seque Æquæuus Amor, Prolesq; Æquæua coruscis
Se radijs tibi, se Dio fulgore micantes
Ostendant crebrò, dantque ipsa æterna sub Axe
Gaudia; Syderamque omnem libare voluptam;
Mortalesq; oculos dant ipsi assuescere Diuùm
Sydereo aspectu, nutusque, & grandia fata,
Quique olìm eueniant casus aperire futuros.
Tũ cuncta indulgent sacrarum abscondita rerũ,
Quæ

Quæ quondàm aut cæca Vates ambage loquuti,
Aut Diuinus Amor sacra caligine sepsit,
Iàm penetrare animis; tecta & mortalia corda
Scrutari propiùs, simùl ipsa recludere sensa,
Quæ sibi quisque animo penitùs celata tegebat;
Te quondàm media radiorum in luce coruscus
(Mirus honos!) Superi Rex ipse æternus Olympi
Dignatus Nuptam immenso sibi iungit amore,
Sydereumque addit smaragdis Cœlestibus aurum
Innectens digitis thalami monumenta sacrati.
Tu quoscumque tulit suprema in morte labores
Ipse Heros Diuus, sæuo dùm Robore vinctus
Spontè luit noxam, & scelus exitiale Parentum,
Hos ipsos similis quoquè lethi angoribus acta
Infandos omnes tolerasti sæpè dolores.
Quin sua vulnificis dat serta immania dumis
Rex Superùm ferre, atq; animæ penetralibus altis
Plagarum penitùs monumenta impressa reliquit.
Post domitis Erebi claustris, ac Angue subacto
Diuinum Æterno florentem Heroa triumpho
Spectasti Æthereas remeantem ad luminis auras.
Mòx ipsum, lateri dùm mille, & mille phalanges
Sydereæ agglomerant, Erebique à sedibus atris
Turba educta omnis lætum pæana per auras
Ingeminat, cernis sua Sydera fulua secantem,
Reddique amplexu æquaui Genitoris, & omnem
Cœlicolum miris ardescere plausibus Axem.
Nequicquã totus tibi quondã insurgit Auernus;
Nàm lemures rabie, nil & cruciatibus vllis
Vicere indecores, formis crudelibus vmbræ
Obiectæ, Sphingesque, Hydræq; & Gorgones atræ,
Intentaque omnes cessere in nubila fraudes.
Mens inuicta tibi, mens magno nixa Tonanti

Constitit, & victo mansere ex hoste trophaea.
Idcircò Superique omnes, Rexque Ætheris alti
Te magè iàm fouit, iàmq; & pulcherrima Diuũ
Regina Æthereo magè crebra apparet ab Axe
Victrici castis aspirans omnia votis.
Sìc Lybia Pater, Italidum sìc sancta Virago
Senarum Decus, innumerique ex Æthere Diui
Apparent, denisque omnes insignibus ornant.
Quìd memorem totum tibi cum Cœlestibus æuũ
Hìc penè exactum, dùm mens abducta sub astris
Colloquio fruitur Diuùm, Diuùmquè volupt a?
Tu clausa exuuijs etiàm mortalibus artus
Funestis morbis, & vincto corpora motu
Exoluis; ceditque elephas immanibus horrens
Plagarum vlceribus, serpensque in viscera tabũ;
Visque atrox lemurum bacchari in corpora cessat.
Nil quoq; Cœlesti nequicquàm poscis ab Axe;
Nàm cœtu Matrum, si qua est penuria rerum,
Succurris passìm; rursùs sìc sæpè Lyei
Corrupti latices haustu viguere salubri.
At tua post cineres magè iàm florentibus aucta
Prodigijs Virtus. Lethales vndiquè morbi
Abscedunt membris, nèc non vicina repentè
Sunt visa extremo fata abscessisse cubili,
Ac solida extemplò vires, roburque, vigorque
Corporibus reddi. Dùm fors solemnia sacra
Iàm tibi Virginibus mixta supèr Axe Beatis
Instaurant Matres, tu dona exhausta Mineruæ
Restituis, vacuosque iterùm crateras Oliuo
Calesti comples. Quìn latè Oenotria tellus,
Europeque omnis tua munera sentit ab Axe
Sydereo propiùs; Nam Rector maximus Æthræ
Omnia successu dat vota audire secundo.

HYM-

HYMNVS XVII

S. PETRO DE ALCANTARA

Fundatori Prouinciarum S. Iosephi, S. Ioannis Baptistæ, & S. Pauli Fratrum discalceatorum S. Francisci Minor. Obser. in Hispania

A' Papa CLEMENTE IX. SS. Cœlitibus adscripto 26. Aprilis 1669. qui obijt anno ætatis suæ 63. 1562.

Dictus à Iacobo Angeli.

POstquàm sacra tui consors Tyrrhena triũphi
Est numeris tentata meis iàm Pactia Virgo;
Consortis Diua te Diuûm Heroa silebo?
Qui decus Hesperiæ magnæ, qui gloria toti
Europæ affulges? haud sic. Tu pronus ab altis
Aspira Superis, nostrisque adlabere cæptis.
Dat natale solum, claraque à stirpe penates
Occidua Hesperiæ tellus. Tibi prima sub æuo
Ardescens pietas studia ad Cœlestia tantùm
Tota abit, & totis huc se conatibus effert.
Tunc etiàm primo mens rapta ad Sydera nisu
Æthereum assueuit sopitis sensibus Axem.
Iàm ferre, & coràm Cœlestûm discere vultus.
Post rigidis clausus septis tu lustra iuuentæ,
Et totum Diuis sacras Cœlestibus æuum.
Atque hic Sydereis ardens præcordia flammis
Haud quæsisse vltrò cessas tormenta laborum.
Te macie assidua torques, vix membra quieti
Nocturnæ indulges, versusque ad Sydera vultu

In somnes precibus consuesti educere noctes.
Intereà primis seù nox ruit atra tenebris,
Seù lux prima oritur, bis sæuo verbere corpus
Dilanias, largumque cies per membra cruorem.
Tùm crebris nodis, & funibus aspera vestis
Inuoluit plagas, cingitque horrente catena
Ferrum immane latus; nàm stat sæuire per artus.
Tùm quoquè ni roseis iàm quarta Aurora quadrigis
Euehitur Cœlo, gelida tu munera lympha,
Tu Cereris libas. Toto sic viuitur æuo,
Neuè vnquàm latices iuuit gustare Lyeos.
Seruatusque rigor, seù tu penetralia Regum
Inuisis mansure hospes, tectisuè superbis
Primorum Hesperiæ degis, claustrisuè morare.
Ah quotiès animum Dio inflammatus amore,
Plagarumque memor, quas Rex admisit Olympi,
Brumali mersas tu corpora nuda paludi,
Diùque gelu, glaciemque, & non tolerabile frigus
Mente alacri extremo gaudes sufferre dolore.
Vsquè caput nudum, nudis vestigia plantis
Perque æstus omnes, ventosq; imbresque ferebas.
Sic duros calles, iuga sic prærupta viarum
Exsuperas crebrò, niuibusuè, æstuuè laborans.
Sic macie extrema fessum, plagisque cruentis
Proscissum plantas bis vidit maxima Roma.
Te nullæ curæ, nulli fregere labores.
Dùm claustra Hesperiæ prisco spectata rigore
Attollis noua, dùm magnis Hispania captis
Prona fauet, dùm Primores, Regesque fauerent;
Tuque Heroa refers, quem ferre Oenotria tellus
Diuini aspexit monumenta impressa doloris;
Ipsa infanda odia, & diris conuitia dictis,

Ver-

Verberaque immeritis incussa asperrima plagis
Vltrò ardens animis tranquilla mente ferebas.
At quæ non spectas tu præmia læta laborum?
Dùm dulci eloquio, dùm fandi viribus ardes
Et mortale genus sacris hortatibus imples?
Se sontes animæ mœsta in suspiria soluunt,
Et sacro certant remeare ad Sydera luctu.
Innumerique alto iàm tacti Numine pectus
Se claustrorum adytis, solisuè in rupibus abdunt.
Frustrà se Manes Erebi, frustrà omnia monstra
Obiecere tibi, strepitusque, actasque phalanges
Ceù bellantum hominum; nequicquàm immania saxa
Torquentes vibrant. Victi, indecoresq; recedunt.
At magè prodigijs dat Rex clarescere Diuùm;
Nàm parère vltrò tibi cuncta elementa laborant.
Hinc tumidos passìm vestigia sicca per amnes
Ducebas, medias sic nix suspensa per auras
Impendens capiti se cano fornice densat,
Nè lædare gelu. Sic fuso turbine nimbus
Haùd violauit aqua, nèc vestes contigit humor.
Immixtus medijs sedas incendia flammis.
Tu gelidos latices lymphis rorantibus ire
E' sicca tellure iubes. Tùm rebus in arctis
Sæpè tibi, socijsque alto demittitur Axe
Larga Ceres. Vita tu membra exanguia reddis.
Tu morbos omnes, tu fata propinqua moraris.
Tu res venturas, corde & celata sub imo
Tu nosti secreta animæ. Bis tempore eodem
Sæpè alijs, alijsque locis, ac vrbibus idem
Appares, curis hominum præcordia soluens.
Dùmque epulis Procerum sopito corpore langues
Rex ipse Æthereus calicesque, dapesque ministrat

Mulcens affatu, & dictis Cœlestibus ægrum.
Quæ quondàm nixus siccata cuspide greßus
Monisti Pater, ex illa creuere repentè
Arborei fœtus, pomisque salubribus omnis
Impleta Hesperia tellus, morbique fugati.
Mens assueta tibi se magna ad Sydera ferri,
Se Supero miscere Axi, Diuùmque voluptæ,
Tùm sæpè à terris sopita attollere membra,
Aereo æquasti sic olim vertice pinus;
Et crebrò elatum miris fulgoribus ardens
Eluxit corpus ceù sit Titania lampas.
Iàmque tibi extremæ dùm ventum ad limina vitæ
Regina Ætherea, & summi Regnator Olympi
Cum prole Æquæua, Dioque apparet Amore,
Tùm Superas sedes, regna immortalia Diuùm,
Viuus adhùc spectas, scisq; ipsa à morte labores
Te posse humanos Cœlesti auertere dono.
O Diue vt quondàm quoquè nunc mortalibus adsis,
Nàm quoquè prodigijs nunc vsq; ac vsq; refulges.



HYM-

HYMNVS XVIII.

SANCTISSIMÆ VIRGINI MARIAE,

Quæ in prodigiosa Imagine propè Labeonem, & Portum Tyrrheni maris in Monte Nigro colitur.

Dictus ab Antonio Iacobo Palmerio.

TVnè illa Euboici, quæ quondàm in littore pōti
Ægeo lux alma mari, lux alma Pelasgis
Fulsisti Virgo? quæ demùm barbara regna,
Odryſiumque genus, ritusque exosa nefandos
Syderea Hetruscis venisti hùc hospita terris?
Tèr salue ò Virgo, iàm bis pelagusque, salumque
Transuecta Oceani, seù sacris Hadria ripis,
Seù Thusca accepit venientem in littore Doris.
Tu Superi Regis partu dignata superbo,
Tu geminus Cœli quàcumque extenditur Axis,
Oceanusque duplex duplici tellure recurrit,
Cuncta potes. Tu spes mortalibus addita curis
Hìc stratum antè aras, hìc me mea crimina flētē
Aspice, sollicitosque animi depelle labores.
Da sacro luctu, sacro me posse dolore,
Labe omni detersa animæ, placare Tonantem,
Adsciscique olìm Diuù m felicibus oris.
Hanc tu prodigijs, signisque ingentibus omnem
Arrigere haud cessas oram, tractusque propinquos.
Sentit opem Sardoa secat qui cærula pinu,
Qui Ligurum ripis, Cyrnæi aut gurgite ponti,

Aùt Siculis vndis dubijs Aquilonibus errat.
Tu namque Hetrusci præsens tutela profundi,
Præsidiumque mari, si quandò naufraga puppis
Illisa ad cautes inimicum fluctibus imbrem
Accipit, & quassa soluuntur texta carinæ,
Aùt certa Ismarijs fata à prædonibus instant.
Hūc tantùm ad collem si pallida lumina vertūt,
Es vicina salus; ipso in discrimine lethi
Tu sepè attonitos optata ad littora sistis.
Hinc varia appendent aræ monumenta laborū,
Depictæ syrtes. Ruptis tabulata carinis,
Remosque, antennasque niger per marmora fluctus
Præcipitans voluit; medijsque effusa procellis
Inualido spectes Nautarum corpora nisu
Luctari in pelagus, post fidum prendere littus.
Tùm qui languentes morbis lethalibus ægri
Decubuere thoro, qui vincti segnia membra,
Aùt qui nequicquàm insidijs, teloque petiti,
Carceribusuè atris clausi ceruice catenas
Immerita passi; Stygiæ tùm sæua paludis
Experti monstra, & stimulis furialibus ægrum
Vexati pectus, memori sua munera cultu
Affixere tholis, longo omnes agmine morbi
Depulsi apparent, frustratis cædibus arma
Ruptaque tela hærent. Immundi corpore Manes
Eiecti horrificis fugiunt in nubila formis.
Hìc cunctis largiris opem (sìc annuit ipse
Sydereus Genitor) tu spes, tu vota precantum
Hìc audis propiùs, rebusque occurris egenis.
Contrà bis Nomades has quandò euertere sedes,
Prædarique aram studijs immanibus ardent,
Et iàm Maura phalanx collē exsuperasse laborat;
Ipsa arces, tenebrasq; oculis, cæcumq; pauorem
Obij-

Obÿcis attonitis. Olli errant littore præda.
Tu Cœli virus, sparsamque tepentibus Austris
Pestiferam labem, properique incendia lethi
Auertis. Tu quassata tellure tremorem
Lethifero prohibes sæuire in corpora motu.
Scit Labeo vicina tibi pulcherrima portu
Tyrrheno Labeo, his nunc ò maxima Virgo
Muneribus seruata tuis, seù fatifer annus
Desæuit, diruſuè tremor latè omnia quassat.
O Virgo Hetruscis sis custos addita rebus,
Sis populis optata salus, sis Regibus vsquè
Tyrrhenis prona, & series æterna sequatur
Regnantũ Heroum. Procùl hinc bella omnia verte,
Et læta Ausonijs sit pax secura sub armis.

HYMNVS XIX.

SANCTÆ ELISABETHÆ

Serenis. Principi, Andreæ Pannoniæ Regis Filiæ, Tertij Ordinis S. FRANCISCI, Quæ obijt xiii. kal. Decẽbris CIↃCCXXVI. præcipua Sanctæ illius vitæ elogia complectens.

Dictus à Francisco Septimio Palmerio.

ET si tota tibi se rursùm Pannonis ora
Impendit, donisque nouis cumulasse laborat
Quæ tua stant patrÿs diffusa altaria Regnis,
Idque etiam Daci, id septem fecisse Triones,
Europeque omnis gaudet, semotaque longè

Indorum tellus; Non his tamen omnibus vna
Est cessura cui succensa Hetruria cultu,
Succensa & casto penitùs, quo tangitur, igni:
Nàm quis spontè tui non incendatur amore
O' Diua Arctoa iàm lux pulcherrima genti?
Dùm te Rege satam, proauisq; à Regibus ortam
Atque animis, opibusq; & forma insignis honore
Florentem aspectat, nèc velle in crinibus aurum,
Nec digitis gemmas, aùt vllo corpora luxu
Regifico cingi, dùm te demissius vna
Nil toto agnoscit Regno, quæ Sydera tantùm
Sola optes, sola & Superis placuisse labores.
Tu nàmq; in terris, hac dùm tibi vita manebat,
Vsquè animum Æthereis arsisti saucia curis,
Resq; inopes miserata hominum, mæstosq; labores,
Quas proaui Reges, & Rex Pater ipse reliquit
Largus opes, cessitque tibi dotalia nuptæ
Dona vltrò, miseris hac omnia tradis habenda.
Hinc tu dicta altrix, ac vnica mater egentum,
Famaque multa tui per Norica Regna vagatur.
Nusquàm dura fames seris audita querelis,
Per tenues inopum lamenta ciere penates.
Nèc quisquam hybernos male tecto corpore nymbos,
Aùt glaciem, durasuè hyemes, te sospite, sensit.
Quin etiàm magnas Regali ad Sydera sumptu
Attollis sedes, quà se miserabile vulgus
Aùt varijs actum morbis, plagisuè receptet;
Hic tu omnes ægras, seù quis sacer ignis adurit,
Infestos artus, elephasuè in corpora sæuit,
Obsequio complexa foues; tu lurida passim
Vlceribus fædis, putriuè exesa cruore
Ambrosiæ affuso contrectas vulnera succo.

Nil

Nil te atrum virus, saniesuè, aut dira mephitis
Plagarum auertit; quin vltrò vilibus ardes
Ægrarum obsequijs castum posuisse laborem.
Hic nequè meta tui; tu sapè euoluere totas
Consuesti precibus noctes, sapè ipsa Tonantem
Affari, propiùsque frui dulcedine Diuùm;
Mòx Heroa Italum, Diuini impressa doloris
Cui signa, & Dio r orauit vulnere pectus,
Stat vita studijs, animoque, habituque referre.
Hinc quoquè post cineres, varijs clarescere signis
Haud cessas; Diuùmq; etiàm nunc Numine freta
Siquandò hic precibus castis, lacrymisq; vocaris
Ipsa audis vltrò, & mortalia vota secundas.

HYMNUS XX.

S. PHILIPPO BENITIO

ORDINIS SERVORVM SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ,

Qui Florentiæ natus 1233. sept. decimo Kal. Sept. Tuderti 1285. decimo pr. kal. Sept. obijt. A' Papa CLEMENTE X. 1671. Mense Aprilis SS. Cœlitibus adscriptus fuit.
Præcipua Sãctæ illius Vitæ elogia cõplectẽs.

Dictus à Ioanne Baptista Benesia.

QVi priscum Italiæ sydus splendescis Olympo
Caste Heros, radijsq; etiàm maioribus ardes
Nunc

Nunc toti Europæ, solio Romanus ab alto
Dùm Pater Indigetem Diuùm dignatus honore
Extulit, vt propiùs mortalia vota secundes;
Si quicquàm fas est summis in plausibus addi,
Quod minus est Diuo, Diuo inferiora canenti
Iàm nunc aspira, tenuique ignosce labori.
Tu precibus, votisque alto detractus ab Axe
Lucem hauris, sacrique ortus monumenta futuri
Agnouit Genitrix, dùm castæ incendia flammæ
Per totam Ausoniam, septemque effusa Triones
Visa sibi in somnis partu emisisse sub auras.
Post hæc prodigijs sua passim adnexa sequuntur
Prodigia; incepta vix post cunabula vitæ,
Dùm fari Natura negat, tu promere voces,
Ceù tunc Diuinæ flagres Genitricis amore.
Nàm Diua Serui, dùm fors ad munera victu
Poscenda ingressi tecta interiora subibant,
Attonitam eloquio Matrem Cerealia poscis
Munera larga viris, queis Regia Nupta Tonantis
Iàm fauit, Seruosque suo sub nomine legit.
Mòx etiàm macie per membra tenerrima sæuis;
Nàm sæpè vberibus, sæpè & caruisse cubili
Assueto visus; si quicquàm sedula nutrix
Obniti contrà, vagitibus omnia misces,
Ceù vis consilij iàm tùm matura vigeret.
Vulgatumque adeò magnæ intrà mœnia Floræ
Te nil iàm Patriæ, toti nil sanctius Orbi
Indultum à Superis; Quæ post euentibus Æther
Cuncta implet. Prima nàm seù lanuginis anni
Nedùm adsint, seù firma oritur, floretque iuuēta,
Seù senio riguit, sanctisuè laboribus ætas,
Nunquàm Cœlesti tua mens auertitur Axe.
Perfugium hìc votis, hìc Dio sancius igni
Vsque,

Vsquè, ac vsquè animum sacratis nisibus effers.
Se mira extemplò pietas, se pectoris artes
Exculti produnt, tùm pleno Numine vultus,
Virgineumque decus toto se corpore pandit,
Nil & opes magnæ incendunt, celsiuè penates.
Hinc te Sequanicæ, iussu Genitoris, Athenæ
Naturæ studijs, Troisque Antenoris arces
Informant Panacea, artisque insignia præbent,
Vim suprà humanam mirati excellere pectus,
Cui nil ipsa sui ignotum Natura reliquit.
At seù lux terra, seù nox atrata recurrit,
Tu Superis ardes sacrasse inglorius æuum;
Nèc Diuùm cessat Rex ipse è Stipite sacro
Affari, & sanctis tua vota incendere dictis.
Sic quoquè Cœlicolum curru Regina per auras
Inuecta Æthereis compellat vocibus vltrò,
Sacratumque suo mærori obtendit amictum.
Hìc quanta expleti flagras dulcedine voti!
Sacrato in Cœtu te nil demissius vno
Aspexere Patrum primi. Tu vilia cuncta
Explere obsequia, atque animo tamèn aurea Cœli
Tecta subis, virtusque nequit demissa latere;
Nam rursùm Superi signis Cœlestibus instant.
Tu lateri aerea rupis, cæcisque latebris
Inclusus, penitùsque animo conuersus ad astra
Bìs gelidos latices, lymphasque perennè fluentes
Spelunca arenti, siccoque in vertice montis
Alpino educis, quæ nunc quoquè rore salubri
Exsoluunt segni languentia corpora tabo.
Auditique etiàm Ætherei per nubila cantus,
Dùm primùm Superis Cœlestia sacra litasti.
Post toti Europæ, sub te iàm præside cœtus,
Relligio infusa, atque ipsis illata Gelonis;

Mem-

Memnonios etiàm longè penetrauit ad Indos.
Hùc tibi bìs gelidis lustrata Trionibus Arctos,
Et Diuùm succensus amor, dùm viribus altis
Arctoi eloquij victa in præcordia tendis.
Primusq; Austriadũ adiutus tibi Cæsar in armis,
Dùm precibus pugnas, dùm ferro ille opprimit hostes,
Iàm re Cœlicolum incolumi, imperioque quieto.
Tu, cùm dira fames, iàm cuncta extrema minatur,
Actutùm socijs Cerealia munera victu
Antè aram supplex Cœlesti accersis ab Æthra.
Contactu vestis, quam das miseratus egenti,
Ipsè elephas, labesque ægro se corpore soluit,
Vìx signa vlceribus fœdis, taboue relicta.
Hocque magìs iàm nota tui fama alta repentè
Prodigio crescit. Sceptrum, soliumque Latinum,
(Nàm diù certatum votis, quem posceret Axis)
Fessi Primores in te conferre laborant,
Cui tanto imperio par mens, virtusque futura.
At tu iàm saltus, & deuia saxa petisti.
Tùm duros omnes iuuit superasse labores,
Seù Cœtus res alta tui defensa reluxit,
Seù placata odijs acta crudelibus Vrbes,
Versique in meliùs mores, virtusque recepta,
Dùm monitis passim, sacrisque hortatibus instas.
At duri sontes flammis vltricibus Axem
Sensere extincti, dùm ausi proscindere Diuos.
Bina autèm sacro penetrarunt Sydera luctu,
Dùm flent molle nefas, vulgataq; corpora quæstu.
Duxq; Ceresq; tibi, Alpinis dùm rupibus erras
A' Superis datus. At Cineres maiora sequuntur
Signa tuos. Omnes passim depellere morbos,
Ex-

Extinctosque artus reuocare ad munia vitæ
Rex Superùm indulget; cedūt vitia omnia mēbris,
Fraudsque Erebi insidiosa patet; lemuresq; superbi
Corporibus pulsi. Præsens tu rebus in arctis
Præsidium, & frustrà te nemo in vota vocabit,
Si te ritè vocet castam diffusus ad aram.

HYMNUS XXI.

S. CAIETANO THIENEO
CLERIC. REGVL. FVNDATORI,

Qui Vicentiæ 1480. natus, Neapoli septim. id. sextilis 1547. obijt. A' SS. D. N. PAPA CLEMENTE X. SS. Cœlitibus 1671. Mense Aprili adscriptus est, præcipua Sāctæ illius vitæ elogia complectens.

Dictus ab Antonio Ioanne Bartalena.

HÆc voti reus, ò Diuis primoribus Æthræ,
Diuus & ipse Pater plaudente insertus Olympo,
Spesque noua humanis Diuinitùs addita rebus,
Parua tuæ monumenta aræ sinè diuite cultu)
Appendo supplex, meque hùc per limina sacra
Abiectum, fletusque oculis, lacrymasque cientem
Aspice. Da gelidum Dio mihi pectus amore
Incendi; da sacrato mea plurima luctu
Delicta ingemere, & læsum placare Tonantem.

Qua-

Quaque tibi propria est pietas, da morte sub ipsa
Insidijs Erebi victis ad Sydera Manes
Efferri, placidaque frui post fata quiete.
Quamvis, Diue, tibi venienti in luminis auras
Ipsa dedit celsos Vicentia prisca penates,
Diuitiasque, domumque altis Heroibus actam,
Haud ideò tamen, incapta lanuginis ætas
Dum tibi florescit, luxuuè, opibusuè superbis
Tu Sancte indulges. Aliò studia alta feruntur.
Iàm tùm Sydereum tua tantùm figis ad Axem
Lumina, fixurus dùm fata suprema vocarint.
Hùc animus tibi totus abit, suaque omnia vota
Diuino accensus supèr Æthera tollit amore;
Quaque adeò Supero Regi placitura putares,
Hæc tu ardens animis actutùm explesse laboras.
Hinc crebrò fœdosque situs, ac lurida tecta
Ægrorum visis, nèc te contagia morbi
Exitiosa mouent: Tu stratis tristibus hæres
Vbertìm lacrymans, ac vilia quæque capessis
Obsequia in miseros, opibusq; haud parcus auitis
Corpora fessa leuas, animosque hortaris ad Astra.
Tùm segnes animas flammis Cœlestibus vltrò
Incendis, sanctoque vocas ad Sydera nisu,
Sique sinat Natura parens, si Rector Olympi,
Exoptes, bimari quà se latissima tractu
Italia effundit, possis vt corpore cerni,
Audirique absens, dùm sancto percitus æstu
Eloquij robur dura in præcordia vibras.
Vsquè adeò curæ pietas, animasque sub Axem
Stellantem euehere, & mores reuocasse priorum.
Atque hùc adlecti comites, socijque laborum,
Queis eadem mens, vnanimisque in corde cupido
Deflexum à recto studia ad Cœlestia vulgus
Ver-

Vertere, & in meliùs castis succendere curis.
Teque, tuosque vnà stat soli addicere nutu
Cælicolum Regis, spes huc, & vota referre.
Nuda opibus ducenda ætas, dotaliaque arua,
Dotalesuè auri census, fructusuè negati;
Nèc fas subsidia humano deposcere victu,
Si pietas miserata hominum quid spontè datura
Vescendum. Tali vis alta ad Sydera lege
A' socijs iri, nèc quicquàm iussa remitti.
Ast Æther propiùs durissima capta secundat.
Nàm sæpè extremis rebus, medioque labore
Subuentum curis misso Diuinitùs auro;
Ignotiuè dapes ipso sub limine tecti
Liquere, & tenues vanescit imago sub auras.
Atque adeò in Diuos studijs maioribus ardes
Exemplo pectus, iuuat & suprema laborum
Cuncta pati, rebus dùm sic mortalibus addas
Auxilium Pater, & pietas reuocetur Auorum.
Tu capta Roma, diraque in clade Quiritum
Vinculaque, atrocesque immani verbere plagas
Perpessus, placido conuersus ad Æthera vultu
Pacem oras Diuùm, nè res Romana laboret.
Annuitur votis; nàm quos fama alta per omnem
Ausoniam complexa viros nunc munere fandi
Egregios, mirisque animi nunc dotibus effert,
Tu sontes homines, mentitaque dona reuelas,
Et latitans virus, sacrisque aduersa Quirinis
Eloquia ostendis. Sese olli in regna Britanna,
Aut aliò Arctois diuersi sedibus abdunt.
At pia Parthenope stetit hac innoxia labe.
Tu macie assidua, & sæuis plangoribus omnes
Excrucias artus, queis post asperrima nodis

In-

Induitur vestis, ferroque horrente catena.
Tum sæpè insomni toto nox humida Cælo
Labitur, atq; preces, lacrymasque, & vota cienti
Exoriens patrijs Aurora affulsit ab Indis.
Vix demum stratis, rigidoque imposta cubili
Permittis sero mulceri corpora somno.
Hinc tibi sopitis Cœlestia gaudia membris
Obtingunt crebrò, quandòque elata sub auras
A' tellure procùl tibi membra immota rigescunt,
Perq; aßueta animus Diuũ aurea tecta vagatur.
Te quoq; dignatus Supero Rex summus ab Axe
Diuinæ Ambrosiæ fructus, laticesque volupta
Haurire Æthereæ, Dio dùm basia libas
Admissus lateri; proprij & monumenta doloris
Indulget fatalem humeris, quam victima gessit,
Ferre Trabem, antiquo ceù sis comes ipse labori.
Corque tuum alitibus flammis, volucriq; meatu
Aspectas roseo latè per nubila tractu,
Ceù tibi direptum supèr omnia Sydera ferri,
Indultumque etiàm signis florere secundis.
Vulneribus, plagisque olim lethalibus ægri
Extemplò salui vicino à funere surgunt;
Mensque emota redit, curæque, animique labores
Abscedunt, praeuntque tuos, & clara sequuntur
Prodigia ad cineres. Denso omnes agmine morbi
Præcipitare fugam, Stygijque à corpore Manes
Bacchato pelli; quin ad noua limina vitæ
Defletos artus, ac oßa exanguia reddis.
O' pater Hadriacæ decus, & Sebethidis vndæ,
Tu lucta in summa, dũ mors vicina propinquat,
Da robur trepidanti animæ, da Numen amicum.

HYM-

HYMNVS XXII.

S. LVDOVICO BERTRANDO ORDINIS S. DOMINICI,

Qui Valentiæ in Hispania Tarraconensi 1525 Kal. Ian. natus, ætatis suæ 55. obijt Valentiæ, à SS. D. N. Papa CLEMENTE X. SS. Cælitibus 1671. mense Aprilis ascripto, præcipua Sanctæ illius vitæ elogia complectens.

Dictus à Ioanne Baptista Gherardi.

SEu Pater Occidui studijs propioribus Indi
(Nàm duce te Sacris gẽs ista addicta Latinis)
Nunc positis aris totum meruisse laborant.
Seu decus omne tui telluri cedit Iberæ,
Quæ tot iàm Superis, Diuisque Heroibus Axem
Cælicolum implet, teque suo nunc Ciue superbit.
Aut potiùs te tota sibi pulcherrima poscit
Præsidium Europe; dùm Numine freta secundo
Se tua prodigiis vis latè insignibus effert;
Atque nouas ideò sedes, arasque dicauit.
His etiã numeris, quãdò omnia plausibus ardẽt,
Teque canunt omnes, sine me tua maxima Diue
Prodigia, & sanctos tentare vtcumque labores.
Dùm tibi natali lux prima apparuit ortu,
Iàm tenero lacrymis, & amaris fletibus ora
Plùs solito natura rigat, ceu certa doloris
Det iàm signa tui, & luctus monumenta futuri.
Nàm Solymo vt Vati lacrymæq, dolorq; perenni,
Dùm scelus Isacidum, sons & ploratur Idumes

Sic mens vsquè tibi sacris mœroribus ægra
Dùm noxas, curasque hominũ miseratur inanes,
Haùd lacrymis cessat lamenta ciere profusis.
Ætas iàmque tibi primis maturior annis
Soli Cœlicolum Regi, solique Parenti
Syderea crescit, Dioquè accenditur igni,
Nèc nisi iàm castis molitur Sydera votis.
Hinc crebrò à Superis pacem, veniamq; precatus
Vix aris prima meministi abscedere nocte.
Tùm variis plagis, aùt squallida corpora tabo
Inuisis, putresque situs, fœdosque penates
Nocturno insomnis tolerasti sæpè labore.
At Gazmaniadi Diuo, Diuique sacrato
Ascriptus cœtu, totus supèr Æthera tendis
Deflagrante animo. Cunctos hinc ferre labores
Est amor, est solis cruciatibus ire sub astra.
Tu crebrò insomnis Cæli alta ad Sydera versus
Intèr vota preces, inter suspiria fletus
Duxisti primis dùm Sol remearet ab Indis.
Tùm quotiès animo Diuini asperrima lethi
Supplicia euoluis, tu fessa in membra cruentis
Verberibus sæuis, ac circùm limina sepè,
Aùt tabulata cruor vestigia mœsta reliquit;
Tùm scissos artus, perfusaque vulnera tabo
Ferratis ambit vestis spinosa catenis.
Quìn longa exerces macie, crebraque lacessis
Esurie corpus, duroque abiecta cubili
Vix sera indulges perfundi membra quiete;
Hicque rigor vitæ toto traducitur auo.
Tu procùl Occiduos pelago delatus ad Indos
Aùt prò Cælicolis lethum crudele pacisci,
Aùt aliquam Stygio prædam auertisse Tyranno
Exoptas Pater. Inceptis felicibus Æther

A spi-

Aspirat pronus; nàm dùm Cœlestia sacra
Fortè canis, linguaque Indos affatus Ibera
Iàm parta humana memoras monumenta saluti,
Attoniti omnes ceù patrio sermone sonantem
Mirati accipiunt vocem, Diuinaque dicta!
Ergò Tanarij delubra immania Regis
Exosi Indorum primi, primique ministri,
Et latè affusum vulgus, matresque, virique
Elutì noxas lymphis lustralibus omnes
Certatìm studijs regna ad Cœlestia tendunt.
Mòx alijs monstris, factisque ingentibus oram
Arrigis. Exanimes artus, defletaque membra
Das iterùm abrupta remeare ad limina vitæ;
Bis sontes herbas, virusque innoxius atrum
Hausisti; diro nèc funere fata sequuntur.
Sæpè tibi in syluis sua tygribus excidit ira.
Naufrago insultans tibi turbine paruit vnda,
Quàque manum attollis subsidit fluctibus æquor.
Vt patrios tandèm remeasti Diue penates,
Hæc tibi sola quies nulli indulsisse quieti.
Nàmq; animis flagrans cunctis mortalibus ardes
Obsequijs prodesse tuis. Tu corpora passim
Seù grauibus curis, seù morbis tristibus ægra
Solari gaudes; tùm fretus munere fandi
Tu sontes animas mœrore incendis amaro,
Vt tantùm ad Superos studijs melioribus acta
Conuersæ tendant: hæc stat tibi meta laborum.
Nec Superi cessant vsquè aspirare secundi.
Nàm tibi sulphureo dùm telum intenditur igni,
Exitiumque atrox lethali glande paratur,
(Horresco referens) teli euanescit imago,
Ac Diæ effigies vt diro in Stipite fixa
Apparet ceù tabo artus perfusa recenti,

Illaque

Illaq; vincla gerens, quæ quondã impressa cerebro.
Dat quoq; Rex Superùm ventura euoluere fata,
Ac secreta animæ penetralibus abdita cæcis
Iàm nosse, attonitisque hæc ipsa efferre sub auras.
Tu vasta auertis refugis incendia flammis.
Vincti omnes artus prima in vestigia librant
Gauisi corpus. Passim lucemque, sonosque
Auribus aspicias clausis, oculisque referri.
Sæpè & luctifici morbi, maciesque suprema
Corporibus depulsa fugit. Mors ipsa sepultos
Haùd cohibet cineres; ferali elata feretro
Optata rursùs tu reddis funera luci.
At clarus fulgor, luxque improuisa refulsit,
Dùm fato cedis, medioque audita sub Axe
Cælituum pubes festo insonuisse canore.
Nunc etiàm innumeris dùm te clarescere signis
Aspicimus Pater, & Supero posse omnia Rege
Iàm fretum, ex illo, quondàm quo saucius igne
Arsisti pectus Diuino absumptus amore,
Hic nos vel tenui propiùs succende fauilla.



HYM-

HYMNVS XXIII.

S. FRANCISCO BORGIÆ, OLIM GANDIÆ DVCI TERTIO,

Societatis IESV Præposito Generali, qui Gãdiæ in Regno Valentiæ CIↃIↃX. quin. kal Nouembris natus, Romæ CIↃIↃLXXII. pridie Kal. Octobris obijt, Præcipua Sanctæ illius vitæ elogia cõplectẽs.

Dictus à Dominico Cosio.

Qvamquàm Europa omnis, longèque effusa per Indos
Aurora tellus studijs communibus acta
Iàm tibi Cœlesti magnum supèr Æthera Diuo
Cultusuè, ingenijuè alti monumenta dicauit
Vsquè omni victura æuo; cœtusque superstes
Ipse tuus nulli palmam non præripit istam;
Atque adeò non nostra humili sis voce canendus;
Si tamèn et pietas priuata admittitur Axe,
Obsequiumque placet Superis, viresque minores,
Haùd hac Asturia luxò clarissima regnis,
Diue Heros, tempes, quæ casto incensus amore,
Speque opis Æthereæ figo ad tua limina supplex.
Te medio partus, lethique oppressa labore,
Dùm fors Cœlicolas vota in suprema vocaret,
Salua Parens saluum sub luminis edidit auras.
Hinc ætas omnis pronis obnoxia Diuis
Vsquè tibi curis tantùm Cœlestibus arsit.
Dùm gelida hyberno se voluunt sydere noctes,
Sæpè quies tibi iàm medio subducta sopori.

M Et

Et nuda tellure artus, proſtrataque membra;
Quo sic Æthereum primis cruciatibus Axem
Moliri aſſueſcas, precibuſque euoluere longas
Inſomnis noctes. Hæc tùm tibi capta laborum
Auſpicia, & tantùm ſe mens efferre ſub aſtra
Vſquè optat, Dioque ardens hùc tollitur igni
Cum ſolis agitans iàm tùm commercia Diuis.
Quocircà nèc opes patriæ, nèc auita ſuperbo
Sanguine ducta Domus, ſtirps aùt te Regibus acta
Heſperijs vllo potuit ſuccendere faſtu.
Vt verò Genitrix iuuenilibus occidit annis,
Tu thalamo occluſo mœrens lacrymaſque, preceſq;
Verberaque, & primo tua ſaucia membra cruore
Maternis vltrò ſuffragia Manibus addis.
Mox etiàm celeri quam cuncta obnoxia fato
Tecum agitas, ipſos ire in ſua funera Reges,
Nilque diù ſtabile in rebus florere caducis.
Ergò ipſis quamquàm mixtus Primoribus Aulæ
Heſperiæ degis, neuè eſt te charior alter
Auſtriadi Belgæ, qui Rex, & Cæſar Iberum,
Danubiumque, Indoſque noua ditione teneret,
Haùd quicquàm à Superis ſumma intèr munia regni
Abſcedis, ſtudijſque magis Cœleſtibus ardes.
Siquandò Heſperidum primas matreſuè, nuruſuè
Affare, horrenti laceratum tegmine corpus
Obiectas contrà veſanæ incendia flammæ.
Nèc Coniux tædis, thalamoque admiſſa iugali
Auertit captis; nàm mens ſemèl addita Diuis
Vſq; immota manet. Domus omnis credita Nuptæ.
Tu Superis, Regique vacas, omneſque peroſus
Aſſeſſu in Procerum ludos venatibus arua
Quandòque exerces, ac ipſa per auia ſolus
Syl-

Syluarum aspectu mentem ad Cœlestia versus
Syderea crebrò pectus dulcedine pascis.
Sique sinat sors ipsa thori, sique annuat Æther
Sis solus tantùm soli victurus Olympo.
Hæc post vota tibi varijs languoribus aucta;
Præsertìm custos Regina vbì triste cadauer
Cæsarea aspectas (heù quò pulcherrima visu
Maiestas sìc tota abijt!) mersa omnia tabo,
Squallida, lurida, nèc magè nota horrescit imago.
Iàm fixum Aulam, resq; omnes liquisse caducas,
Cœlitibusque voues sacrato euoluere cœtu
Quicquid adbùc superest æui, si se via votis
Vlla aperit, firmæq; ipso stant corpore vires.
Tùm Lalætani custodia credita regni;
Hìc scelere exacto das res florere secundas.
Mòx charus Genitor, mòx & dulcissima Coniux
Abrepti fato. IgnatI Diuinitùs addi
Tu socijs gaudes; fascesque, altique penates
Despecti, & Tyrio spretus cum murice fulgor.
Liber, ouansque tui totis iàm nisibus ardes
Et Supero Regi, & Superæ placuisse Parenti.
Obsequia amplecti demissa hùc omnia flagras.
Fortè esu quadras, Cerealiaq; arma parantem
Acciuit Regina Tagi, dimissa recessit
Maiestas paucis, dùm munia iußa reuelas.
Sola aduersa placent; si morbi, æstusuè, geluuè
Sauijt, optata sunt hac tormenta voluptæ.
Nox abit in precibus. Diris plangoribus omnes
Proscissos artus spinoso inducis amictu.
Tùm vìx sera quies duro prostrata cubili
Corpora fessa leuat. Quìn salsa, acrisq; cerebro
It lapsa illuuies, ipsi & radicibus imis
Euulsi dentes oris dùm pronus hiatu

Diù terræ infusus pacem à Cœlestibus oras.
Vsquè nouis adeò cordi cruciatibus angi.
Extemplò occiduis se latè effudit Iberis
Fama ingens, passimque tuis hortatibus acta
Illustres animæ sese ipsa ad Sydera vertunt,
Seù claustrorum adytis, seù sola in rupe latentes.
Teque sibi haùd cessat custodem optasse supremum
Relligio Ignati, quæ te iàm Præside tanto
Summis aucta viris latè omni dīditur Orbe;
Cœlitibusque nouis (Eoa hi Doride mersi
Ob rem Romanam) Diuùm aurea tecta repleuit.
Sìc prælusum Astris. Magnis quoq; Rector Olympi
Aspirat monstris. Tibi lumine sæpè corusco,
Parque flagrans Soli facies nocturna reluxit.
Quìn etiàm iussi funesta cubilia morbi
Deseruere, ægris roburque, salusque reducta.
Auersa & matrum partu discrimina lethi.
Tùm exlata animis, res & prænosse futuras
Celicolæ indulgent. Cineres & magna sepultos
Prodigia illustrant. Nulli stant irrita vota,
Si tua se supplex ad casta altaria fudit.

FINIS.

PETRI ADRIANI
VANDEN BROECKE BELGÆ
ELEGIARVM LIBRI DVO

EMINENTISS. PRINCIPI

CAESARI FACHENETTO

S. R. E. CARDINALI

EPISCOPO SPOLETINO

DEDICATI.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

CAESARI FACHENETTO S. R. E. CARDINALI EPISCOPO SPOLETINO

S. P. D.

PETRVS ADRIANVS VANDEN BROECKE,

IAM à ſeptem, & viginti annis me Sacræ Amplitudini tuæ, omnium optime, ac humaniſſime Princeps, debui, qui me primus è Sacro Purpuratorum ordine olìm Bononiæ tuo complecti patrocinio voluiſti. Certè, ſi mihi viuendi æternitas daretur, illius quoquè diei memoria æterna eſſet, qua me intèr venerandi officia, dùm aliqua per id tempus iuuenile impetu de Diuo Hieronymo typis commiſſa, binoſque elegiarum libellos offerrem, iuſſiſti ſecundos rerum mearum euentus te potiſſimum adiutore ſperare, tuaque poſt egregia, qua de probis, boniſque hominibus benemereri ſtudes, & ergà me imme-

merentem beneuolentia in vulgus ſparſa factum eſt, vt clariſſimorum iſtìc Ciuiũ patrocinio haùd indignus viderer; ipſaque Pieritia domo, quæ & nomine, & virtute ad ipſas Pierides omnium elegantiarum Promocondas ſpectat, familiariſſimè vterer. Dùm verò ab Innocentio Decimo omnium indulgentiarum theſaurus anno quinquageſimo mortalibus aperiretur, atque ego religionis cauſa me in Vrbem contuliſſem, eadem animi propenſione conſtituendæ rei meę familiaris ſtudia ſuſcepiſti. Undè haùd multo poſt tempore authoritate in primis, ac miſſione Marci Antonij Cardinalis Frãciotti ad Lucenſes, vt illìc honeſtiſſimo muneri profitendæ humanitatis præeſſẽ, profectus fui. Nequè multo poſt cùm in reditu à Lauretana Æde (ſi rectè commemini, te Phanum Fortunę per id tempus contuleras) venerationis meæ obſequia deferrem, haberemque ob beneficia maxima maximo tibi Mœcenati gratias, eccè alia nè audẽti quidèm talia ſperare, humanitas tua! iuſſiſti hoſpitem eſſe, donèc indè Senogallia peteretur. Interìm Borea Hadriacum pelagus impellente, Cœloque imbribus aſſiduis fædato, dùm ne-

neminem tempestas tecto egredi pateretur, aures sub indè elegis meis audiendis humanissimè indulsisti, quos octauo post anno in libellum coactos, præfixo Sacræ Amplitudinis tuæ nomine publicos feci, nunc eosdem altero libello auctiores sub tuo iterùm amplissimo patrocinio luci committo. Confido autèm fore, vt eadem prorsùs humanitate, qua istas meas lucubrationes olìm accepisti, easdem nunc cum nouo fœnore ampliores amantèr accepturus sis. Nequè hìc ego ausus sim sublimiora attingere, quià tibi, tuisque summis meritis impar est, quicquid meditata cogitandi solertia styli venustate depromat. Ore totius Europæ loquendum, non meo; nequè huius exilitate epistolę, sed Pliniana panegyri opus sit, si vel in partem aliquid de tuis in publicum meritis libare molirer. Nollet Hispania me præconem habere, quæ te mirificè coluit, & admirata est, dùm in rebus maximis gerendis quanta æquitate consilia tua prudentissima niterentur, quamque Virtus tua præstantissima nihil ab Austriaco sanguine degeneraret (sanguis enìm materna serie Austriadum es) Philippo Quarto Regi Catholico ostēdi-

sti. Nollet Italia meas laudes, vt multo minores tui nominis æternitate, audire, quæ olìm vidit quanta Vrbanus Octauus propensione animi, & quanto totius Reipublicæ Christianæ consensu, suarumq; Prouinciarum gratulatione te Purpuratis Ecclesiæ Romanæ Proceribus egregio futurum ornamento Cardinalem crearit. Communis gratulationis fauorem prętèr tua summa merita etiàm Innocentij Noni Sanctissimi Præsidis terrarum Propatrui tui memoria incendebat, qui generis humani, vt maximum in se amorem inculpatissimæ vitę integritate, ac omni Pontificia laude excitarat, ità immatura in isto apice rerum morte ad Superos translatus, incredibile sui desiderium, summumque mœrorem mortalibus reliquit; quem tamèn, vbì tua imago eisdem planè virtutibus ornata in spes rerum humanarum affulsit, vtcumq; leniuit. Sed ego nil aliud additurus sum, nisì vt quo me hactenùs patrocinio complecti dignatus es, deinceps amantèr complectare. Vale.

Pisis decimo sec. Kal. Octob. CIↃIↃCLXXII

EIDEM

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI

CAESARI CARDINALI FACHENETTO.

NE metue his numeris vĕtura oblinia Cæsar;
Quamquàm præsenti nos spontè abscedimus æuo,
Nèc sequimur natos Tyrrheno à fonte lepores.
Stat sua cuique Venus linguæ, stat nescia verti
Sat contenta suo natali incedere cultu.
Non me degeneres Cyrrhea à rupe Camœnas
Deduxisse iuuet, quas solùm stulta iuuenta
Approbet, & resonis miretur ad omnia verbis,
Sed Romana loqui, Graisque à fontibus hausta
Promere cura fuit, totoque in sæcula nisu
Anteriora rapi, Vatumque subire priorum
Limina, nèc quamuìs impar penetralia possim
Moliri, similique animum succendere fama,
Sat me vestibuli sedisse in parte iuuabit.
Non si Minciadi stet gloria prima Maroni,
Delituere alij, numeris qui mollibus ardent,
Qui cecinit Nemesin, gemuitq; ad clausa Neeræ
Limina, nèc Vates, quem primis cæpit ocellis
Cynthia, viuit adhùc soli dilecta Catullo
Lesbia, Pelignisque nocet Romana Corinna
Manibus, & miseri legimus suspiria Vatis.

Nèc si quid fidibus numerosis dixit Horatl
Melpomene tristi texere oblivia nocte.
Actiaque in sacris sit princeps Musa Camœnis.
Non tamèn aùt miti latuit Naugerius ore,
Aùt cineres Bĕbi, aùt queis Laurens obtigit olim,
Aùt sub magnanimo sua sors stetit alta Leone;
Sed magìs, atq; magìs victuri in sæcula tendent;
Nèc sacri Heroes, nèc nocte tegentur opaca
Quæ semel Aonia sacrarunt nomina rupi.
His etiàm (si prisca Venus, simplexque redibit
Maiestas nulli peregrino obnoxia fuco)
Me pia posteritas, nisi sint præsagia vana,
Annexisse volet. Sed quamuìs carmine Cæsar,
Nèc laude indigeas vlla, cùm te tua Virtus
Maxima sàt toti laudatum ostenderit Orbi,
Et secura tibi stet fama perennibus annis;
Ipse tamèn Rheni ad latices, si vita supersit,
Solemnes aras, statuam solemnia sacra,
Quæ tantæ monumenta domus. Hìc maximus Orbis
Stet tibi Tarpea Patruus Regnator ab arce
Sacrata in trabea, fulgentique arduus auro,
Innocuo totum qui vultu leniat Orbem.
Hinc consanguinei, vultuque, Ostroque decori
Stent alti Proceres: Tua ponè sequatur Imago.
Felsinea astabit circùm de more Iuuentus
Palladis Ægisona ramis velata capillos,
Incumbetque sacris æterno munere ludis.
Atque ego de viridi despectans omnia rupe
Aonio Vates accendam prælia cantu,
Et sacrata tibi deducam carmina Cæsar.

AMÆ·

AMÆNITAS VILLÆ TYBVRTINÆ DESCRIPTA.

ILLVSTRISSIMO IVVENI

PAVLO FRANCISCO DE PIERITIIS

PATRICIO BONONIENSI,

vt eò veniat

HETRVSCVM POEMA

De Argonautis perfecturus.

ELEGIA I.

PAule Aganippeis gratissima cura Puellis,
Dùm tristi tellus sydere tacta gemit;
Icariaque Canes signis lethalibus ardent,
Nullaque de toto lenis it hora die;
Hùc ades, hùc agili te sistant Axe iugales;
Hìc tibi perpetuo Vere renidet humus.
Gramineos dant prata thoros, dat florida tellus
Candida Corycio lilia mixta croco.
Mitis Achæmenios expirat Chloris amomos,
Spirat odorato cana ligustra solo.
Seù Paphia libuit crines præcingere myrto,
Floret amatrici plurima myrtus humo.
Hìc blandè Zephyris, blandè spirantibus auris
Alludit tremulis laurus odora comis.
Stat platanus viridique coma, viridiq; cupressus,

Fron-

Frondibus alta ilex, frondibus alta salix.
Hinc hedera rupes croceis sparsere chorymbis,
Hinc canit argutis ales in arboribus.
Mopsopia volucres rursùs sua crimina, rursùs
Plorat in Ismario persona vallis Iti.
Hinc auidi tendunt per mollia pabula tauri,
Lacteaque in plenis bucula mugit agris.
Hìc olìm Alcide nescis mugisse iuuencas
Dùm præda à victo staret Ibera Tago?
His tamèn in syluis Anienæ ad flumina ripæ
Fama est Herculeas procubuisse boues.
It secura pecus, quà latis vallibus herba,
Et vocat æternæ limpidus humor aquæ.
Sed rupe aerea frondentibus imminet herbis,
Audax aereis stare capella iugis.
Ipse canens Lycidas resonis Amarillida syluis
Agresti pastas carmine mulcet oues.
At miser abiectus propter dumeta bubulcus
Hìc manet, hìc Mopsæ tactus amore iacet.
In Mopsam gemit, in Mopsam suspiria ducit,
In Mopsam calamis carmen agreste canit.
Aspicies fontes salebrosæ culmine rupis
Leniter vmbrosis vallibus influere.
Vt tremuli lapsus per læuia saxa voluti
Soluant æterna munia casta viæ.
Festinent liquido solari deuia rore
Gramina, quà domus est hospita Nayasin.
Quà se sub liquidis diuina Naiades antris
Sæpè lauant, myrtho tempora sæpè tegunt.
Quà picta in calathis castæ conchilia Nymphæ
Dotalis ripæ munera blanda legunt.
Vos Arabæ gemmæ, Scyticique valete smaragdi,
Et quicquid rutilis eruit Indus aquis,

Non

Non mihi Pactolus, non Ganges aurifer amnis
Fluxerit Eois ſub mea iura vadis.
Talia degeneres optent; hac Iupiter ora
(Si fas) ingenio prona ſit vſquè meo.
Hìc mea venturis ætas incandeat annis,
Occubet hìc fatis noſtra ſenecta ſuis.
Sàt mihi felices ſi præbet populus vmbras,
Si reſonet caſtis hæc pia ſylua modis;
Submittamque leui mox lumina feſſa ſopori
Hoc iuxtà æternæ murmur euntis aquæ.
Sim procùl à vulgo, ducamque innoxius æuum,
Neuè onerent Manes impia facta meos.
Dùm Lacheſis ſuprema vocat, dùm mœſta ſepulchro
Oſſa damus, Vatem nouerit Æthra ſuum.
Tu tamèn incumbis Tybri, nèc cura Dianæ
Vlla ſubeſt? oculis excidit omne nemus?
Quot tibi Tyburnis adoleſcunt rupibus hædi?
Quæ præda hinnulei, capreolique tuæ?
Nùm veniente die tibi cum Pallantide durum
Surgere, vel Thuſco demere vincla cani?
Si qua lepus fugitiua aliò veſtigia vertit,
Et ſpectare oculis præmia capta tuis?
Pan ſapuit, Pan Arcadici pineta Lycei
Maluit Argeo poſthabuiſſe ſolo.
His Deus in ſyluis, his nunc in montibus errat,
Hìc nunc Tyrrheno dulcius ore canit.
Venère hircipedes exoſi Mænala Fauni,
Plùs Erymantheis hæc valet ora iugis.
Ipſa etiàm Arcadicis Echo notiſſima ſyluis
Venit amatorem nympha ſequuta Deum.
Hìc quæcumque canes vocalibus omnia reddet
Plena ſonis; toti vox modò tota Deæ eſt.
Nèc peritura canes, ſed quæ pia fama tueri,

Quæ-

Quæque volet Claria Delius author aqua.
Narrabis Pagasæ primam naualibus Argo
Ausam non solitas æquoris ire vias.
Dùmque alij primo suspendent carbasa malo,
Tyrrhenique ferent lintea prima Noti;
Tu nouus Hæmoniæ Typhis dicère carinæ ;
Præuolat eccè tuam Graia columba ratem .
Iàm tibi lympha citis canescet spumea remis ,
Ipsaque sub medijs prora loquetur aquis .
Hinc centum æquoreæ cum pulchra Doride natæ
Centum Amphitrites , Oceanique nurus ,
Nexilibus choreis , & nudo corpore vectæ
Assilientque vndis , assilientque rati.
Pelea sub remis Thetis Oceanina sedentem
Nunc quoquè cærulei carpet amore thori.
Immemor Alcide dùm Glaucas ordine Diuas
Aspicit , à dulci lumina vertit Hyla .
Eccè mihi Phasis iàm barbara raditur vnda ,
Iàm strepit hostili Graia iuuenta solo .
Dùm tremit Æsonides, & iàm pœnè excidit ausis,
Et piget , & votis irrita vota velit:
Phasias Hæmonio rursùs succenditur igni ,
Rursùs in Hæmonio fletque , gemitque Duce.
Et Pater , & Patriæ iàm dulcis cura recedit ,
Plùs aliquid Patria Thessalus hospes habet .
Virgo amens tantis quò primùm saucia curis
Te rapis ? in profugo non erit hoste fides ?
Ille ratemque , fidemque Notis committet ijsdem ,
Flebitur in tali stulta puella thoro ?
Stat magicis herbis auratam prodere lanam ,
Stat ratis Hæmoniæ dulcia vela sequi .
Ter Iuueni crinem Lethæo sulphure lustrat ,
Ter canit in Martis carmina dira boues.

Haud

Haud mora, cantati mitescunt ignea tauri
Cornua, nec grauis est primus aratra labor.
Armigeris crescunt paulatìm prælia sulcis,
Turbaque cognatam datque, capitque necem.
Dùm sopor est angui, dùm sæuos claudit hiatus,
Abripitur sacris aurea lana tholis.
Hæc mihi populea narrabis Paule sub umbra,
Atque ego suspensis auribus ista bibam.

AD PHOEBVM PRO V. C. NICOLAO HEINSIO CVM BONONIÆ ÆGER DECVMBERET.

ELEGIA II.

SI teneri Vates sub dulci viuimus astro,
Si tua, si Regum Delie cura sumus;
Languenti Hensiadi fer balsama mitis Idumes,
Obuiaque occultis stet Panacea malis.
Delie cui mauis succis felicibus ægro
Prodesse? Hensiades hic tua fama iacet.
Heù iacet exiguo quà Felsina cingitur amne,
Hæc quantum à Batauis dissidet ora suis!
Quàm tamèn à Batauis semota Bononia terris,
Tàm procùl exequijs sit precor ille suis.
Dùm cecinit nupèr Tyberina ad flumina ripæ,
Lau-

Laurifer attenta constitit amnis aqua.
Nec flabant Euri, fauces occluserat Euris
Dulciùs Ismaria barbitos icta cheli.
Et Rhodani latices, Dorisque Britannica Vatem
Gauisa est ripis detinuiße suis.
Arnus & Hensiadi Rouaiaque debeat umbra
Quod pia Letheæ fama superstes aquæ est.
At tu Phœbe veni; macies suprema minatur,
Succubuitque suis spiritus ipse malis.
Hic tibi si superest, stabit tibi Delphica Cyrrha;
Si cadit, occubuit Delphica Cyrrha tibi.
Fors nequè tunc latices Aganippidos Hippocrenes,
Nèc fluet æternis Enthea lympha sonis.
At si vita manet, nèc dulcibus excidet annis,
Tunc vetus Aoniæ fama redibit aquæ.
Fors numeris Grais Graias reuocabit Athenas;
Nèc sinet Eolias interijsse fides.
At certè Vatum monumenta antiqua priorum
Non sinet in mendis delituisse suis.
Peligni cineres, & blandi nominis umbra,
Vmbra Dioneis cincta Cupidinibus.
Si fortè Elysijs procùl hinc audimur in oris,
Hæc prima è terris nuntia verba cape.
Vt procùl à Tybri nil te iàm tale merentem
Misit in Arctoas Cæsaris ira niues.
Vt miser in Scytica iacuisti funus arena,
Non tenuit lacrymas impia Roma suas:
Post magìs Ausonia molles placuere libelli,
Creuit ab exequijs maxima fama tuis.
Post vbì iàm Scyticis rupes Tarpeia flammis
Arsit, & in Roma non magè Roma fuit;
Captiuique Patres, captiuo gurgite Tybris,
Nec vox vna fuit, lingua nec vna fuit;

Sed

Sed sua barbaries Geticis immixta maniplis
Mansit, & Ausonio noluit ore loqui.
Fata quoquè à linguæ traxere volumina fato,
Quæ superant mendis non caruere suis.
Tu tibi surreptus, nèc iàm tua carmina noris,
Hæc propè Letheas si legerentur aquas.
Seù quicquid doluisti olìm, seù quicquid amasti
Vìx dolor esse tuus, vìx amor esse potest.
Hæc cuncta Hensiades tibi demit, te tibi reddit;
Tu sera Elysijs præmia necte iugis.
Hoc satis est blando cineri. Tu Delphice nobis
Hensiadem, Clario Delphice redde choro.
Mòx tibi fumosis pia thura litabimus aris,
Buculaque auratis cornibus icta cadet.

CVM BONONIA ROMAM PROFICISCERETVR.

PERILLVSTRI IVVENI PAVLO IOANNI DE PIERITIIS.

ELEGIA III.

IAm vos exigui felicia littora Rheni,
O' mihi dilectæ iàm valeatis aquæ.
Ad septem geminas proficisci cogimur arces,
Imposita superest hæc mihi meta viæ.

O

O' Superi premimur; sors dulcibus inuidet annis,
Nèc fluitat ventis nostra carina suis.
Me mihi surripuit, nèc me mihi perfida reddit,
Neuè sua tollit, sed premit vsquè rota.
Nunc mihi decedunt sub curis tristibus horæ,
Nèc licet ad castas incubuisse Deas.
At tibi quæ mites nent aurea fila Sorores,
Paule neant longa stamina ducta colo.
Tu securus ebur, Tyrrhenaque carmina tentes,
Nullaque fortunæ fata querare tuæ.
Nos tenues rerum Dominæ succedimus Vrbi,
Quà vetus Anchisæ est, Aßaracique domus.
Quà quondàm Iliacæ Tybrim subiere carinæ,
Cepit & errantes hospita terra Deos.
Hìc tentanda via est, quà me quoq; Martia tellus
Norit, & à numeris æstimet illa meis.
Possum ego Dardaniæ quondàm altera Pergama Troiæ
Aonijs iterùm restituisse modis.
Vera cano; at sacris quæ nunc est Vatibus aura?
Qui Mœcenates dic modò Roma tui?
Non audit Vates Tarpeæ Iupiter arcis
In Capitolino carmen hiare iugo.
Omnia desuescunt. Permessides attamèn vndæ
Dulcia victuræ præmia laudis habent.
Carminibus rapidi sua sistunt flumina cursus,
Carminibus Lybicis excidit ira feris.
Venerunt Tyrij Thebana ad mœnia montes,
Duraque sunt miti marmora ducta sono.
Iuerat Ismarius trans fati littora Vates
Carmine Tanarias sollicitare domos.
Quantùm durus erat Stygium mitescere Regem
Vidit ad arguta Thracia fila lyræ.

Tunc

Tunc quoquè custodis triplices siluere latratus,
Cùm cecinit chari fœdera rupta thori.
Eumenides posuere minas, lacrymasque cadentes
Tùm primùm insuetis obstupuere genis.
Tunc quoq; prima sitis, iàm nō fugientibus vndis,
Hausit damnato flumina capta labro.
Orarat Vates sarciri fœdera lecti,
Ismaris abrupto redditur vmbra thoro.
Hic tamèn, hic Vates flexit qui tantus Auernum;
Hic canat, hic surdis irrita verba canet.
Castalides Latium profuga liquere puellæ;
Spes quoquè lusa suas est comitata Deas.
Ergò Pegaseo mulcebimus auia cantu,
Quà sola argutis limpha susurrat aquis.
Ausoniÿ saltus, Faunisque habitata Latinis
Deuia, vos sacris Dÿque, Deaque iugis.
Vos Nymphæ saluete omnes, vos Naiades omnes,
Et qui laurigero defluis amne Tybri.
Tandèm Saturni felicia venimus arua,
Venimus OEnotriÿ rura vetusta soli.
Quis scit an hæc primo proscissa est vomere tellus?
Arcades à pulso rastra tulere Deo.
Hàc pecudes Tatiÿ syluis iuere Sabinis,
Nàm vetus hæc Tatiÿ nomina quercus habet.
His Lupa Gradiui ripis fatalibus olìm
Eripuit tumida pignora Martis aqua.
Non ego Tarpea curem capitolia rupe.
Nil desit soli, viuere solus amo.

CLARISSIMO IVVENI IO: BAPTISTÆ SAMINIATI PATRICIO LVCENSI.

MYCON.

ELEGIA IV.

DVm tibi populea cessatur in Æsaris umbra,
Et vitrea lentus defluit amnis aqua:
Nèc Saminate tibi Themidis nunc cura docendæ,
Neuè onus incubuit iura Quirina loqui.
Seù fortè Eridani Corradum ad flumina ducis,
Carminaque augusto murice digna canis;
Carmina, quæ veniens olìm mirabitur ætas,
Et, quæ nunc superest, Delia turba colit.
Hæc audi quoquè Tyrrheni lamenta Myconis;
Audijt hæc ripis lympha Metaura suis.
Vade per abruptas sic impia Lydia rupes,
Sìc pete lasciuo deuia tesqua pede.
Nèc subeant priscis totiès plorata puellis
Deuia, & vmbrosis gaudia fleta iugis?
Si nil pacta fides, nèc amati cura Myconis,
Si nequè te lacrymæ duræ puellæ mouent.
Ah saltèm genitrix tecum Telaira vagetur,
Sìc minor est misero nunc mihi pœna mori.
Neù sola in syluis, aùt in conuallibus imis,
Neù sola abruptis destituare iugis.
Nàm mihi conualles, & syluæ mille timores,
Ipsaque tàm multos dant iuga celsa metus.
Lasciuos habitare ferunt nemora auia Faunos,
Semiuirosque capros, semicaprosque viros.

Hi

Hi ſemper valles & inhoſpita luſtra frequentant;
Cunctaque de celſis montibus vſquè vident.
Tùm procùl incautam ſi quam aſpexere puellam
Protinùs ad prædam turba proterua ruunt.
Confuſiſq; omnes trepidantem amplexibus vrgent,
Et figunt roſeis labra ferina genis.
Quin ipſe, vt fama eſt, deſerto Iupiter Axe
Pulchrarum medijs raptor oberrat agris.
Sæpè ille in tauro, falſoque ſub alite tectus
Compulit errantes ac ſua furta Deas.
Sidonis infelix ad Gnoſſia littora venit,
Dùm ſedet in falſo ſtulta puella Boue!
Quis non Inachiæ defleuit fata puellæ
Cùm ſtetit Hæmonio torua iuuenca ſolo?
Pulchra ſubeſt vallis, quam latè myrthea ſylua,
Quam pater affuſis Inachus ambit aquis.
Hanc Io, formoſa Io perarare ſolebat,
Hùc Io incautos ferre, referre pedes;
Nunc ſaltus, mediamq; plagis diſcludere vallẽ,
Nunc læta vmbroſum gaudet obire nemus.
Nunc alto clamore feras excire latebris,
Promptaque formoſa tela tenere manu.
At ſtudio infelix curſuque, æſtuque grauata
Dùm riguas gelidi patris anhelat aquas;
Dùmque oculos, teneroſq; pedes ad flumina vertit
Vicina exiluit Iupiter è latebra.
Illa Patrẽ, Nymphaſq; Patris, Glaucaſq; ſorores,
Et propiùs magnam vociferatur opem.
Vota, preceſque Noti rapiunt diffuſa per auras,
Ceſſit amatori præda relicta Ioui.
Quid memorem errantem Siculis Deloida pratis?
Hanc niger Infernis raptor abegit equis.
Ad alias cùm forte roſas, violaſque recentes

Sedula virgineis carperet in calathis,
Tanaria sonuere rotæ, pulsique iugales,
Quassaque rapturo fumida lora Deo.
Vt vidit furuasque rotas, furuumq; Tyrannum,
Obriguit gelido diua puella metu.
Et calathi, floresque sinu cecidere remisso,
Totaque perculsa mens quoquè rapta Dea.
Tèr matrem infelix, matrem clamare parabat,
Tèr stetit in primis lingua retenta sonis.
Tèrque fugam conata sequi, tèr inutulis hæsit,
Torpuerat nimio vincta timore pedes.
Illam omnes artus, formosaq; membra trementẽ
Vexit ad Infernas sæuus amator aquas.
Illìc æternis horrentia regna tenebris,
Et timuit triplici fauce latrare canem.
Ignivomosque lacus, exustaque littora flammis,
Et gemere in sæuis funera vidit aquis.
Ah tua tàm seris metire pericula damnis
Lydia, & inspecto disce cauere malo.
Nèc tibi sit tanti nemorales ire per vmbras,
Vt pereas lacrymis flenda puella meis.
Quìn potiùs, mea vita, nemus, syluasque perosa
In tibi dilectos cauta recurre sinus.
Et mecum exiguo secura morabere tecto,
Somniaque in blando grata sequere thoro.

TILMANNO TRVTVVYN BELGÆ RVREMONDANO SYCAMBRO MAGNI DVCIS HETRVRIÆ ANATOMICO CLARISSIMO.

LYCIDAS.

ELEGIA V.

SI te Thusca sibi non totum vindicat Aula,
Iàm nequè venandi Delia cura vocat;
Aùt nunc Naturæ secreta in semina tendis,
Et prodis Graios quæ latuere Senes;
Aùt alias venas alijs ambagibus ire,
Aùt malè nunc iecori munia prisca dari.
Hac mecum herbosa Tilmanne quiesce sub vmbrà
Dùm sua sic Lycidas tristia fata gemit.
Vos patrij saltus, & Mœnala rura valete,
Et totiès numeris persona sylua meis.
Et platani dulces, & fronde dolente cupressi,
Si quid id est, laurus tu quoquè nostra vale.
Ah placidum pecus, ah placidi pecorisq; magistri
Non mea vos posthàc blanda cicuta canet.
Iàm nèc ego increpitans post plaustra gementia curram,
Nèc stimulo lentos increpitabo boues.
Sìc Lycidam mala fata premũt, vos flete vicissim,
Vestraque sit lacrymis lacryma iuncta meis.
Nunc alius dicat vitulasque, bouesque nouellas,
Et celebret cannis rustica rastra suis.

N Et

Et modò pendentes exesa rupe capellas ;
Et modò sub viridi ludere valle pecus .
Plenaque Mænalio cantet multralia lacte ,
Dùm tumidæ redeunt vbera lactis oues .
Hæc Lycidæ placuere olìm ; nunc dirus Amyntas
Abstulit à Lycida gaudia cuncta suo.
Dirus Amyntas, crudelis me perdit Amyntas;
Me ferus à tenera propulit ille domo.
Quò mea nunc formosa procùl, quo Lydia colle est?
Heù iacet indigno vincta puella situ .
At misero Lycidæ nèc molle accedere limen,
Nèc licet ad blandas procubuisse fores.
Non posti præbere meis ablata capillis
Seta , nèc in tenero limine dulce queri .
Iàm neque nocturno perfusum rore capillos
Optato admittet victa puella lare .
Oh vtinā Lachesis si nondùm impleuimus æuum ,
Præcipitet vita catera fila mea .
Sim licèt vmbra nigra nimìs immatura carinæ
Vecter ab Inferna sic tamèn vmbra rate.
Hìc teneri rumpunt Lycidæ præcordia luctus,
Hìc anima Lycidas emoriente perit.
It sinè se Lycidas anima iàm cassus amante ,
Quò sinè te Lycida , quò sinè mente ruis?
Has nunc per valles it tecum triste cadauer;
Da Lycida gelida triste cadauer humo ;
Te tibi surripuit , te tristi carcere secum
Nunc habet in tenero Lydia vincta sinu .
Sed Lycidæ Lycidam iàm reddere vincta puella,
Heì mihi si cupiat vincta puella nequit .
Hac saltèm abiectus possem moriturus arena
Lydia languenti te tenuisse manu.
Ah saltìm binas mea mollia sydera luces

Aspi-

Aspicerem nigro dùm venit hora pede.
Tunc mea Tauariæ per opaca silentia noctis
Iret ad Elysias lætior umbra domos.

ILLVSTRISS. ET CLARISS. VIRO
FRANCISCO MARIÆ CEFFINI
EQVITI D. STEPHANI,
XII. Viro Cõsilij, & Ord. I.C. Profess. Pisis, &c
Insania Amoris in Hercule libata.

ELEGIA VI.

CEffini, Aonides cui toto à vertice Pindi
Decurrunt faciles in tua vota Deæ;
Cui Themis, & placidis nunc reddita Filia terris
Cum Thusco applausu dant sua iura loqui,
Dùm pluit, & toto nigrescunt nubila Cœlo,
Nèc Zephyri passim, nèc posuere Noti,
Et mœsti facies Cœli, mœsta vndiquè tellus
Horruit, & sæuis fulgurat aura minis,
Dùm tibi odoratà Vulcanum accendere pinu
Cura est; hæc etiàm molli a fata lege.
Sìc miser Alcide formoso saucius igni
Se minor & sese verba minora canit.
Da mea nunc Iole lanas, da voluere fusum,
Da Vita? Alciden nere docebit Amor.
Da quicquid mea Vita sinu pulcherrima torques,
Da mea lux Iole, nere Cupido docet.

Sta propè nunc opus, & scutica imperiosa mineris,
Hac sonet, in torto stamine siquid abest?
Iàm satìs est Iole, scutica nè sæuiat ira
Amplius à scutica lumina læsa dolent.
Nè gemina, miti torquebimus omnia fuso;
Nè gemina, tenui stamina nebo manu.
Me genua amplecti, me flentem respice, flentem
Respice; sat fusos, crassaque fila luo.
Lerna tua est Iole, syluaque Erimantidos horro
Est aper, est Stygio quicquid ab amne tuli.
Nubigenæ Centauri & sit Busyridis ara,
Anthæusque, Iole, præda superba tibi.
Hæc quoquè Menaliæ tua sint immania Clauæ
Robora, sit quidcumque Herculis antè fuit.
O' sola Herculeæ domitrix formosa iuuentæ,
Sis sola Alcidæ prona puella tuo.

ILLVSTRISSIMO IVVENI

TYBERIO GVALANDI,

HYMENEI, CVPIDINISQVE COLLOQVIA, IN SVIS

CVM ILLVSTRISSIMA

IVDITTA BONANNI NVPTIIS.

ELEGIA VII.

DVm tibi felici consurgit Lucifer igni,
Primaq; nunc Thalamis nox genialis adest,

Hac

Hæc audi, Tyberi quæ dulci voce Cupido
Reddidit, & dulci voce rogauit Hymen.
Deficio curis vbì nunc formose Cupido
Idalis? & Paphij turba minuta Dei?
Hac ego sub platano dùm mollia membra sopore
Compono, dùm oculis repit amica quies.
Astitit Alphæa velatus arundine crinem
Arnus, & in manibus myrthea virga fuit.
Pecte comas Hymenæe, & lutea flamea sume,
Pecte, inquit, Thalami, tædaq; magna vocant.
Nunc memini: paribus succendi pectora flammis,
Igne suo Iuuenis, tacta puella suo est.
Hìc propè sunt pueri, sub myrthi luditur vmbra;
Certatìmque acuit mutua lucta Deos.
A' ramis pictique arcus, pictaque pharetræ
Dependent, onus hoc Mænala pinus habet.
Idalia iuxtà volucres per gramina tendunt
Pascentes; Charites aurea mala legunt.
At Matri Oceanumq; Patrem, Thetimq; nurusq;
Natasque Oceani visere cura fuit.
Armigeri infantes stirps imperiosa Deorum,
Dic cedant castris, blande Cupido, suis.
Dic veniant, dic me teneri comitentur Amores,
Dic sit coniugibus lucta paranda nouis.
Dic, placidæ Charites, dic tota excedite Cypro
Idalij risus, Idalijque ioci.
Dic, propera arcanis vis ignea mixta medullis,
Et quicquid castè ludere suasit Amor.
Sit Venus in salsis penetralibus hospita Nerei;
Est alia Alphæo littore nata Venus.
Nata Venus Iuditta nouo succensa decore
Vèl quià pulchra magis, vèl quia casta magis.

V·N·FRANCISCVS CAPPONI CATHEDRALIS FLORENTINÆ PRÆPOSITVS,

Qui cùm venatu rediret, in falculam agrestē putatoriam incidit, à qua humi delitescente, & iam herbis vestita, inopino casu impressi vestigij grauitèr sauciatur.

ELEGIA VIII.

QVi te cùmq; chalybs sinuauit acumine sæuo,
Et prima infelix protulit arte faber;
Hunc sparsisse puto materna cæde penates,
Et iugulum natis præsecuisse suis.
Seù quicquid Pelopea domus, sontesq; Mycenæ
Patrauere, ipso Sole dolente, nefas.
Hìc Graios ausus, hìc omnia crimina vicit,
Vt noua nunc lethi staret aperta via.
Sub viridi funesta acies tellure latebat,
Vt premerer fatis, dùm mea fata premo.
Quàm propè Tænariæ nos horrida vela carinæ
Vidimus, & furuas, squallida regna, domos.
Seruastis Superi insontem; non cuspis adunca
Fata dedit, quamuìs vulnera sæua dedit.
Vulnera quæ mæsto me nunc fixere cubili,
Et cogunt placitis abstinuisse feris.
Ite modò, vmbrosis intendite retia syluis,
Et sua cursuro soluite vincla cani.
Vosque alij valido venabula tollite nisu,
Vt cadat Hetrusco vulnere læsus aper.

Et

Nauifrago solùm pallescit nauita ponto;
Quæ metuit solùm prælia miles habet.
Solaque priuigni metuunt aconita nouercæ,
Et solùm Parcas hostis ab hoste timet,
His etiàm lætis Libitina in saltibus errat,
Tectaque sub viridi cespite fata latent.

NOBILISSIMO IUVENI

MATTHIÆ MARIÆ BARTOLOMEI PATRICIO FLORENTINO.

ELEGIA IX.

BLande Puer, dulces in quo superesse Parentes,
Seque, suosque oculos, oraque mixta vident.
Dùm tibi lanugo, nullìsque obnoxia curis
Arrepit tacito pulchra iuuenta pede:
Visque animi matura, Patrique simillima virtus
Crescit, & ingenio cuncta minora vides.
Aonias syluas, viridemque Helicona frequenta,
Hùc Pater, hùc Pæan, & tua fama vocat.
Illìc Mnemosynes thalami, Cliusque, Thaliaque
Antra sub Argiuis myrthea fornicibus.
Pegasus est illìc, qui Bellerophonta per auras
Vexit, & excelsæ fonte susurrat aquæ.
Hìc Lycij cernes aurata palatia Phœbi,
Quæque decent sanctas aurea templa Deas.
Hinc tibi Pieriæ quercus, hinc Delphica laurus,
Myrtusque est oculis sæpè videnda tuis.

Nunquàm nymbosi mirabere culmina Pindi,
Vt leuis in summis sibilet aura iugis.
His Danai Vates didicerunt omnia syluis,
Hìc sua musæ, Mæonidique domus.
Threicius Vates cecinit pæana Deorum,
Ascræus cecinit pascua prima senex.
Pyndarus hìc alto deduxit olympica cantu,
Dignaque Dictæo musa loquuta Ioue est.
Æoliásque fides hìc vinxit Lesbia Sappho,
Lesbia Thebanæ prima puella lyræ.
Has sedes piæ fama tenet, tenet hospita Virtus,
Quæ vetuit terris nomina magna mori.
It Diua in lucos natiuo splendida cultu,
It Diua in proprijs aspicienda bonis.
Blande Puer cessas penetralia casta subire?
Ne cessa, Aonides sub sua rura vocant.
At via nulla patet? magni vestigia Patris
Carpe, tibi Claria sylua patebit aqua.
Te memor Hetruscis quoq; fama Nepotibus addet
Si tua Romanum gloria curret iter.

MARTINO VRSINI FILATERIENSI POETÆ, ET MATHEMATICO INSIGNI.

ELEGIA X.

HIc sacer Alphæa seclusus limite syluæ
Collis adest, collis sydera tota capit.
Nunc vacat Vrsini, da Vati hìc omnia Vates,
Me

Me quoquè metiri ſydera iuſſit amor.
Daque tubas omnes, aùt ipſe hìc dirige Cœlo
Quā placidè in geminis lux tremit alma polis?
Hìc tibi vicino mutata Lycaonis Axi,
Vt riget in triſti Mænalis Vrſa gelu?
Vt trepido inceſſu deducunt plauſtra iuuenci?
Vix curuant pigri lucida colla boues.
Iupiter vt placidè, Medicèaque ſydera lucent?
Cum Ioue maieſtas imperioſa micat.
Idalium ſydus formoſis ignibus ardet,
Et trahit Idalio mollia ſigna choro.
Hìc quoquè cœleſti ſudatum Atlanta labore
Se geminis vaſtum ſuppoſuiſſe polis.
Aſpicieſque rapi ſacra vertigine cœlos,
Labique occiduo ſydera vaſta mari.
Pone tubas, pluuia ſubducunt ſydera nubes:
Quàm vigor in ſacris ignibus ille micat!
Vt Deus hæc mirè diuiſit ſemina rerum,
Iuſſit & alterna ſurgere cuncta vice!
Vt pelagi globus eſt, vt tellùs nubila circùm
Penſilis, & nulla mole fatiſcit humus!
Vidi ego Cymmerijs exciſa in rupibus antra,
Quà Deus Hyppotades ſceptra ſuperba quatit.
Heù quali fremitu, quali cum murmure montis
Luctantur Lybici ſoluere vincla Noti!
Hinc Euri pennas tèr nodus aheneus ambit,
At Deus in pennas, & ſua vincla furit.
Omnia luctiſonis Aquilo mugitibus implet,
Et piget Arctoa tàm procùl eſſe domo.
Africus obluctans in tecta immania ſæuit,
Nèc vult iuſſa ſequi, nèc ſua fræna pati.
Æolus hos dictis mulcet, lenitque furentes;
Mitigat & molli pectora dura prece,

Nì faciat, rigidis nì centum obducta catenis
Ostia, nì solidæ stent adamante fores.
Effusi vertant imis à sedibus Orbem,
Omnia in antiquum corruerintque chaos.
Turbinibus mixtis secum pelagusque, polumque,
Secum præcipites sydera lapsa ferant.
Nox prouecta ruit; cras æquora subdita ventis,
Et procùl Eoæ saxa loquemur aquæ.

IN EXCELLENTISSIMI DOMINI

FRIGIDIANI ELICI

DE TUENDA VALETUDINE OPUS,

Hygeia cum filia Salute loquitur.

ELEGIA XI.

O' Formosa Salus, primæuo filia mundo,
Edita cùm nedùm trux Lybitina fuit.
Nedùm ægra affectis fluxit mortalibus ætas,
Nedùm funestis nomina posta malis.
Tunc licuit placidis ætatem absumere curis,
Nullaque Tænaria damna timere ratis.
Ast arbos nocuit fatalibus aurea ramis,
Et carpenda suis aurea mala malis.
Heù labes primæua homini, demensque Cupido,
Quæ nunc posteritas est quoque iussa mori!

Tunc

Tunc primùm macies funesto pallida vultu,
Tunc venit tremulo prima senecta pede.
Et mille ignoti, pallentia monstra, dolores,
Et passim ignotis languida membra malis.
Et passim vigiles subiere cubilia luctus,
Et sopor à dulci iussus abire thoro est.
Tunc Sicana Ceres, tunc mitis dona Lyei,
Tunc quoquè languenti displicuere dapes.
Post Eoa Venus, post vis ignota malorum
Ingruit, & fatis est via facta nouis.
Dùm semèl immitis consumit viscera labes,
Et lenta repunt lenta venena lue.
Non virides anni crudele extinguere tabum,
Non solida vires, non Panacea potest.
Ipsis namquè lues sedet hospita dira medullis,
Nèc, nisi composuit triste cadauer, abit.
Præterea luxus, fastusque insana cupido
Edocuit Coa pandere veste sinus.
Et diti, & tenui circumdare corpus amictu,
Et nulla ardentis damna timere poli.
Seù canis Icaria, aut Nemeæi syderis æstus
Desæuit, nimia terraque tacta face est.
Seù gelidæ currunt æstiuo frigore noctes,
Tùm iuuat in nudo decubuisse thoro.
Hinc minui vitas, augeri mœsta sepulchra
Vidimus, & certo fata venire pede.
Quæ non Ausonia iuuenilia funera matres
Luxistis? qua non dicta querela rogo est?
Cum charos cineres, & seris debita Parcis
Ossa immatura contumulastis humo?
O Dea, nunc meliùs, nunc sæcula prisca redibunt,
Si volet Elicio credere terra parens
Si volet hæc ætas damnosos temnere luxus

Et volet Elicij iussa diserta sequi.
Tunc omnem Italiam longaua munere vitæ
Donari aspicies, nèc nisi serò mori.
Arsque sua Elicio producet fata senectæ,
Post memor æternum viuere fama dabit.

Excellentissimo Domino

LAVRENTIO NERI EMPORIENSI

DVM SERENISSIMO COSMO MAGNO PRINCIPI HETRVRIÆ

Sua Anagrammata obtulit.

ELEGIA XII.

Laurenti Aonides præcingite tempora lauro,
Laurea sunt tali debita dona Viro.
Phocidis hic latebras omnes, omnesque recessus,
Et facili pressit limina vestra pede.
Quàque alij Vates vestigia nulla tulere,
Hac ille incæpit nobilis ire via.
Cosme faue, tibi surgit opus, tua celsa iuuenta
Hìc leget in miris non nisi mira modis.
Nil tale in varijs tellus Nilotica signis,
Aùt olìm pictis dixit in alitibus.
Dat tibi, dat titulis hic omina candida Laurens

Di-

Deducta à versis omina litterulis ?
In te tota salus, spes & Tyrrhena recumbit,
O' Amor, ò Patriæ viuida cura tua.
Te manet Ismarijs malè nunc regnata Tyrannis
Cyprus Acidaliæ cura vetusta Deæ.
Te Rhodus, & prisci moles deiecta colossi,
Et quà Treicijs murmurat vnda vadis.
Ite Equites, pelago Tyrrhenas ducite puppes;
Nunc nouus insigni sydere Castor adest.
Hoc duce vos Asiæ fines, vos barbara regna,
Et malè possessas diripietis opes.
Hoc Duce sãcta Fides lõgè vltrà Memnonis arua,
Vltràquè Eoæ limina tendet aquæ.
Laurenti Aonides præcingite tempora lauro,
Laurea sunt tali debita dona Viro.

DIVI AVGVSTINI IN SOLITVDINE QVERELA, MOX ILLIVS CONVERSIO AD VOCEM DIVINITVS SONANTEM, TOLLE, & LEGE.

ELEGIA XIII.

HIc soli fontes, & opaca silentia syluæ,
Hic soli fas est in mea fata queri.
Huc nè parens Lybicis potuit venisse carinis?
Sic anus Ionia saxa cucurrit aqua?

Quæ

Quæ fuga nūc supereſt, quo nō longæua ſequatur?
Venit ad Auſonium, noſque ſequuta, Tybrim.
Nèc ſinit ætatem dulci conſumere luxu;
Eſt tamèn in luxu læta volupta mori.
Vſquè minas Superùm, pęnaſque intentat Auerni,
Et mea ſub Stygia facta luenda domo.
In me nunc lacrymas, in me ſuſpiria fundit,
Nèc ſinit hoc vitæ ver geniale ſequi.
Heù qualis Genitrix venienti in luminis auras
Obtigit! hæc madidis me necat vſquè genis.
Heì mihi, quæ miſeras vox flebilis attigit aures?
Altior humano vox fuit iſta ſono.
Concidimus; magni nutu venit illa, Tonantis,
Et canit in vitæ crimina multa meæ.
Hanc ego nunc capio? nolìmque, velimq; quid illa,
Quid feret Æetherea ſcripta tabella manu?
Ipſe legam Stygiæ, que me funeſta paludi,
Quæ me Tænariis littera damnet aquis?
Quid miſer hic facies? vox imperioſa minatur.
Atnè leges pœnis facta luenda tuis?
Sic quoquè dùm ſcopulis illiſa carina fatiſcit,
Pallidus in lacera nauita puppe ſedet.
Se nequè iàm puppi, nèc fidit fluctibus amens;
At manet, in fatis fletque, pauetque ſuis.
Sic ego, ſic cunctis mens eſt exterrita curis,
Tàm procùl à miti mens malè iuncta Deo.
Crudeles ſocij non hùc redeatis Amico,
Non hùc flagitijs conſcia turba meis?
Ah oculis ſerò lux Æthere fulſit ab alto.
Quantùm Tænariæ pectora noctis habent?
Frangor vt inſanis mea vita obnoxia factis,
Vt ſubit in culpis trita iuuenta ſuis.
Scilicèt æterni capere obliuia Cæli,

Et

Et potui Authoris non meminisse mei.
Ah potiùs Lachesis iuuenilis stamina vitæ
Debuit in prima præsecuisse colo.
Tunc minùs ad sontes sceleratus tendere Manes,
Et potui pęna stare minore reus.
Nunc miser iratus si quandò fulminat Æther,
Suspicor in nostrum fulmina missa caput.
Pendula si video prærupto marmora monte,
Auguror esse meis pendula saxa malis.
Forsitàn hæc arbos auditis conscia culpis
In me præcipiti vertice tota ruet.
Heì mihi, seù pontus, seù nubila, terra videntur,
Dira mihi terræ, dira loquuntur aquæ.
Astra modò restant, timeo tamèn astra, reorque
Non nisi criminibus dura futura meis.
Sed tu mitis ades seruati Victima mundi;
Sis mea, si satìs est pœnituiße, salus.
Tu dabis in sancto deleri crimina luctu,
Deleri in lacrymis impia facta meis.

CIVITAS PISANA
S. ANTONIO PATAVINO.

ELEGIA XIIII.

Diue veni, tibi mansuras hìc ponimus aras,
Quà vetus Alphęa defluit Arnus aqua.
Omnes serta tibi, Tyrrhenaque lilia carpunt,
Omnes

Omnes dant sacris annua thura tuis.
Pars tibi votiuis suspendit dona tabellis;
Stat memor æternis gratia picta notis.
Hinc pelagus victum est, hinc sæua incēdia victa,
Non perit hic igni, non perit ille mari.
Mors in morte perit, dulcisque ad limina vitæ
Stat reditus; Manes non tegit vrna suos.
Ah Pater Æthereis pars pridèm maxima Diuis
Addita, Cælesti fac potiamur ope.
Omnia namquè potes, nèc te Deus vlla rogantem
Linquet inaudita fundere voce preces.

CLARISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO VIRO

FRANCISCO MARIAE FLORENTINI

NOBILI LUCENSI,
ET
MEDICO PRÆSTANTISSIMO.

LVCA LOQVITVR.

ELEGIA XV.

ARgolicæ quanti fecere Machaona puppes,
Dùm Phrigio starent Dorica castra metu.
Græciaque Asclepium dùm fata retexuit Orci
Virbius, & Stygia stagna renauit aqua.

Te

Te Luca hìc tanti, te tota Hetruria tanti,
Omnis & Ausonij te facit ora soli.
Nàm quicquid sacris olìm calauit in herbis
Aùt Hygeia suis, aùt Panacea suis,
Quidquid & Hæmonio Chiron dictauit Achilli,
Dictauit Coo picta tabella seni,
Hæc soli Natura tibi dedit omnia, vt in te
Sàt sæcura sui, stet mea tota salus.
Hìc nequè meta tui. Mixto comitantur honore
Te veteres Danaùm, Romulidumque Deæ.
Cùmque tua in rebus Virtus spectata gerendis
Ardua, & hunc Orbem mens spatiosa capit,
Magnaque nobilium vestigia vincis Auorum,
Et nisi non magno est sanguine ducta Domus.
Te rursùm addidimus nobis, sanctoque Senatu;
Sìc tu, sic Ataui promeruere tui.

V.C. ALEXANDRO SVVEVERIO ECCL. S.PETRI LOVANII CANONICO

Cùm Roma ad Grudios Louanienses rediret.

ELEGIA XVI.

TArpeam rupẽ, Tyberinaq; flumina linquis?
Et sinè me Grudias pergis, Amice, domos?
Flent septem Colles, te discedente, Quiritum,
Flet quæcumque tibi turba sodalis erat.
At tu Picenis seù montibus ire parasti,
Seù cupis Hadriaco credere vela mari;
Seù

Seù magè Tyrrhenis descendere collibus optas,
Sint Comites Nymphæ, sint comitesque Deæ;
Quæ tibi Cyrrhæa pandunt umbracula syluæ,
Et pandunt Graij Bellerophontis aquas.
Dùmque adeò in patria sospes tellure videbis
Omnia, & incolumẽ te superesse tuis;
Atquè omnes superesse tibi quà Senna perennis,
Quà fluit & Grudia Dilia priscus aqua.
Non graue sit positæ læta ad conuiuia cenæ
Seu meminisse Vrbis, seù meminisse mei.

ERVDITISSIMIS IVVENIBVS

LAVRENTIO ADRIANI

Campo Maiore humanitatem profitenti,

ET

DOMINICO ANDREONIO.

ELEGIA XVII.

SIc fuit. Obscuri cinxerunt Æthera nimbi,
Et gelida præceps decidit imber aqua;
Multaque nix gelidis sparsit candoribus alpes,
Et vi a quadrupedi vix adeunda fuit.
An querar hybernis elementa horrescere ventis?
An mea vobiscum tristia fata querar?
Non nocet Alphæi grauis inclementa Cœli;
Nàm grauis æstiuo non fuit auraTybri.

Nèc

Nèc trepidi rerum ſuneſta offendimur aura.
Dùm metus eſt ipſos non timuiſſe metus.
Sed medijs annis, media florente iuuenta
Decidimus, nobis nèc ſtat amica ſalus.
Vis animi languet, nèc vt olìm accendimur æſtu
Pierio, tacta eſt mens animoſa gelu.
Sàt neque conſtanti trahimus veſtigia paſſu;
Lenta ſaliua necat, tuſſis anhela necat.
Paſſim Phyllirides, paſſimque Machaones hærent,
Nèc prodeſt noſtris certa medela malis.
Nos tamèn Æthereo committimus omnia nutu,
Ibimus intrepidi dùm venit atra dies.
Dùm mihi ſint puri lethali à crimine Manes,
Nil hodie Manes depoſuiſſe morer.
At vos vnanimes conſcendite mœnia Cyrrhæ,
A Claria vnanimes ducite nomen aqua.

DE NATALIBVS DOMINI

AD GRÆCOS GENTILES.

ELEGIA XVII.

INcipite Argolici delubra immania templis
Vrere, sàt luſit fabula Graia Deos.
Sub Stygias ſedes, hos ad ſua pellite regna,
Quà furit horrendæ nauita triſtis aquæ.
Nulla Ioui Argiuo nunc ardeat ara Tonanti,
Hæc diù maieſtas Æthere pulſa fuit.
Non hìc Cæleſti iaculatur fulmine terras;

Maiori

Maiori paret fulminis ira Deo.
Sicnè illi in placidi destructus cornua tauri
Intèr Agenoreas sustinet ire Boues?
Sidonis, & falso nimiùm blandita Iuuenco
Constitit Idæis capta puella iugis?
Sic quoquè Tyndarida inuasit, vetitosq. hymenæos
Vicit olorina tectus adulter aue?
Profuit Acrysij sic nil custodia natæ?
Aurato Danae de Ioue crimen habet?
Venère infames humana in crimina Diui,
Vt doceat vanos fabula ficta Deos.
Æquora Neptuno, regnataque Tænara Diti
Dant Aganippeis carmina sola modis.
Dant celeres superare Notos, dùm nubila pennis
Traijcit Atlantis, Pleionesque nepos;
Non illi cuspis, qua lumina morte resignat,
Non qua Lætheis funera cogit aquis.
Mænades inclament Pater Euan, Euoe clament
Mopsopiæ matres, Mopsopiæque nurus.
Nec pæana audit, nec cymbala pulsa Lyeus,
Clausa sub æterna lumina nocte iacent.
Est nunquàm Æthereæ delapsus Mulciber arce,
Nèc lipare claudi scit meminisse Dei.
Nèc latus Odrysio Mauors accingitur ense;
Nec visa est Danais vlla Diana feris.
Casside nec crines velat Tritonia Virgo,
Hæc nequè Cecropias Diua tuetur opes.
Flumineam vidit nunquàm Peneida Phœbus,
Nec latuit lauri versa puella comis.
Nèc Venus Idalia Assyrio languescit Adone
Cùm cecidit falsi vulnere læsus apri.
Nunc sancta asserimus; Danai resipiscite Ciues,
Vos dira Argolicis vrite signa focis.

Nunc

Nunc Diuinus Amor Cælesti venit Olimpo,
Nostraque nunc summus vestijt ora Deus.
Qui licèt hic miseris vagitibus imbuit auras,
Et tegit in lacrymis Numina magna suis;
Hunc magni vidit fundantem mœnia mundi
Natura, & miris fingere cuncta modis.
Hinc stabiles firmare polos, hinc mobile Cælum,
Astraque festiuis nectere fulua choris.
Hinc Cælo terras, terrisque abscindere pontum,
Nubilaque Æthereo supposuisse foco.
Indè premi valles, atquè altos surgere montes,
Indè tot herbosis pabula nata iugis.
Nunc sancta afferimus; Danai resipiscite Ciues,
Nunc satìs est vni sat placuisse Deo.

Clarissimo, ac Excellentissimo Viro

ALEXANDRO MARCHETTI

Philosopho, & Mathematico Præstantiss.
IN ACADEMIA PISANA
Ord. Philos. Professori.

ELEGIA XIX.

QVæ nouitas radij noua nunc discludit Olimpi
Atria? num Cœlo sydera plura micant?
Nèc nebulis latuere suisquæ prisca latebant
Sydera? sic flammis emicuere nouis?
Sìc quoquè Saturnum Zona ingens lucida sepit?
Itque Senem circà stella minuta comes?

Aureus

Aureus inuehitur maculato sydere Titan?
Idaliaque triplex forma videnda Deæ est?
Cynthiaque in montes, & saltus aspera tendit?
Nùm vetus in syluas nunc quoq; cura trahit?
Magnanimoque Ioui comites, sociique micantes
Sunt Medicèa sacris sydera iuncta viis?
Quàm tua Tyrrheno figis vestigia Vati
Proxima! sic alti discute signa poli.
Æthereamque domum, & magni penetralia Cœli
Inuade; hìc votis stat via facta tuis.
Stat fama, & veniens supèr ardua sydera Virtus
Te vehet, incepta si iuuat ire via.

ERYCII PVTEANI

PHILIPPI IV.

HISPANIARVM REGIS

Historiographi Manes ad Academicos Louanienses.

ELEGIA XX.

NEc Cineri lacrymas, nec tristi ferte sepulchro;
Tænarias pandit lacryma nulla fores.
Stant leges fati; non est remeabilis vnda,
Cùm semèl à tristi funera vecta rate.
Quamquàm crudeles Parcas, crudeliaque astra,
Crudelesque vocet præfica rauca Deos.

Om-

Omniaque aspergat lacrymis, vlulatibus omnia
Misceat, immota stabit Auernus aqua.
Hinc iacet insomnis noctesque, diesque latrator,
Et semper vigiles excubat antè fores.
Hinc diros latices fatalis nauita ripæ
Seruat, & horrenda iura tuetur aquæ.
Ille manu celer, & conto metuendus aheno
Hoc Chaos aßuetis territat omne minis.
Includuntque vmbras æterno excisa metallo
Mænia non vlli dissoluenda Deo.
Labimur hùc omnes; hæc meta nouissima rerum;
Prætereunt nullum barbara fata Virum.
Hùc toti regnata Asiæ domus inclyta Troùm
Assaracusque senex, Dardaniusque senex.
Hùc pius Æneas fatalia regna sequutus;
Hùc Dìs dilecti decidit vmbra Numæ.
Ipse Pelops, Pelopisque Pater conuiua Deorum,
Hos quoquè Tænaria nunc habet Orcus aqua.
Æolios Vates potuit Rhodopeius Euros,
Fluminaque Ismarijs detinuisse modis.
Hunc olìm Euridices crudelia fata gementem
Ismaris est mœstis sylua sequuta comis.
Tùm primùm placidæ tygres, placidique leones
Hæmonio visi procubuiße iugo.
Ah miser! abrupti dùm luget fœdera lecti,
Dùm solam Euridicen flebile reddit ebur.
Cantantem viridi discerpunt Mænades Hæmo
Sparsaque Bistonijs ossa dedere lupis.
Nèc genitor Phœbus sæuas auertere matres,
Nèc potuit sæuas Calliopea nurus.
Sìc Thetis in rapto suspiria duxit Achille
Non audituros vociferata Deos.
Nequicquã Manes, Erebiq; precata Tyrannũ est;
Oratum

Oratum Æacidem Tartara surda negant.
At vos prisca olim, vos prisca exempla valete,
Iàm quoquè crudeles mors habet atra manus.
Qua nupèr tellus? quæ non vasti æquora ponti
Videre inuictas Cæsaris ire rates?
Huic primùm Ganges captiuo paruit auro,
Victaque Memnonias India misit opes.
Primus, & Ætaas, tràns vltima signa, columnas
Credidit intactæ Belgica vela mari.
Proh scelus! immites proculcant omnia Parcæ,
Funera de tali sunt quoquè ducta Viro.
Nil spretus murex, nil gloria profuit illi,
Nil prior exequijs vita sepulta suis.
Nil pietas augusta viri, desertaque regna;
Scilicèt & Virtus scit quoquè tanta mori?
Quìd loquar insontem nunc dira Britannia Regē?
Hìc tanta auulsum nunc gemit vmbra caput.
Hìc ostri decor, hìc tabo maculata recenti,
Et supèr exangues rupta corona pedes.
Mæsta coronatos defleuit nænia Manes,
Nænia sed lucem reddere nulla potest.
Atquè adeò blandi, mitissima turba, sodales
Nè cadat in cineres vana querela meos?
Viximus, & toti insignes sàt viximus æuo,
Canduit, & niueis nostra senecta comis.
Nèc mihi vita fuit diris obnoxia factis,
Nèc tulit in Stygiam facta luenda ratem.
His licèt obscuris habitent obliuia ripis,
Me nil Lethææ iura morantur aquæ.
Sàt Grudijs olim, sat toti liquimus Orbi;
Sit sola exuuijs vrna superba meis.
Scaligeri Manes, & Lypsia dulcis imago
Non ego sum vestro degener vmbra choro?

Et

Et mea Romanis celebrata est gloria Musis,
Et mea paucorum gloria currit iter.
Me pia posteritas, me felix Cyrrha merentem
Vindicat, & cineres fama relicta meos.
Sacra iacet vallis procul à Phlegetonide ripa,
Quà nulla æternum nox rapit atra diem.
Nec sons Æolides, nec viscera tacta volucri,
Nèc lusa Argolicis effluit vnda cadis.
Nèc dirus plangor, nèc mæstæ filia noctis
Assistit celeri sanguinolenta rota.
Has tantùm Zephyri cum dulci Chloride sedes,
Has habet æternis ver geniale comis.
Non cessat violis halare recentibus herba,
Inque rosis Paphijs tota renidet humus.
Hìc soli Heroes degunt, Manesque piorum,
Queis nulla in dominos culpa relicta Deos.
His mea nunc syluis errat felicibus vmbra,
His vadit celsis hospita læta iugis.
Passim sub tremulis it felix turba salictis,
Passim sub placida margine ludit aquæ.
Lenitèr hìc lympham frondenti vimine pellit,
Hìc legit à casta mite papauer humo.
At blanda esuries dùm sparsas colligit vmbras,
Et libet ad mites accubuisse dapes:
Haùd mora, sub platanis sacro conuiuia luco
Ducimus, & viridi gens sedet omnis humo.
Accumbunt dulcesque ioci, dulcesque lepores,
Et pater hìc risus maxima regna gerit.
Ille sua Elysijs immiscet gaudia mensis,
Vmbraque nulla potest tristibus esse genis.
Atque vbì iàm castis pueri mantilia glebis,
Et facili demunt picta canistra manu;
Nos alio, ac alio læti dilabimur omnes,

Et studia est vita dulce relicta sequi.
Hìc tenues acies, tenues aptatque phalanges,
Hìc propè Leth os vanaque castra lacus.
Hìc vocat vsque canes, hìc cornu spirat inane,
Et pia nequicquàm tesqua fatigat equo.
Altera M onides nunc Troia pergama cantat,
Altera Dulychia fata seuera rati.
Me Grudij Manes inuitant ad sua tecta,
Et premit, & stipat Belgica turba latus.
Lypsius antè omnes insignis tempora myrtho,
Lypsius Elysijs vmbra verenda choris.
Ille meus comes est, ille omnia dicit alumno,
Et docet Elysijs cuncta videnda iugis.
Ipse meas, dicitque suas ex ordine musas,
Ipse suis plaudo, plaudit & ille meis.
Sìc simùl vnanimes ambo deducimus horas,
Pascitur & curis sic noua vita suis.
At vos ò Grudij longum valeatis amici;
His mihi nunc syluis obtigit alma quies.
Vos quoquè marentes, mea dulcia pignora, Nati,
Charaque cum natis nupta relicta vale.
Nèc nisi longaua post fata expleta senecta
Mittite in Elysium funera cana nemus.

IN OBITV REVERENDISSIMI D.
D. CESALPINI, PISARVM,
Corsicæ, Sardiniæque Vicarij Generalis.

ELEGIA XXI.

EREpti cineres, & magni nominis vmbra
Flebilior lacrymis vmbra futura meis;

Qua

Qua licèt inferias priuatis aduena curis
  Saucius, hùc fletus ad tua busta fero.
Hìc misero in luctu noctesque, diesque sedebo
  Illacrimans, Vatem noscet & vmbra suum.
Et pia sub tristi suspiria sentiet vrna,
  Sentiet à lacrymis ossa rigata meis.
Sìc mihi decedis columenque, decusque superbum?
  Scilicèt hìc flenti tristis imago iaces?
Te duce Tantalides Pisarum accimur ad arces,
  Sorsque mea Alphæo nobilitata solo est.
Victus iò liuor, fraudesque, dolique retecti,
  Non sinit insontem Numinis aura premi.
Sed nunc Aonides procùl hinc discedite Diuæ,
  Nil nisi me lacrymæ, nil nisi luctus habet.
Vosque meos gemitus Alpheæ admititæ ripæ,
  Hìc etiam tangit Belgica corda dolor.
Ingemuitque Tybris, paruique Bononia Rhenì
  Ingemuit noti funera tanta viri.
Heù sua nunc mæsta solatia publica Pisa,
  Et sua nunc omnes gaudia rapta dolent.
Soli ego mœrori viuam, luctuque superstes,
  Nèc nox grata mihi, neuè futura dies.
Hìc tibi lugubri nos cantu flebimus Arne?
  Flebimus: at tacitis Arne manebis aquis?
Dùm genus, & proauos, & tanta insignia gentis
  Victuris repetet nostra Thalia modis.
Nunc magni Manes lacrymis sparsisse sepulchrũ
  Sit satis? heù vetuit dicere plura dolor.

PAVESIVS PATRICIVS ANCONITANVS

Academiæ Argonautarum Princeps loquitur.

ELEGIA XXII.

Hanc quicumq; vides oculis lacrymantibus vrnam
Admonitus nostro funere disce mori.
Quid mihi nobilitas, quid Auorum gloria prodest,
Aut mea quæ magnos facta loquuntur Auos?
Heu formæ genialis honos, heu læta iuuenta,
Heu vbi nunc animi dos opulenta mei!
Heu misero Vati tot carmina blanda canenti
Nequicquàm lætis Hadria plausit aquis!
Hadriacæ plausistis aquæ, vicinaque Doris
Natarum visa est explicuisse choros.
Hæmonia mihi cura ratis, me nobilis Ancon
Vidit ab Aonia ducere vellus aqua.
Ah crudele nefas! Iuuenilibus Atropos ausis
Inuida crescentem rupit acerba colum.
Illa ferox rapuit primæ lanuginis annos,
Illa dedit pulla funera nostra rati.
Sæua quid exultas? non est tua gloria tanti,
Non ego Lethæis præda relicta vadis.
Immatura nato, non degener vmbra, paludem,
Nil in me Lethe barbara iuris habet.
Nàm mea nèc virtus gemit isti inclusa sepulchro,
Ista per Hadriacas it spatiosa domos.
Donèc erunt fluctus ad Dorica mœnia pulsi
Pauesium memores fluctus, & vnda frement.

SAL-

SALVII BONCHRISTIANI

Posthuma Vox.

ELEGIA XXIII.

Desinitè vnanimes hoc circà funus amici
Pallere humectis lumina bina genis.
Desinite Alphais suspiria perdere ventis,
Quæ semèl occubuit non magìs vmbra redit.
Stat sua cuique dies fatali inscripta metallo
Cælicolùm, rapimur cùm iubet illa rapi.
Hos satis. Insontes æui transmisimus annos,
Neuè abijt culpis anxia vita suis.
Nèc sacra esuries auri, nèc auara cupido
Impulit ad dites impia lucra dolos.
Cura fuit sancto commercia ducere quæstu,
Nullaque Tyrrheni vertere iura fori.
Nominibus quìn ipsa meis probitasq; fidesque
Sàt nota est, factis sàt manifesta suis.
Nix quoquè præterea seris affusa capillis
Canduit, & fati iàm propè limen eram.
At vos votiuis suffragia soluite sacris;
Spirat inusta meis hæc quoquè cura rogis.
Cœtera vos æuum facili deducite Parca;
Et sit ab exequijs hæc quoquè regna sequi.

FINIS.

PETRI ADRIANI
VANDEN BROECKE BELGÆ
ELEGIARVM.
LIBER SECUNDUS.

PETRI ADRIANI VANDEN BROECKE BELGÆ ELEGIARVM LIBER SECVNDVS.

TRIVMPHALIS ASSVMPTIO VIRGINIS,

Sub Persona religiosi hospitis, qui animo ad Superos elatus, quasi coràm videret, & miraretur omnia, celebrata.

ELEGIA I.

Dicta à Ioanne Benedicto Vercassonio in Sacra Basilica Pisana.

QVis sacer Ætherei Ciues sit plausus Olimpo
Descendunt fuluis sydera fulua rotis.
Arctoum pelagus subitura Lycaonis ambit,
Et tingi inuiso iàm cupit Vrsa mari?
Manala nùm repetit, syluæque Erymanthidos umbras,
Quæ fera sublimi stat Nemeaa polo?
Quid pulchra Erigone radijs propioribus ardet,
Et propiùs radijs Cressa corona suis?
Altera Mopsopios Virgo èst reditura penates,
Altera Dyctei regna relicta soli?

 Aspi-

Aspicimus Titana iubar deducere Cælo;
Iàm propiore solo Cynthius orbe micat.
Abripimur Superi. Quò tellus aufugit omnis!
Quò minor in gemino nunc fluit unda mari!
Subtùs eunt nubes, subtùs Zephyrique, Notique;
Æthereæ premimus lucida monstra via.
Vt Cælos omnes, supèr omnia sydera tendit
Arx Superùm! meritis peruia sola via est.
Æterni Vigiles auratis manibus astant
Custodes, auro limina septa rigent.
At sonuere sacri diducto cardine postes;
Eccè oculis Diuùm Regia tota patet.
Atria tota micant cœlestibus aurea gemmis,
Et strata solido stant adamante via.
Chrisolitis sua cuique domus lucescit, & auro,
Fulvaque Cælestes ambit iaspis opes.
Pròh quanta Ætherei diuisa sedilia Regni,
Quantaque primores diuidit Aula suos!
Quot centena acies, quot centenaque phalanges!
At cuncta in proprias agmina missa tribus.
Quæ lux tergeminis latè fulgoribus ardet!
Tergeminæque faces, tergeminumque iubar!
Victa acies refugit solium spectare superbum,
Ah victum in tanto lumine lumen obit.
En manus Alipedum fulgentibus aurea pennis,
Cælicolumque omnis pulchra iuuenta ruit.
Pars gerit Æthereis cælatum annalibus aurum;
Vt magna in gemino prælia victa polo.
Vt fugitiua phalanx à toto decidit Axe,
Atraque sunt turpi signa relicta fugæ.
Vt passim atrati clypei, galeæque nigrantes,
Furuaque de medijs nubibus arma cadunt.
Ostendunt alij victricia signa per auras,

Dùm

Dùm semèl est nato nata Tonante salus.
His onus incubuit primi magalia tecti,
His ferre Eoæ regia dona viæ.
Hique triumphali nodosum stipite robur,
Hi gestant sæuis horrida vincla rubis.
Hi Stygij postes, hi limina victa Tyranni,
Raptaque Tænaria grandia claustra domo.
Post domiti vinclis it furua Acherontis imago,
Itque triumphato Styx religata lacu.
It Lethe, victisque gemunt obliuia ripis,
It Phlegeton victa squallidus Amnis aqua.
Tùm trahitur pigra vinctus Cocytus arena,
Et segnes latices, stagnaque victa gemit.
Tùm vincta Eumenides, queis nulli in crinibus Hydri,
Nullaque iàm manibus flagra cruenta sonent.
Post sequitur victum Libithina exangue cadauer,
Cumque iacet telis versa pharetra suis.
Flet Lachesis ruptos tristi vertigine fusos,
Flet soror euersas Atropos ire colos.
Fletque ratem ferri iàm victa portitor vnda,
Nullaque iàm Stygio iura tenere lacu.
Hinc series antiqua subit pæana canentes,
Plurima Idumæo sanguine ducta manus.
Omnes Tænarij deducti à faucibus Orci,
Liberaque in Superas præda recepta domos.
Omnes pacifera velati fronde capillos,
Omnes sydereis addita turba plagis.
At primi Vigiles Regni, primi Ætheris alti
Custodes, primi lecta Iuuenta poli,
Agglomerant densi, quà Regia Nupta Tonanti
Euehitur tumulo iàm rediuina suo.
Iàm pulchros artus, pulchræque induta iuuentę

Lumina, iàm Nati Numine plena sui.
Sub Dominæ plantis radijs felicibus ardet
Cynthia, & auratum diuidit ipsa iubar.
Senaque bis sacris affulgent astra capillis,
Affulgent sacra lucida serta comæ.
Pennipedes circà pueri, supràque frequentes,
Nubibus & roseis obuia turba ruit;
Nexilibusque hæret choreis, gaudetque per auras
Pæana ingenti continuisse Deæ.
Insequitur Superùm plausus, clangorque tubarũ
In decus Augustæ magna per astra fremit.
Audit, que procùl resonant per nubila voces,
Et procùl Æthereis tympana pulsa plagis.
Responsant colles, responsant omnia valles,
Responsat Solyma palmifer Amnis aqua.
Iàmque abijt latè supèr omnia sydera Virgo,
Iàm summas Arces, summaque regna subit.
Iàm terræ, Cælique capit consortis habenas,
Et minor est solo Regia Nupta Deo.

VATES PVELLA

In Ripà Iordanis nocturno cantu ortum Numinis, ac Sanctissimæ Matris preconia exultans celebrat.

ELEGIA II.

Dicta à Rainerio Naldi.

VIuit iò Solyma, viuit Regnator Idumes,
Nunc quoquè Cæli colûm regia cura sumus.

Stat

Stat Domus Isacidæ, seruant sua fœdera Diui,
Votaque nèc vana fudimus vlla prece.
Vos quicquid casti Diuino carmine vates
Quicquid & antiqui præcinuistis Aui;
Omnia nunc rata sunt; Soboles nàm Regia Cœlo
Labitur, & toti spes sua nata solo est.
Quà nocte Æthereis sonuit vagitibus aura,
Et casta est nato Numine facta Parens;
Tunc nulli venti, nullique per Æthera nimbi
Imbriferum nebulis exeruere caput.
Brumaque delituit, pluuiasque, geluque, niuesque,
Hinc procùl Arctois abdidit alta jugis.
Alipedes soli, sola Ætheris inclyta pubes,
Dùm fluitat pennis tota corusca suis,
Dùm mille alternos innectunt orbibus orbes,
Nexilibusque premunt nubila leta choris.
Omnes sydereo promebant gaudia cantu,
Omnes cum nato gaudia nata Deo.
Nèc magè mortali cœlestia sydera Diuùm,
Aùt stare Ætherei regna negata poli.
At trepidare metu Stygio sub gurgite Manes,
Et Regem vmbrarum iàm noua vincla pati.
Tùm castæ Matri castum pæana per auras
Certatum Æthereis accinuisse modis.
Quas tibi Cælicolæ laudes, quæ nomina Virgo
Quæ sint digna satìs, quæ satìs ipsa damus?
Tu sola minor ipsa Deo mortalibus agris
Vna praes, Superis omnibus vna præes.
Cuncta tibi pronis affulgent ignibus astra,
Affulgent radijs sydera prona suis.
Et sua iàm Phoebe, sua subdit lumina Titan,
Et quæcumque vehit lucida monstra polus.
Sub te nunc gemini decurrunt aquora ponti,

De-

Decurrit salsis vtraque Doris aquis.
Non magè Tyndarida, non sydera Graia relucent;
Tu sola es toti nunc Cynosura mari,
Dùm furit hybernis tempestas horrida nimbis,
Itque procellosis naufragus horror aquis;
Dùm fracta antenna, dùm prora auulsa fatiscit
Iàm superante Noto, iàm superante salo.
Ad te si palmas moriturus Nauita tendit,
Oratam in medio gurgite sentit opem.
Nedùm informe Chaos, nedùm primordia mundi,
Et nedùm Æthereo sydera fixa polo.
Nedùm cæruleus pontus, nedùm humida cursu
Decessere alto flumina cuncta mari.
Cùm Pater ipse sibi te Dia in mente sacrauit,
O Virgo, ò Solymi prima puella soli.
Tunc Dio partu, summo & decreta Tonanti
Es Genitrix, cunctis læta futura salus.
Vel nunc mille aras, tibi templa immania mille
Aspicimus celsis ire sub astra tholis.
Oebaliæ cautes iàm pictis lucida venis
Marmora, iàm silices Dardanis Ida dabit.
Sunt etiàm à bimari iàm vecta metalla Chorinto,
Iàm vecta à Parijs candida saxa iugis.
Semper honos templisque tuis, arisque manebit,
Ibit & à magno laus tua prima Deo.
Hos intèr cantus ebur immortale per auras
Dùm sonat, & numeris dùm canit Æthra suis.
Dùm Solymi colles, nocturnaque vallibus antra,
Totaque palmiferæ ripa resultat aquæ.
Cælestes choreas veniens Aurora diremit,
Et læta est roseo lumine nata dies.

SAN-

SANCTVS RAINERIVS IN MONTE THABOR

Cùm eò Religionis causa aſcendiſſet, ipſam Dominicam Transfigurationem nouo abreptus gaudio admiratur.

ELEGIA III.

Dicta à Ioſepho Gaſpare de Sgazzis.

QVò facies dumoſa loci, quò ſaxea rupes,
Et iuga diſcedunt, & mihi collis abit?
Fit Domus hæc Superùm, fit magni Regia Cæli:
Quæ noua reſplendet nata repentè dies?
Quæ lux, & roſeis affulget nubibus aura?
Non niſi Cælicolæ lumina tanta vident.
Sit licèt Eoo Titan pulcherrimus aſtro,
Sit licèt & radijs Cynthia pulchra ſuis;
Hoc iubar ad tantum nil victo ſydere Titan,
Nil facit & radijs Cynthia victa ſuis.
Mens mihi tota ardet; Diuino accendimur igni;
Hìc ſua ſydereus gaudia miſcet Amor.
At noua quæ propiùs, propiùſque accedit imago?
Qui comites? geminis quis decor ille viris?
Salue Dia ſalus; Quò me tua Numina ducunt?
Hìc tua ceù Superis gloria tota micat.
Tu Pharij ſalue qui diuidis æquora ponti,
Qui ſicco calcas humida regna pede;
Qui gentem à Nilo, diraquè à ſede Canopi
Ipſa per vndiſonæ marmora ducis aquæ.
Tu quoq; flammiuomo qui tendis in Æthera curru

Qui

Qui premis accensis sydera summa rotis.
Tu supera vates, dùm lux suprema minatur,
In te supremo spes manet alta die.
At mihi, si fas est, hìc felix meta laborum
Obtingat, tecum sit mea Diue quies.
Sat modò Iordanem, sacrataque vidimus arua,
Vidimus & syluas, terra beata, tuas.
Quìn tellus Alphæa vale, quìn Patria tota
Nil mihi cum lymphis, nobilis Arne, tuis.
Sint mea de medio, quæ Sol videt omnia Cęlo,
Sintque mea, immensas quas habet Orbis, opes;
Omnia despiciam; sedes hæc sola supersit,
Hæc sedes votis sufficit vna meis.
Sìc ille. In Superos Diuina abscedit imago,
Et facias colli, quæ fuit antè, redit.

Expostulatio sub nomine PISARVM cum Nerone Cæsare inducta supèr Sancti Cadauere TORPETIS sutili cymbę, vt in mari periret, imposito.

ELEGIA IV.

Dicta à Bono Francisco de Boscainis.

NEdùm mitis ades? quò iàm furor impius vltrà
Euadit? rabies quò truculenta ruit?

Quiduè

Quiduè minax, quid toruus adhùc, quid pallidus astas?
Quiduè ardent diris lumina dira genis?
An superest aliquid, quod adhùc cruciatib⁹ angas?
Proh pudor! in Cineres Cæsaris ira cadet?
En hìc exanimum, squallens, miserabile corpus,
Et quod sacrilego decidit ense caput.
Quid magè vis Cæsar? diffuso sanguine tellus
Rorat adhùc; circùm pallida turba gemit.
Circùm crudeles mirantur lora ministri,
Mirantur sanas nil valuiße manus.
Stat rursùm mitis rabies impasta ferarum,
Nèc petit exanimas ore cruenta dapes.
His si prodigijs, his si tu, barbare, monstris
Nil corda inflectis, sunt magè dira feris;
Sunt magè dira; tibi mater, sæuissime, mater
Proh scelus! est tristi funere iußa mori.
At tibi nunc tædis vltricibus instat imago,
Et pauidis vltrix obuolat vmbra genis.
En quassata ratis, quid stas? immitte cadauer,
Vt furis, in toto sic furit vnda mari.
Demens, æquoreis non hæc obnoxia nimbis,
Non hæc naufragis debita cymba Notis.
Eruat omnis hyems conuulso Nerea fundo,
Diraque sit totùm tota procella mare.
Per sic turbati discrimina naufraga ponti
Hæc ratis Hesperiæ littora tanget aquæ.
Tèr salue mihi ripa Tagi, tèr Iberia salue,
Quanta per Occiduas dona vehuntur aquas!
Vos mihi nunc festis diffundite lilia ripis
Hesperiæ matres, Hesperiaque nurus.
Illìc lecta quies Cineri, sedesque paranda;
Hìc sacri exuuias Verticis ipsa colo.

AD

AD SANCTISSIMAM VIRGINEM;

Dùm Immaculatę Conceptionis solemnitas celebraretur.

ELEGIA V.

Dicta ab Alexandro Iosepho Palmerinio.

NVnc quoq; de Superis, si fas est, Regia Virgo
Labere; si fas est, ad tua templa veni.
Iàm tua Panchais ardent altaria donis,
Et damus incensis Itala thura focis.
Lux hæc tota tua est, radijs tibi tota coruscis
Imminet, & puro lumine tota micat.
Lux nunquàm Eois tàm pura effulsit ab Indis,
Tàm pura est posthàc non oritura dies.
Hac minor it Titan, minor it pulcherrima Phœbe,
Ille suis radijs cedit, & illa suis.
Hæc secum stellas, secum trahit Æthera totum,
Et lata à geminis deuehit astra polis.
Secum Cælicolas, secum trahit illa Tonantem;
Ipsaque tùm Cœli Numina vidit humus.
Tùm prima afflictis capit fiducia rebus,
Certaque tùm tristi spes quoquè nata solo est.
Tùm latè exclusis pandi mortalibus astra,
Tùm Stygio claudi Tartara nigra lacu.
Salue eadem Genitrix, eadem tu Filia Nati,
Salue eadem Virgo, salue eademque Parens.
Per te Dia salus, quæ magna in Prole reluxit,
Est sontes curas, est miserata Genus.

Non

Non Anguis tibi, non fœtu spoliata comante
Arbos, non nocuit culpa vetusta Patrum;
Non labes diffusa; tibi sed fatifer Anguis
Impia deiectus colla premenda dedit.
Horret nunc plantas, horret vestigia Virgo,
Tu magè squamosum comprime Diua caput.
Insidiasque omnes, cùm fata suprema vocarint,
Auerte, & sancta fac potiamur ope.



PVELLA MORTVA
A' SANCTO RAINERIO
resuscitàtur.

Sanctus initio SOFFREDVM sibi coętaneum Ciuem Pisanum Patrem puellæ consolatur.

ELEGIA VI.

Dicta à Cæsare de Fabbris.

SIste pios gemitus, patrij suspiria luctus
Iàm preme, sàt mæstis fletibus ora madent.
Nèc magè iàm tristes intèr lamenta querela,
Intèr singultus tristia verba sonent.
Filia qua dulci nunc paruula creditur æuo
Rapta tibi, fatis creditur icta suis;
Et misera antè diem tristi tumulanda sepulchro,
Et semper luctus causa futura tui.

Ad

Ad lucem rursùm, iucundæ ad limina vitæ
Hæc rursùm à fatis est reditura suis .
Tu castis Superis, summo tu fide Tonanti ,
Ibit in amplexus Filia parua tuos .
Haud mora . Dùm corpus , dùm signat frigida membra ,
Et tacitus magni Numinis orat opem ;
Et famuli stratis componunt mollibus artus ,
Et flet adhùc Genitor, flet sua vota Pater ;
Flet sibi spes raptas dulcis post funera Natæ ,
Flet sibi iàm vidua nil superesse domo .
Omnia iàm Lachesin sua gaudia læta tulisse ,
Omnia cum Nata iàm tumulata rogo .
Se soli luctu , soli superesse dolori ,
Et tantùm lacrymis se superesse suis .
Nèc credit Natam reuocari rursùs ad auras ,
Rursùs ad Æthereas posse redire vias .
Ecce leui strepitu se primùm strata mouere ,
Tùm tremit ipse thorus, spondaque tota tremit ;
Filiaque à fati iàm pigro excita sopore
Attonitis circùm lumina læta refert .
Extemplò cunctis coit in præcordia sanguis ,
Stantque comæ, & gelidus permeat ossa metus .
At chari amplexus, chari petit oscula Patris
Filia iàm patriæ spes rediuiua domus .
Hæc olìm . Nunc Sancte tuis hìc Ciuibus adsis ;
Dùm damus hìc aris annua Sacra tuis .

AD

AD SANCTVM CAROLVM CARDINALEM BORROMÆVM.

Inducitur Ciuitas Labeo portus Tyrrheni maris, vulgò Liburnum dicta, sìc sacratissimum Heroem affari.

ELEGIA VII.

Dicta à Francisco Riminaldio.

HVc ades ò quàcumque poli nunc despicis arce
Hæc tibi votiuis templa dicata sacris,
Cernis Tyrrhena spumantes Doride fluctus?
Imminet allisis arx Medicèa vadis.
Hac Labeo vetus, hæc statio nunc regia portus
Sçuit in Ismarias imperiosa rates;
Sauit, & à toto depellit Thracia ponto
Carbasa, Tyrrheno spesque, salusque mari.
Hùc tu Diue veni. Viden? annuit altus Olimpi
Arbiter, hùc felix ad tua sacra veni.
Hìc tibi verbenis redolet felicibus ara,
Sparsaque sunt castis thura Sabæa focis.
Quamuis tota sibi te vindicet Ausonis ora,
Indigetemque suum non nisi Roma velit,
Ticinique velint latices, velit orbis vterque
Certatìm donis te cumulasse suis:
Hìc tamèn Hetrusci tibi bina à stirpe penates
Et gens Hetruscum prabet Hetrusca genus.
Vindicat antè omnes te tota Hetruria Patrem.
Da Pater vt Patria sint rata vota sua.
Augusti Heroes superent, Tyrrhenaque proles,
Et sit ab hac longo sanguine ducta domus.

Eun-

Eundem
CIVITAS LABEO
portus Tyrrheni maris sibi quoquè Tutelarem Præsidē gliscente morbo adsciscit.

ÈLEGIA VIII.

Dicta à Ludouico de Corsinis.

SEù furit hinc pelagus, tellus hìc mota dehiscit,
Et quisque in dubio statuè, caditųè metu.
Seù passim Lachesis serit, agmina pallida, morbos,
Et tristi damnat corpora fessa thoro.
Et vicibus metuenda suis nunc ignibus ardet,
Nunc riget extremo febris anhela gelu;
Corpusuè assiduo versatque, premitque labore;
Inque ægros artus irrequieta furit.
Seù quæcumque instat morbis Libithina paratis,
Obrepitque nouis exitiosa malis.
Non me fata prement, si tu finis optime Diue
Me quoquè tutelam promeruisse tuam.
Quin modò dùm Lachesis flãmis febrilibus arsit,
Vix dedit extremo funera cana rogo.
Eluctata malis est maxima turba iacentum,
Siuè iuuenta fuit, siuè senecta fuit.
Nil mihi naufragis elatum fluctibus æquor
Vis nocuit quassi nil violenta soli.
Atquè ego votiuis suspendi dona tabellis
Iàm Labeo auspicijs salua relicta tuis.

IN OBITV
DIVI RAINERII
NOBILIS PISANI,

Cùm omnia è turribus sacris ęra spontè sonarent, aliquis Sancto coætaneus cum illustri rerum Pisanarum memoria sic admiratur.

ELEGIA IX.

Dicta à Simone Vincentio Tamburinio.

QVò populus ruit ille omnis? quid turribus æra
Pulsa monent? victrix classis ab hoste redit?
Nùm Sardoa phalanx Alphæis occidit armis,
Victaque iàm Mauris Regibus ira cadit?
Nùm noua victrices sensit Carthago carinas?
Aùt vetus est nostro milite victa Tyros?
Vicimus aùt bello Balearis littora ponti,
Et metuunt nostras vtraque regna rates?
Aùt Nili latices, & Anubidis arua tenemus?
Et tremuit nostris Africa tota minis?
Seù nostro cessit Trinacria victa Gradiuo?
Seù Solyme rursùm Marte subacta iacet?
Et rursùm Europæ felicia tendere vela
Iàm datur ad Sancti-Dia sepulchra soli?
Aùt fors Teutonico magnus iàm Cæsar ab Albi
Hùc socias armis visere venit opes?
Plùs aliquid maius; pugnatum in sydera Cœli
Vi, meritisque fuit; Sydera victor adit.
Victor adit claro Rainerius astra triumpho;
Iàm tenet æternus lumina vincta sopor.
Olli spontè sacris è turribus æra resultant,
Olli certatìm terra, polusque fauent.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO EQVITI SIGISMVNDO MARCHESIO FOROLIVIENSI,

Dùm in pelagus Ægæum aduersus Thraces bellaturus cum classe Tyrrhena nauigat, ad Nymphas Oceani.

ELEGIA X.

Dicta à Iulio Buristi.

Diuæ Nereides, Diuæ Oceanitides omnes
Si fluitis toto numina Glauca mari;
Si pelagi facies à vestro Numine pendet,
Siuè sit alma quies, siuè sit ira freti;
Si pluuiam nimbis, si ventis demitis iras,
Magnaque cæruleæ sceptra tenetis aquæ;
Ite Deæ, quà Creta vocat, quà barbara classis.
Ducite victrices, carbasa Thusca, rates.
Incolumesq; viros date Thracum inuadere littus,
Thraciaque Idæis pellere castra iugis.
Eueniet; dat signa Polus; Iàm Martia pubes
Imminet, ac Itali prima iuuenta soli.
Hìc vetus Heroum sanguis Marchesia proles
Rursùs in Ismarias tendere gaudet opes.
Rursùs in æquoreos pro dulci laude labores,
Nec pelagi dubias pertimuisse minas.
Stat Iuueni proprijs Atauorum gesta trophæis
Vincere, stat proprijs se cumulare bonis.
Nèc debere alijs, animi quæ conscia virtus
Vindicat ipsa sibi, vindicat ipsa decus.
Iàm video Odrysias, fugientia carbasa, puppes

Non

Non benè Carpathia consuluisse fuga.
Iàm Rhodani classis sub Cressa sæuit arena,
Sæuit & in toto classis Hetrusca mari.
Iàm Veneti (atq; vtinã Italiæ sim verus aruspex)
Dant sua Dyctæo libera regna Ioui.

TAMESIS

Alloquitur regiam classem pro faustissimo reditu SERENISSIMI PRINCIPIS CAROLI SECVNDI Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Regis nauigaturam.

ELEGIA XI.

Dicta à Ludouico Moneta.

ITe, triumphali suspendite carbasa malo,
Ista ratis Patriæ publica vota vehit.
Ite Viri, lętis aspirant puppibus Euri,
Vos vocat è tumida Nereus altus aqua;
Oceanusque vocat, Glauca qui cuspide ponto
Imminet, & placidis æquora mulcet equis.
Ipse vocat Triton festo clangore tubarum,
Dique, Deæque omnes per vada salsa vocant.
Bis mille Oceani cum pulchra Doride Nymphæ
Plaudentes toto nantque, renantque salo.

 Non

Non sic Hæmoniæ lusere ad rostra carinæ,
Cùm rapta est sacris aurea lana tholis.
Iàmque truces cecidere animi, iàm victa tyrãnis
Exulat, & Regi stant sua regna suo.
Vosque adeò gemini latè gens accola ponti,
Quàuè caditque dies, quàuè oriturque dies,
Hanc celebrate animis lucem, festamque tenete,
Totaque posteritas hanc meminisse velit.
Hæc ait, & placido se gurgite condidit Amnis.
Plausibus at Ripæ tèr somnere nouis.

PETRO ANDREÆ FORZONIO
Viro Clarissimo, & Poetæ eximio,
cùm natalem
SERENISSIMI PRINCIPIS
FERDINANDI SECVNDI
Magni Hetruriæ Ducis, cultissimis
numeris celebrasset.

ELEGIA XII.

SEù Forzoniade iuuat alta in sydera cantu
Tendere, seù magnos te celebrare Deos.
Seù grandes animas Heroum, Augustaque fata,
Regiaque in Clarios sceptra vocare modos.
Seù tibi sit tellus, seù sit Neptunia Doris
Dicenda, aùt numeris quicquid vbiquè tuis.
Materies quæcumque tua est; tu Numine Phœbi

Tu

Tu prono Aonidum Numine cuncta canis.
Quæ tua sub Thusci penetralibus edita ponti
Est specus, & viuo pumice nixa domus;
Hospita Dìs pelagi domus est, domus hospita Nymphis;
At domus hæc nullo stat peritura die.
Me quoq; sub pelagus tàm blanda abducit imago,
It mea sub laribus mens spatiosa tuis.
Quantus honos tecti! quantis diffusa columnis
Intèr Memnonias atria ducis opes!
Feruet cura Deùm, feruet quoquè cura Dearum,
Vt fausta Hetrusci tempora Regis eant.
Aspicimus rursùs natalia Sacra parari,
Aspicimus sanctis subdita thura focis.
Rursùs vt Heroi Pylia dilata senecta
Deducant triplices aurea fila Deæ.
Quæque Ioui vicina micant sua sydera serò
Serus ad Æthereas spectet iturus opes.
Rursùs Nympha canit Tyrrheno ingentia Regi
Debita fata mari, debita fata solo.
Vt sit pulchra Rhodus, vincẽdaq; barbara Thrace
Et quacumq. vehit carbasa Maura Thetis.
Sic esto Superi. Fatali gurgite ponti
Euehimur; Vates te tua fama manet;
Lausq; manet semper magno in Ferrãte superstes;
Hæc est à numeris gloria nata tuis,

In Regio Natali SERENISSIMI PRINCIPIS HETRVRIÆ FERDINANDI III.

Arni, & Pisarum colloquia.

ELEGIA XIII.

Dicta à Iosepho Vbaldo Schippisi.

Pisç. *QVæ via tàm præceps? fluuio quò tendis ouanti*
Arne? quid in medijs sic tumet vnda vadis.
Dant lymphæ amplexis argentea basia ripis,
Ripaque lasciuis basia reddit aquis.
Quid canitur? Summo Tyrrhenæ Naiades amne
Læta canunt; omnes vix capis Arne Deas?
Aspicimus fusis Nymphas fluitare capillis;
Aspicimus donis plena canistra suis.
An Venus à Superis Neptunia regna reuisit,
Et iungit magnos tæda marina Deos?
Arnus. *Læta triumphali me voluũt gaudia lapsu;*
Est tàm præcipitis regia causa viæ.
Est noua nunc Soboles Hetruscis Regibus orta;
Diuaque vnanimes omina læta canunt.
Ipse ego nunc gemini subeo penetralia ponti,
Quà gemina Oceani littora Doris adit.
Mecum omnes Nymphæ, mecum Nereides ibunt,
Tyrrhenaque canent grandia fata Domus.
Seù quà Sarmatico Tanais deuoluitur amni,
Et procùl Euxinæ marmora rumpit aquæ,
Quà serum Titana polo, currusque cadentes
Au-

Audit in occiduo Doris Ibera salo.
Quà Rhodani latices, quà Sequana tēdit in æquor
Et fremit alliso regia ripa mari;
Quanè Caledonij subit vltima littora ponti
Nereus, & tumidis Albion ambit aquis.
At Vos Alphæa deductæ ex Elide Pisæ,
Deducta Argiuo stirps Pelopea solo;
Prò spe Tyrrhena, prò tanto munere Diuûm
Soluite Cœlicolis debita dona suis.
Hancque diem vnanimes festo celebrate decore,
Et noua lætitiæ nunc date signa nouæ.

MVSÆ

In eodem Regio Natali lætantur, & relicta Grecia hùc immigrant.

ELEGIA XIV.

Dicta à Petro Felice de Martinis.

AOnij colles, placidæque in collibus vmbræ,
Quicquid & in tota Phocide dulce fuit;
Vos gelidi saltus, & Cyrrha prisca valete
Mœnia, vos Lycio rura dicata Deo.
Ascra vale, tu noster amor, tu cura vetusta,
Nunc amor Hetrusci, nunc noua cura soli est.
Iupiter id monuit, Veneres qui nupèr Achiuas
Transtulit ad Floræ flumina grata suæ.
Hac nūc vnanimes ad flumina tendimus omnes;
Hìc magna æternum fata dedere larem.
Namq; Hetrusca Domus nullū interitura sub æuū

 Hìc

Hìc posuit meritis regia dona suis.
Otia virtuti, largitur & otia laudi;
Est decus hìc castis incubuisse sacris.
Iàm noua progenies Thusci spes altera regni
Euehet Aonides hæc quoquè spontè Deas.
Sic voluunt Parcæ, sìc conscia sydera voluunt,
Nutibus aspirant hùc quoquè fata suis.
Nunc canite, & festo mulcete hæc omnia cantu,
Seù Patrem cantu, seù celebretis Auum.
Seù proles Augusta nouo pæane canenda est,
In prolem Augustam regia plectra sonent.

SANCTI PHILIPPI NERII

Sedem Natalem

Dùm Christianus hospes piè venerationis causa inuisit, sic suæ pietatis obsequia testatur.

ELEGIA XV.

Dicta à Francisco Maria Cepparellio.

HÆc mihi meta via est. Natalia venimus arua,
Venimus ad sancta Neria tecta domus.
Quæ noua Cælicolæ pertentant gaudia pectus?
Hoc Deus, aùt certè Numinis aura loco est.
Vos sancti saluete lares, saluete penates;
Hæc libo ad sanctas oscula sancta fores.

Hicnè

Hęcnè tuis sonuit primis vagitibus aura?
Hæc, Pater, à cunis terra beata tuis?
Felices quicumque tibi risere parentes,
Quæcumque est tellus patria facta tibi.
At vos quæ subeo casti penetralia templi
Este mihi fausto Numine visa precor.
Tuque adeò Neri cælestia sydera linque,
Et tua, si fas est, Sacra parumper adi.
Aspice nos; vt mille tuis aduoluimur aris!
Vt vota in sacris figimus alta tholis!
Vt passìm flores, Tyrrhenaque lilia demus!
Tu Pater à magno Numine defer opem.
Sìc tibi Memnoniјs niteant hæc omnia gemmis;
Nàm tua Memnonias Ara meretur opes.
Effigiesque tua Eoo sculpatur in auro;
Stentque in prodigiјs aurea signa suis.



SANCTO ANTONIO
sub dio concionante

Circùm circà cùm multa tempestate imber decidit, nèc tamèn in eo loco, quo frequentissimus cœtus astaret, vlla pluuia decidit.

Sanctus initio paucis loquitur.

AD CLARISSIMVM VIRVM

ADRIANVM LAZARI

IVRIS VTRIVSQ. DOCTOREM.

ELEGIA XVI.

CVm sis Pegasidum tu gloria certa Dearum
Lazare, sis numeris ditior ipse tuis;
Quid Diuo Hesperio versus, quid carmina poscis,
Quæ proprijs pangas tu meliora modis?
Quid facis? Argiuo non mel donatur Hymetto,
Nèc flores Hyblæ, nèc datur vnda mari.
Sìc tamen obsequimur, numerisq. minoribus audi
Quæ Pater Hesperij protulit ipse Tagi.
State Viri. Non hùc elisis fulmina nimbis,
Non cadet hùc densis, qui cadet imber, aquis.
At contrà placidi lux inuiolata sereni
Mansura est, statio si sua cuique manet.
Vix hæc; iàmq; fragor circà latus omne remugit,
Omnis circà atro turbine rapta dies.

Circà

Circà terrificique cadunt à nu...
Circà præcipiti voluitur imber a...
Ambusta fumant illapso fulmine quer...
Atque aliò ingeminans fulgure sæuit hye...
Ingeminantque alij commixta grandine nimb...
Atque alia imbriferis acta procella Notis.
Cum pauido grege Pastores à montibus altis
Diffugiunt pauidi, diffugiuntque feræ.
Quà tamen est Coetus, quà stat densissima turba,
Totaque cœlestis pendet ab ore Viri;
Ipsa loci facies placidis sibi constitit auris,
Constitit & radijs Sol, velut antè, suis.
Tanti est Euganei Diuina oracula Vatis
Audire, & stabili quemque manere loco.

In laudem CLARISSIMI VIRI LVCÆ TERENTII

In Academia Pisana Ordinarij Professoris Medicinæ, dùm in ludicra cantatione mirificè luderet.

ELEGIA XVII,

Dicta à Petro Bertalena.

GRæcia quid magico nunc iactas licia cantu,
Quidue Erebi faciles in tua vota Deos?

ILLVSTRISSIMO EQVITI SIGISMVNDO MARCHESIO FOROLIVIENSI,

Dùm in pelagus Ægæum aduersus Thraces bellaturus cum classe Tyrrhena nauigat, ad Nymphas Oceani.

ELEGIA X.

Dicta à Iulio Burisli.

Diuæ Nereides, Diuæ Oceanitides omnes
Si fluitis toto numina Glauca mari;
Si pelagi facies à vestro Numine pendet,
Siuè sit alma quies, siuè sit ira freti;
Si pluuiam nimbis, si ventis demitis iras,
Magnaque cæruleæ sceptra tenetis aquæ;
Ite Deæ, quà Creta vocat, quà barbara classis,
Ducite victrices, carbasa Thusca, rates.
Incolumesq; viros date Thracum inuadere littus,
Thraciaque Idæis pellere castra iugis.
Eueniet; dat signa Polus; Iàm Martia pubes
Imminet, ac Itali prima iuuenta soli.
Hìc vetus Heroum sanguis Marchesia proles
Rursùs in Ismarias tendere gaudet opes.
Rursùs in æquoreos pro dulci laude labores,
Nec pelagi dubias pertimuisse minas.
Stat Iuueni proprijs Atauorum gesta trophæis
Vincere, stat proprijs se cumulare bonis.
Nèc debere alijs, animi quæ conscia virtus
Vindicat ipsa sibi, vindicat ipsa decus.
Iàm video Odrysias, fugientia carbasa, puppes

Non benè Carpathia consuluisse fuga.
Iàm Rhodani classis sub Cressa sæuit arena,
Sæuit & in toto classis Hetrusca mari.
Iàm Veneti (atq; vtinã Italia sim verus aruspex)
Dant sua Dyctæo libera regna Ioui.

TAMESIS

Alloquitur regiam classem pro faustissimo reditu SERENISSIMI PRINCIPIS CAROLI SECVNDI Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Regis nauigaturam.

ELEGIA XI.

Dicta à Ludouico Moneta.

ITe, triumphali suspendite carbasa malo,
Ista ratis Patria publica vota vehit.
Ite Viri, lętis aspirant puppibus Euri,
Vos vocat è tumida Nereus altus aqua;
Oceanusque vocat, Glauca qui cuspide ponto
Imminet, & placidis æquora mulcet equis.
Ipse vocat Triton festo clangore tubarum,
Dìque, Deæque omnes per vada salsa vocant.
Bìs mille Oceani cum pulchra Doride Nympha
Plaudentes toto nantque, renantque salo.

P Non

Non sic Hamonia lusere ad rostra carinæ,
Cùm rapta est sacris aurea lana tholis.
Iàmque truces cecidere animi, iàm victa tyrānis
Exulat, & Regi stant sua regna suo.
Vosque adeò gemini latè gens accola ponti,
Quàuè caditque dies, quàuè oriturque dies,
Hanc celebrate animis lucem, festamque tenete,
Totaque posteritas hanc meminisse velit.
Hæc ait, & placido se gurgite condidit Amnis.
Plausibus at Ripæ tèr somnere nouis.

PETRO ANDREÆ FORZONIO
Viro Clarissimo, & Poetæ eximio, cùm natalem
SERENISSIMI PRINCIPIS
FERDINANDI SECVNDI
Magni Hetruriæ Ducis, cultissimis numeris celebrasset.

ELEGIA XII.

SEù Forzoniade iuuat alta in sydera cantu
Tendere, seù magnos te celebrare Deos.
Seù grandes animas Heroum, Augustaque fata,
Regiaque in Clarios sceptra vocare modos.
Seù tibi sit tellus, seù sit Neptunia Doris
Dicenda, aùt numeris quicquid vbiquè tuis.
Materies quæcumque tua est; tu Numine Phœbi
Tu

Tu prono Aonidum Numine cuncta canis.
Qua tua sub Thusci penetralibus edita ponti
Est specus, & viuo pumice nixa domus;
Hospita Dis pelagi domus est, domus hospita Nymphis;
At domus hac nullo stat peritura die.
Me quoq; sub pelagus tàm blanda abducit imago,
It mea sub laribus mens spatiosa tuis.
Quantus honos tecti! quantis diffusa columnis
Intèr Memnonias atria ducis opes!
Feruet cura Deùm, feruet quoquè cura Dearum,
Vt fausta Hetrusci tempora Regis eant.
Aspicimus rursùs natalia Sacra parari,
Aspicimus sanctis subdita thura focis.
Rursùs vt Heroi Pylia dilata senecta
Deducant triplices aurea fila Dea.
Quaque Ioui vicina micant sua sydera serò
Serus ad Æthereas spectet iturus opes.
Rursùs Nympha canit Tyrrheno ingentia Regi
Debita fata mari, debita fata solo.
Vt sit pulchra Rhodus, vincẽdaq; barbara Thrace
Et quacumq. vehit carbasa Maura Thetis.
Sic esto Superi. Fatali gurgite ponti
Euehimur; Vates te tua fama manet;
Lausq; manet semper magno in Ferrãte superstes;
Hac est à numeris gloria nata tuis,

In Regio Natali SERENISSIMI PRINCIPIS HETRVRIÆ FERDINANDI III.

Arni, & Pisarum colloquia.

ELEGIA XIII.

Dicta à Iosepho Vbaldo Schippisi.

Pisç. *QVæ via tàm præceps? fluuio quò tendis ouanti*
Arne? quid in medijs sic tumet vnda vadis
Dant lymphæ amplexis argentea basia ripis,
Ripaque lasciuis basia reddit aquis.
Quid canitur? Summo Tyrrhenæ Naiades amne
Læta canunt; omnes vix capis Arne Deas?
Aspicimus fusis Nymphas fluitare capillis;
Aspicimus donis plena canistra suis.
An Venus à Superis Neptunia regna reuisit,
Et iungit magnos tæda marina Deos?
Arnus. *Læta triumphali me voluũt gaudia lapsu;*
Est tàm præcipitis regia causa viæ.
Est noua nunc Soboles Hetruscis Regibus orta;
Diuaque vnanimes omina læta canunt.
Ipse ego nunc gemini subeo penetralia ponti,
Quà gemina Oceani littora Doris adit.
Mecum omnes Nymphæ, mecum Nereides ibunt,
Tyrrhenæque canent grandia fata Domus.
Seù quà Sarmatico Tanais deuoluitur amni,
Et procùl Euxinæ marmora rumpit aquæ.
Quà serum Titana polo, currusque cadentes

Au-

Audit in occiduo Doris Ibera salo.
Quà Rhodani latices, quà Sequana tēdit in æquor
Et fremit alliso regia ripa mari;
Quaue Caledonij subit vltima littora ponti
Nereus, & tumidis Albion ambit aquis.
At Vos Alphæa deductæ ex Elide Pisa,
Deducta Argiuo stirps Pelopea solo;
Prò spe Tyrrhena, prò tanto munere Diuûm
Soluite Cælicolis debita dona suis.
Hancque diem vnanimes festo celebrate decore,
Et noua lætitiæ nunc date signa nouæ.

MVSÆ

In eodem Regio Natali lætantur, & relicta Græcia hùc immigrant.

ELEGIA XIV.

Dicta à Petro Felice de Martinis.

AOnij colles, placidæque in collibus vmbræ,
Quicquid & in tota Phocide dulce fuit;
Vos gelidi saltus, & Cyrrha prisca valete
Mœnia, vos Lycio rura dicata Deo.
Ascra vale, tu noster amor, tu cura vetusta,
Nunc amor Hetrusci, nunc noua cura soli est.
Iupiter id monuit, Veneres qui nupèr Achiuas
Transtulit ad Floræ flumina grata suæ.
Hac nūc vnanimes ad flumina tendimus omnes;
Hìc magna æternum fata dedere larem.
Namq; Hetrusca Domus nullū interitura sub æuū

Hìc posuit meritis regia dona suis.
Otia virtuti, largitur & otia laudi;
Est decus hìc castis incubuiße sacris.
Iàm noua progenies Thusci spes altera regni
Euehet Aonides hæc quoquè spontè Deas.
Sìc voluunt Parcæ, sìc conscia sydera voluunt,
Nutibus aspirant hùc quoquè fata suis.
Nunc canite, & festo mulcete hæc omnia cantu,
Seù Patrem cantu, seù celebretis Auum.
Seù proles Augusta nouo pæane canenda est,
In prolem Augustam regia plectra sonent.

SANCTI PHILIPPI NERII

Sedem Natalem

Dùm Christianus hospes piè venerationis causa inuisit, sic suæ pietatis obsequia testatur.

ELEGIA XV.

Dicta à Francisco Maria Cepparellio.

HÆc mihi meta via est. Natalia venimus arua,
Venimus ad sancta Neria tecta domus.
Quæ noua Cælicolæ pertentant gaudia pectus?
Hoc Deus, aùt certè Numinis aura loco est.
Vos sancti saluete lares, saluete penates;
Hæc libo ad sanctas oscula sancta fores.

Hęcnè

Hęcnè tuis sonuit primis vagitibus aura?
Hæc, Pater, à cunis terra beata tuis?
Felices quicumque tibi risere parentes,
Quæcumque est tellus patria facta tibi.
At vos quæ subeo casti penetralia templi
Este mihi fausto Numine visa precor.
Tuque adeò Neri cælestia sydera linque,
Et tua, si fas est, Sacra parumper adi.
Aspice nos; vt mille tuis aduoluimur aris!
Vt vota in sacris figimus alta tholis!
Vt passim flores, Tyrrhenaque lilia demus!
Tu Pater à magno Numine defer opem.
Sic tibi Memnonijs niteant hæc omnia gemmis;
Nàm tua Memnonias Ara meretur opes.
Effigiesque tua Eoo sculpatur in auro;
Stentque in prodigijs aurea signa suis.



SANCTO ANTONIO sub dio concionante

Circùm circà cùm multa tempestate imber decidit, nèc tamèn in eo loco, quo frequentissimus cœtus astaret, vlla pluuia decidit.

Sanctus initio paucis loquitur.

AD CLARISSIMVM VIRVM ADRIANVM LAZARI IVRIS VTRIVSQ. DOCTOREM.

ELEGIA XVI.

Cvm sis Pegasidum tu gloria certa Dearum
Lazare, sis numeris ditior ipse tuis;
Quìd Diuo Hesperio versus, quìd carmina poscis,
Quæ proprijs pangas tu meliora modis?
Quìd facis? Argiuo non mel donatur Hymetto,
Nèc flores Hyblæ, nèc datur vnda mari.
Sìc tamen obsequimur, numerisq. minoribus audi
Quæ Pater Hesperij protulit ipse Tagi.
State Viri. Non hùc elisis fulmina nimbis,
Non cadet hùc densis, qui cadet imber, aquis.
At contrà placidi lux inuiolata sereni
Mansura est, statio si sua cuique manet.
Vix hæc; iàmq; fragor circà latus omne remugit,
Omnis circà atro turbine rapta dies.

Circà

Circà terrificique cadunt à nubibus ignes;
Circà præcipiti voluitur imber aqua.
Ambustæ fumant illapso fulmine quercus,
Atque aliò ingeminans fulgure sæuit hyems.
Ingeminantque alij commixta grandine nimbi;
Atque alia imbriferis acta procella Notis.
Cum pauido grege Pastores à montibus altis
Diffugiunt pauidi, diffugiuntque feræ.
Quà tamen est Coetus, quà stat densissima turba,
Totaque cœlestis pendet ab ore Viri;
Ipsa loci facies placidis sibi constitit auris,
Constitit & radijs Sol, velut antè, suis.
Tanti est Euganei Diuina oracula Vatis
Audire, & stabili quemque manere loco.

In laudem

CLARISSIMI VIRI

LVCÆ TERENTII

In Academia Pisana Ordinarij Professoris Medicinæ, dùm in ludicra cantatione mirificè luderet.

ELEGIA XVII,

Dicta à Petro Bertalena.

GRæcia quid magico nunc iactes licia cantu,
Quidue Erebi faciles in tua vota Deos?

Quid refluos amnes, deductaque sydera Cœlo,
Aut Stygio Manes elicuisse lacu?
Nil anni est mutasse vices, nil ordine rupto
Icarias hyemem sustinuisse canes.
Nil alsisse polo Nemeæi signa Leonis,
Arsisse Iliacis sydera vecta rotis.
Talia dùm ludit numerosi Musa Terenti
Altiùs Hetruscis insonat alta modis.
Se dedunt elementa Viro, se versaque fata,
Cunctaque sunt fictis obsequiosa minis.
Nã dirũ ad murmur vulgus pauet omne silentũ,
Ipsa etiàm Eumenides, Styxque coacta tremit,
Vno, eodemque metu terrorque, pauorque, laborat.
Dùm semèl horrendo prouocat ore chaos.
At quæ nunc merces, quæ digno gloria plausu
Ingenio tanti sit satis apta Viri?
Hunc sibi stare parẽ magni sinit vmbra Maronis
Seù Superos cantu, seù Phlegetonta monet.

SERENISSIMO HETRVRIÆ PRINCIPI

COSMO TERTIO

Venetijs, & Gallia Cisalpina perlustratis Florentiam redeunti, dùm Hymnum Diuæ VIRGINIS offerret.

ELEGIA XVIII.

Dicta à Marco Antonio de Quarantottis.

DVm Princeps Auguste redis, atq. obuia latè
Effundunt reduci se tua regna tibi;

Vna-

Vnanimique omnis gratatur Hetruria cultu,
Et læto Domini flagrat amore sui;
Totaque nil cultu, nil Itala cedit amori
Tellus, nil magni quicquid vbique soli est;
Te totis ripis, toto pater Hadria ponto
Gauisus cultu detinuisse suo est.
Omnes Benaci Nymphæ, tibi Naiades omnes
Lusere explicitis per vada læta choris.
Medoacus, paruoquè ferens se flumine Rhenus
Certarunt donis te cumulasse suis.
At Pater Eridanus sacrum testatus honorem
Hospitis it summis obuius ipse vadis.
Continuòque canunt sacri per littora Cygni,
Summaque plaudentes excipit vnda Deas.
Heliadumque virent sicca iàm fronde capilli;
Nèc Phoebe in fratrem, nèc Phaetusa gemit.
Iàm nequè Lampetie madidis suspiria ramis
Testatur mæstis humida corticibus.
At noua populeæ sudant electra sorores,
Blandaque frondosis decidit vmbra comis.
Mincius Aonia redimitus tempora lauro
Obuius Augusto Mincius amne venit;
Cærulea comites Natà bis mille canistris,
Bis mille ingenti munere dona ferunt.
It famulis Ticinus aquis, it flumine toto,
Miraque fert patrij regia dona soli.
Nèc vitreus cessat tibi Parma affinibus vndis
Debita cum Nymphis munera ferre suis.
Hac intèr Princeps patrio iàm redditus Arno
Hæc quoquè Virgineæ munera Matris habe.

LVCÆ FRIGDIANO

Illustrissimo Vice-Rectori Academiæ Pisanæ,

Dùm cultam Elegiam obtulerat, introducto Neptuno de Argo Naue conquerente, officij causa respondet.

ELEGIA XIX.

Seù Perusina tenet fors nūc pulcherrima tellus,
Seù tenet inuicta te Thrasymenus aqua;
Iàmque ardens animis ignauæ obliuia Lethes
Exsuperas numeris ò Fridiane tuis;
Seraque mansuro moliri sæcula cantu,
Et famę æternum stat meruisse decus.
Immò nil cedis prisci iàm Vatibus aui,
Parque tuis Venus est, gloria parque modis.
Quìd referam? tu me victuro carmine vates
Tænariæ prohibes iura timere coli.
Hæc cape, quæ visa fertur Tritonide pinu
Neptunus summis sìc cecinisse vadis.
Æole Cymmerios, qui duro carcere fratres,
Qui premis imbriferos flamina dira Notos.
Hæc ego regna tuli quondàm, dùm sydera Frater,
Dùm Frater Stygias alter haberet opes.
Nèc nisì me norunt hæc hactenùs æquora Regem;
Nèc nisì sub nutu constitit vnda meo.
At nunc sors pelagi tecum diuisa manebit,
Si tua sit captis ira secunda meis.
En Danai Iuuenes, ductor Pagaseus Iason
Æquora victrici rupit inulta trabe.

In-

Insultat pelago Typhis , dictisque superbis
Victorem domito iactat adesse mari .
Facta via est . Idæ desertis collibus audet
Quæ libet in nostras currere pinus aquas .
Intereà liquidis armenta inclusa latebris ,
Carpathiusque senex ad noua monstra pauet .
Se timida mersere imis Nereides vndis ,
Inque latent scopulis Numina Glauca suis .
His occurre malis, victos Rex Æole fluctus
Fac luat euersa naufraga turba rate .
Hùc Euros, Boreamque, Notosq; immitte furẽtes,
Et discors toto sibilet ira freto .
Ipse nouam pelago rabiem, dirasque procellas ,
Ipse addam toti mille pericla salo .
Stat cęlare vndis ruptura Ceraunia puppes,
Stat dira in medijs tollere saxa fretis ;
Virgineumque femur centum sonitura molossis
Exeret Ionio Scylla timenda mari .
Hinc dira rabies aderit Spartana malea,
Hac erit Oebalias mergere docta rates;
Concurrentque arctis monitæ Symplegades vndis
Siqua per angustas prora feretur aquas .
Sic (ò fata velint !) stat vela auertere ponto .
Hæc ait; & salsis se Deus abdit aquis.

SAN-

SANCTVS PAVLVS

In itinere Damasceno Diuino monitu conuersus, in ipsa oborta tempestate sìc loquitur.

ELEGIA XX.

Dicta à Ioanne Dominico Vernacci.

HEì mihi, quæ toto tempestas horrida Cælo,
Quæ noua sic nimbis acta procella ruit?
Tàm diris nunquàm sonuit mugitibus Æther;
Heù simul à gemino personat Axe fragor!
Heù medijs nimbis medius se pandit Olympus;
Et morem in pluuiæ decidit ignis aquæ!
Sulphureaque faces, & tortis fulmina telis
Vsquè ardent toto præcipitata polo!
Cor tremit. Aerias hoc ipso tramite pinus,
Hoc ipso quercus flamma trisulca ferit.
Me circà frutices illapsis ignibus ardent;
Circà sydereo sulphure fumat humus.
Et latus hoc ardens circumsonat vndiq; fulgur;
Me furor irati fors petit iste poli?
Hoc caput ò Superi tanto deposcitur igni?
Hoc mea mens læuo Numine tentat iter?
Inuisoque Astris petitur nunc alta Damascus?
Heù petitur! sacro tangimur igne poli.
Tangimur, & media præceps reuolutus arena
Nequicquàm cæco lumine quæro diem.
Iàm scelerum piget. O' Summi Regnator Olimpi
Sim tuus; Ah præsens da tua iussa sequi.

IN

IN VALERII CHIMENTELLII VIRI CLARISSIMI,

Omniumque Arbitri litterarum obitu threnodia.

Dedita nostra opera hæc Elegia ab alijs stylo, & charactere differt, quod te Lector ignorare nolui.

ELEGIA XXI.

Dicta à Philippo Gaspare de Sancassianis.

INnocui Cineres dùm luget maxima Flora,
Et mæsta irriguis vsquè madet lacrymis,
Et diram incusat Lachesin, dirasque sorores,
Et iura immitis tristia Persophones
Exagitat mæstis intèr lamenta querelis;
Me sinite, & luctus hùc quoquè ferre meos.
Nã mihi nèc Rhodope glacialibus horrida nimbis
Nèc Patria est Lybicis addita littoribus;
Vt siccis oculis hæc funera tanta videre,
Et possim in nullos soluere me gemitus.
Spontè sua fletur cùm quis decor occidit æui,
Et semèl extremo palluit vmbra rogo.
Tùm propiùs, propiùsque animos, & corda dolore
Incendit virtus, siqua sui domitrix
Fati, siqua potest Lethen vicisse superstes,
Iàm famæ, & laudis conscia perpetuæ.
Ah Valeri laus Romana pulcherrima Suadæ,
Et laus Argiuæ maxima Mnemosynes,

Sic nedùm canis, nedùm aduentante sene ætà
Occidis, & procul hinc plausibus è medijs,
Quos Itala ora dedit, quos ipsa Europa merenti
Ad Supera euadis limina Cœlicolum!
At qualis Niobe crudeli saucia luctu,
Et tot Natorum perdita funeribus;
Dùm questus omnes nequicquàm effudit in auras,
Nequicquàm surdis irrita Cœlitibus
Lamenta, extremoque riget iàm frigida luctu;
Ah misera æternos liquitur in latices;
Qui Sipyli assidua quoquè nunc de rupe voluti
Testantur liquido murmure mæstitiem.
Aùt ipsæ Heliades dùm fratrem è nubibus altis,
Heù fratrem percussum ignibus Æthereis
Videre Eridani sub toto gurgite mergi,
At non iàm comptis crinibus, Heliades.
Lampetie Superos, Superos Phaetusa, Iouemque
Armatum telis fulminis alitibus.
Nequicquàm incusant miseræ. Suspiria venti
Vicinis voluunt irrita littoribus.
Nèc lamentis Tænario reuocatur ab Orco,
Nèc campis frater redditur Elysijs.
Ollæ autèm arboreis celata corpora ramis
Heù marent madidis nunc quoquè corticibus.
Sic nos, ò Valeri, curis hìc tristibus acti
Assiduas mæsti soluimur in lacrymas.
Nàm tu gratus amor, Tyrrhena & gloria Genti,
Nec non Musarum tu decus Ausonidum,
Lausque alta Europæ, priscis dùm digna canebas
Argolicis, priscis dignaque Romulidis.
At nunc ille canor silet? æternumque silebit
Ille ardens Graio spiritus eloquio?
Tyrrheni colles, Tyrrhenæ & vallibus vmbræ
Fleuere

Fleuere in mæstis iugiter exequijs.
Fleuere Ausonij eum ripis tristibus amnes,
Fleuere & medio gurgite Najades.
Quin etiam emersæ pelago Nereides alto
Audita æquoreis luctibus ingemere.
Ceu quondam Halcyones Boreali turbine fætus
Mersuris plorant ire sub æquoribus.
Hæc tamen, hæc Valeri tu das solatia luctu,
Quod potis inuita es viuere Persephona.
Ingenij monumenta tui victura supersunt,
Quæ nulla est tenebris obruitura dies.
Famæ sique tuæ par vita, æuumque stetisset,
Dilata in summam sint tua fata diem.

DE SANCTO PROCVLO,

Et ipsius Martyrio apud Bononiam.

Ad Clarissimum, & Excellentissimum Virum

FEDERICVM NOMI

Collegij, vt dicunt, Sapientiæ Pisanæ Rectorem.

ELEGIA XXI.

INgens Pegasidum columen, Federice, Dearum,
Cui proprio Charites ore dedere loqui;
Cui numeris rediuiua nouis se debet Horatî

Mel-

Melpomene, Thuſcis, quod modò Thuſca canit.
Si quæ de Proculo iuuenili luſimus æuo
Diù neglecta mihi, nunc placuere tibi,
Sint tua. Sìc Proculus reddit ſua dicta Tyranno,
Dùm vocat æternos Numina priſca Deos.
Numina quæ tenebris Acheruſias obruit vnda,
Hæc formidandos eſſe putabo Deos?
His mea ſacrilegum dabit impia dextera fumum,
Et cadet à manibus victima cæſa meis?
Antè velim ſubito rapiar telluris hiatu,
Quàm mea tàm dirum dextera tentet opus.
Munera nulla lito, tàm ſæua altaria nunquàm
Ardebunt flammis ambitioſa meis.
Iſta meos animos tenet inconcuſſa voluntas,
Nèc prece, nèc pretio, nèc ſuperanda minis.
Nil timeo plagas, nil ferre immania vincla;
Eſt aliquid ſancta prò pietate mori.
Sìc ſemèl occubuit Diuùm ſinè crimine Rector,
Quàm bona ſeruatis Victima facta reis!
Sìc quoquè Tarſiadi ceruix onerata catenis,
Vitaque pro ſancta ſic benè rapta Fide.
Ardet, & à flamma Iuuenis proclamat Iberus,
Hoc ſatis eſt aſſum, verte Tyranne, latus.
Me quoquè, ſi libuit, crudelibus vrite flammis,
Eſt mihi, qui flammas perferat, altus Amor.
Seù libet hoc imo corpus demergite ponto;
Obruar æquorea non ego totus aqua.
Pars melior noſtri, quæ fata atrocia temnit,
Ipſa triumphatis aſtra ſubibit aquis.
Seù furor eſt laqueo periturum nectite collum,
Membraque diuerſis dilacerate rotis.
Omnia perpetiar quæcumque inimica tyrannis
Afferet in pœnas ingenioſa meas.

Hæc

Hæc Proculus. Dudùm rabibus sinè voce Tyrãnus
Fulmineum toruo lumen in orbe rotat;
Et modò colliso substrident verbere dentes,
Et modò concussas erigit ira comas.
(Sic olìm Getula fremit per deuia tygris
Cùm medium rupit Caucasis hasta latus.)
Perfidus exclamat violatis victima Diuis
Occubet, infandum decidat ense caput.
Colle minor locus est, campis tamèn altior extat
Non procùl à muris Felsina prisca tuis.
Area curua subest, humili de vertice pendens,
Ponè stat hamatis inuia sylua rubis.
Hùc vbì peruentum, quò vinctas tendere palmas
Non potuit, C: lo lumina bina tulit.
Atque ità cum lacrymis per læta fluentibus ora
O' Deus, ò morti Vita futura meæ;
Lætus, ait, morior prò te mitissime rerum,
O' animo penitùs Diue recepte meo.
Te memini quondàm pro me maiora tulisse;
Hei mea quod non sit pœna seuera magis.
Hoc tamèn ex humeris, quòd mòx caput auferet ensis,
Id precor in nostri pignus amoris habe.
Talibus oranti niueis ceruicibus ensis
Insonuit, præceps diripuitque caput.
Sed vidui mansere artus, truncumque cadauer
Hoc stetit erectum, quo stetit antè, loco.
Omnibus impallet trepida formidine vultus,
Pars consternato rapta silere metu;
Pars damnare Deos, atque impia temnere sacra,
Pars ait insontem Numina nolle mori.
Iàm quoquè turbato fit lenior ira Tyranno,
Et propè mandatam pœnitet esse necem.

Cùm dubitat magico nè quæ fallacia cantu,
Nè fallax oculis erret imago suis.
En aliud monstrum! quærit sua pignora ceruix,
Tollunt exanimes tempora secta manus.
Quodq. tulit ceruix præfert manus vtraq. pondus;
Quid Procule? hæc alio pondera necte loco.
Da sua ceruici, non sunt hæc munia dextræ?
Hoc meliùs ceruix sustinuisset onus.
Vt graditur, firmisque mouet vestigia plantis,
Vtque eadem relegit compita nota viæ.
Turba ruit confusa, premit, premiturq; viro vir,
Pesque teritque pedem, pes teriturque pede.
Mixta senum, iuuenumque ætas, matresque, nurusque
Vsquè adeò cunctis addita cura sequi.
Intereà lætumque caput, cubituraque funus
Ponit in herboso mollitèr ossa thoro.
Primi omen sensere loci, lapsumque cadauer
Hoc sancto comites composuere loco.
Tùm varios passim flores, laurumque virentem,
Primaque adorato dona tulere rogo.
Exiguamque addunt ædem, statuuntq; frequentes
Vrere votiuis annua thura sacris.
Hæc olim. Nunc Sancta illi de marmore templa,
Sanctaque Mygdonio structa sepulchra tholo.
Prodigij memores, cùm lux redit annua Diui,
Hæc petite innocuo limina casta pede.
Vnica nunc cura est patrio sua Felsina Diuo
Vos ad tàm Sanctum vertite vota virum.
Vos donis cumulate aras, Cineresque beatos,
Vt Proculi precibus sint fera fata procùl.

NO-

NOBILI, & GENEROSO IVVENI
IO:BAPTISTÆ SAMINIATI
PATRITIO LVCENSI,

Dùm summum in Iurisprudentia gradum consequeretur.

Astreæ, Themidisque colloquia.

ELEGIA XXIII.

Astr. T*Am citò rupta quies? vix Indo Aurora cubili*
Euehitur; nedùm sydera pontus habet.
Cui Dea cœlesti sic lucida vadis in auro,
Cui geminas lances dona futura paras?
Euganeasnè petis Troiani Antenoris arces,
Aut vocat Augusta te Thrasymenus aqua?
An rupes Tarpæa placet, dilectaque Diuis,
Pulchra triũphali qua fluit vnda Tybri?
The. *Tu quoq; sydereos sume ò mea filia cultus,*
Et sint in manibus laurea dona tuis.
Non alij latices, quàm Thusca fluenta vocarunt;
Meta viæ Alphea laurifer Arnus aquæ.
Vt Nympha in ripa comptis sedere capillis!
Vt Iuueni Æsareo Thusca Iuuenta fauet!
Astr. *Subsequimur Dea; nunc vultus, nunc oraque tota*
Agnoui, meus est cura vetusta puer.
Hæc est illa domus, si priscum euoluimus æuum,

Ex

Ex qua tot nostri lumina nata fori.
Hac laude antiqui semper viguere penates,
Et viget à prisca nobilitate genus.
Est Genitor Laurens Patriæ bis voce loquutus,
Dùm procùl Arctoi Cæsaris ora subit.
Dùm Regem affatur, gemino qui præsidet Axi,
Pròque ipso in terris sceptra Tonante gerit.
Vt Pater hìc totus, virtusque insignis Auorum
Hoc vno rursùs redditur in Iuuene!
Quod decus hinc nobis, ingens quæ gloria surgit,
Laus olim Patriæ quanta futura suæ est!
Tu Dea nunc Iuueni da dona insignia famæ;
Vix magè dignus erit cui tua dona dabis.

FINIS.

PETRI ADRIANI
VANDEN BROECKE BELGÆ
Odæ, Epigrammata, & alia.

AD CLARISSIMVM VIRVM
IOANNEM FRANCISCVM
ABERCROMBI
E' Sancti Benedicti Ordine Decanum
Casinensem,
In Alma Academia Pisana Philosophiæ
Professorem Ordinarium.

CLARISSIMO VIRO
IOANNI FRANCISCO ABERCROMBI

E' S. Benedicti Ordine Decano Casinensi in Alma Academia Pisana Philosophię Professori Ordinario

S. P. D.

PETRVS ADRIANVS VANDEN BROECKE.

CVM hìc primum de tua egregia apùd Ianuenses laude nuntius percrebresceret, ac paulò post de tuo hùc Pisas aduẽtu certiores redderemur, haùd facile sit verbis exprimere quanta animo meo repentè lætitia oborta sit, quantumque mihimetipsi gratulatus sim, quòd eiusmodi sors, quam diù antè cupidissimè optaram, tandèm obtigisset, ìdest, vt aliquem ex hominibus transalpinis, nomine, ac doctrina florentem possim mihi obsequio deuincire, eiusque consuetudine, quæ mihi non nisi honorifica esse queat, in primis vterer. At herclè tua egregia humanitas huius mei erga te studij significationem

non sine quadam erubescentia mea amãtèr preuenit; nàm ipso statìm aduentus tui initio ea mihi beneuolentię signa ostendisti, quę non aliundè, quám ab optimę naturę bonitate proficisci potuerũt; idque candidæ familiaritatis specimen edidisti, quod iam noua amicitia maius veterem potuit animorum coniunctionem, quæ tamèn nunquàm pręcessit, facilè inter vtrumque præcessisse indicare. Ego certè Superis hoc ipso nomine gratias egi: Quis enim bonus consuetudine optimorum non delectetur? & quis in Septentrione natus non gaudeat præstantes ex eodem Septentrione viros in Italia, id est in clarissimo Orbis terræ tractu, ac omnium virtutum, disciplinarumque altrice Prouincia, hìc etiam doctrinę nomine honestatos aspicere? cùm verò tacitè mecum cogitarem, an prętèr intimæ meę ergà te voluntatis studia præstare aliquid possim, quod mea quoquè ex parte intimę necessitudini nostræ confirmandę vel pignus accederet, vel animi saltèm officiosi testimonium preseferret, commodum accidit, vt in ipsa, quam adorno, editione ea lucubrationum mearum pars, quę ad Epigrammata

mata, & Odas pertineret, ſuo vacua patrono relicta ſit. Hanc prestantiſſimo tuo nomini continuò inſcribendam eſſe putaui, quòd in primis ſcirem sìc & deſiderium meum expleri, & aliquod fortaſsè cultus in te mei pignus ad ipſos Poſteros peruenturum. Ratus preterea fui ea, quę ab amico homine offeruntur, tibi amiciſſimo Patrono, quique his quoquè litteris mirificè excellis, haùd ingrata poſſe accidere. Acceſſit ſpes aliqua aurę Septentrionalis, quam mihi videor à maxima Inſularum Europę Britannia, tuęquè inprimis claritate doctrinæ ſperare poſſe; nàm Londinum Angliæ primaria, & regnatrix ciuitas, tibi lucem, ſibi ſplendorem, quo nunc refulges, olìm prębuit. Ædenburgi verò regni Scotiæ prima, ampliſſimaque Ciuitate cum eò á parentibus tuis, quamquàm varia fortunæ, temporumque iniquitate iactatis, tamèn, vt à pluribus fide dignis hominibus accepi, auiti ſanguinis ſplendore clariſſimis, remigratum eſſet, in annum duodecimũ educatus es. Poſt Lutetię Pariſiorum liberalibus diſciplinis apprimè excultus, Galliam Ciſalpinam attigiſti, ac Parmę no-

bilissima omnium virtutum sede egregio tibi in ijs disciplinis, quæ ad rerum naturalium, Diuinarumque cognitionem spectant, prȩsidio comparato, mira ex templo laude floruisti. Tùm Italia, ac magna Europæ parte perlustrata, cùm domesticam claritatem Euangelici fœderis consilio posthaberes Christo Optimo Maximo, Diuoque Benedicto mortalis tuȩ vitȩ curriculum religiosè consecrasti. Sed cùm virtus quò magis latere cupit, eò minùs latere possit, factũ est, vt sparsa tui nominis laude ab ipsis Religionis tuȩ Præsidibus præclaris, honestisque muneribus sis adhibitus; multos enìm annos Florentiȩ, atque Genuæ profitendȩ Philosophiæ, ac ipsius Theologiæ prouinciam cum studiose iuuentutis incredibili fructu, tuique nominis splendore obivisti. Quo circà cùm præstantissimȩ virtutis tuȩ fama quotidiè magis ab hominibus doctis celebraretur, ipsi Serenissimi Principes Magnus Hetruriæ Dux Cosmus Tertius, ac Cardinalis Mediceus te intèr primòs, qui in hac alma Academia Philosophiam profitentur Doctores, adlegerunt, non sinè magna tractus nostri Septentrionalis
laude

laude, & gloria. Hunc itaquè tibi honorem faustum, felicemque ex intimis animi mei sensibus gratulor; simulque etiàm, atquè etiàm à te peto, vt & hoc tenuissimum munus, & animum meum in hac recenti necessitudine nostra tanquàm iàm vetere, & multis annis confirmata amicitia libentèr agnoscas. Salue mi clarissime Abercrombi, eximium nostri Septentrionis decus, meque tuę summę virtuti deditissimum, vt facis, ama. Vale.

Pisis postridie Kalendas Maij
CIↃ IↃC LXXII.

ODE
Ad S. RAINERIVM,
& pro ope impetranda aduersùs Turcas.

O Qui sub alto non nouus Æthere
Ciuis refulges, hùc propiùs Pater,
Dùm thura, dùm sanctos honores
Ritè tuis adolemus aris,
Secundus adsis. Hìc pueri canunt,
Hìc te puellæ. Tu mala deijcis
Tormenta morborum in supremo
Perfugium, columenque luctu.
Tu sæpè diro funera dissipas
Gliscente letho; tu precibus potes,
Si quandò Rex Diuûm coruscat
Alitibus ruitura flammis
Tela, & rubentis fulmina dexteræ
Vertisse rotis. Quin scelerum piget
Si quandò sontes, si dolore
Æthereo tetigere pectus,
Si versi ad Axem iàm lacrymis madent,
Per te impetrandæ stat veniæ locus.
At Diue nunc adsis supremis
Auxilio propiore rebus.
Viden? niuali quis globus heu virùm
Descendit Hæmo? quis Geticus furor
Armorum? vt insano tumultu
Threijcij fremit ora ponti!

It Maura pubes, itque Asia phalanx
Densata ferro. Hinc stringit Acinaces
Horrenda Medorum caterua;
Hinc Phario ruit à Canopo
Omnis Tyranno subdita barbaro
Iuuenta. Totas hinc Oriens trahit
Vires, & Arctoo supremum
Excidium minitatur Axi.
Ah Numen ad nos tu precibus Pater,
Tu flecte votis. Occidat Africæ
Regnator, & dira phalanges
Pannonijs cumulata clades
Sternantur agris; prò Tyberi, & fide,
Et Austriorum sanguine militet
Victurus Æther, si Gradiuum
Danubio Superi secundent.

ODE

De Niue Exquilina cum vaticinio Nympharum.

QVid fonte flauo sic Tyberinides
Cessatur? altas diù supèr Ilia
Apparuit iàm vndas, suisnè
Tybridis incomitata coniux
Ouet puellis? ociùs, ociùs
Imbuta conchis mittite vellera,
Pelles nèc Indas, nèc Sicanas

Sy-

Sydonio maculetis ostro.
Audimur. Ingens fit strepitus lacu,
Tremitque motis glauca sedilibus
Spelunca; tèr dulci tumultu,
Tèr fremitu, insolitum, secundo,
Tèr risibus flaua exsonuit domus.
Emergit omnis Nereidum chorus,
Fauensque Natarum triumpho
It placida Tyberinus vnda?
Feruntur amni candida corpora
Nunc colligatis orbibus in vicem,
Nunc rursùm apertis per fluenta
Nexilibus saliunt choreis.
Quales ad audax Oceanitides
Lusere rostrum. Thessalicæ ratis,
Cùm prima vox prora loquentis
Est medio celebrata ponto.
Ollæ insolentis prodigia Ætheris,
Nemusque miris fulgere roribus,
Geluque miratæ Exquilinum
Continuò cecinere fata.
Aui secunda depluitis polo
Portenta, non his candida sedibus
Dis absquè sic æstu flagrante
In niueo micuistis imbre.
Intaminata hæc signa Puerperæ
Hi fœti honores Virginis integræ.
O' Iliæ sanguis vetustus,
Claraque posteritas Gradiui,
Has thure Romano, & viridi rosa
Donate sedes. Hìc teget aurea
Niuale delubrum corona,
Hic Dea, palmiferaque Idumes

 Amica

Amica custos nominis Itali
Sedebit. Indos cernimus vltimos
Has antè venturas columnas
Ponere Memnonias pharetras;
Seròque tandèm Tracia concidet
Deleta ferro. Cælicolæ annuunt
Ad Sceptra supplex Vaticana
Bistonius veniet Tyrannus.

ODE

Eiusdem ferè argumenti.

SEù maximorum maxima Cælitum
Fortassè priscum nunc Capitolium,
Arcesque despectas Quiritum,
Hùc ades, Exquiliјs honorem
Hìc stirps Quirini destinat annuum
Tibi dicatum Barbiton audies,
Tibi canorum. Qui recessus?
Quò rapior nouus hospes Æthræ?
Fugit relictum sub pedibus solum,
Vt ipsa ponti cærula vastitas
Decrescit in lymphas minores
Et minimo glomerata puncto
Tellus recedens ex oculis abit!
At quanta stellis corpora! quæ feræ!
Omnes coruscæ, omnes minaces,
Præcipitique polo rotatæ!
Nosco vetustum ex Icaria domo

Canem

Canem; cicatrix est quoque Manalæ
Nunc in Leone, est torta ceruix
Herculea trabe verberata.
At mixta sacro quæ metui pauet
Volupta pectus? Ianua panditur
Æterna Diuorum, audioque
Cardinibus streperis metalla
Illisa posti. Mille acies polo,
Millena Diuùm millia Cœlitum,
Virgoque descendit superba
Quadrijugo super astra curru.
Nix insueto labitur Æthere,
Mergitque fontes, queis Cythereia,
Queis vrit infestus Cupido
Corda hominum peritura, flammas;
Stabitque posthàc Parthenijs iugis
Candens trophæum, dum Venus, & Puer
Perennè cùm victa pharetra
Sub niuibus latet Exquilinis.

CLARISSIMO VIRO

ODOARDO TOMANSIO

CIVI FLORENTINO,

Cùm supremum in Iurisprudentia gradum consequeretur.

Themidis Vaticinium.

DVm fata pango credite posteri,
Vanus labos est, stat sua cuilibet

Innata Virtus; quemque nostris
Consilijs semèl euocaui
Catum ministrum; non iuga Thraciæ,
Aùt prisca nigri littora Memnonis
Viset, peregrinosuè saltus
Assyriæ intrepidus viator.
Non ille auaram per mare Noricum
Aget carinam, nèc freta naufrago
Ditabit auro, nèc trementi
Carpathium bibet ore pontum.
Non si tubarum clangor inhorruit
In prælıantes ipse animosior
Ruet maniplos, aùt Latinis
Vinciet Ismarios catenis;
Rursumuè Tybri Bistonias opes
Reddet, superbique inclyta Cecropis
Vrbi redonabit Quiritum
Mænia cum populis subactis.
Sed eleganti quam Sapientiæ
Deuouit ætatem in memores, trahet
Æui secuturi tabellas.
Surge animis meus ò Sacerdos,
Tuis stat ingens æqua laboribus
Parata merces, iàm lateri tuo
Hærent honores, nescio quid
Flora tibi meditetur amplum.

ODE

ODE

In laudem SCOTI.

Dictà à Iacobo Maria Gherardi.

Qualis in aerias nubes, & sydera tendit
Ales ministra fulminis, nèc arduas
Ventorum tranare domos, nèc præcipitem Axem
Pauet, nec audax monstra declinat poli,
Sed totum Titana, iubarque, ignesque coruscos
Admittit audax lumine indomabili;
Eoliamque procul Lyparen despectat, ouansque
Suo Tonanti tela Cyclopum exhibet.
Ignea mens Scoti talis, mens Æthere toto
Imbuta, vix toto Æthere, & Cœlo minor.
Ignea se Superis miscet, nèc patria tellus,
Nèc ipsa Thule meta terrarum tenet.
Hinc ignota subit syluis felicibus arua,
Nemusque ramis obsitum fatalibus.
Hìc amborum hominum vestigia noxia fleuit,
Fleuit dolosum Tanari Aspidem sacris
Implicitum ramis, fleuit discrimina terris
Illata, & vno crimine amißum Genus.
Ast uni didicit fata ignouisse puella,
Quæ olim Tonantem labe deleta daret.

DE IMMACVLATA CONCEPTIONE DEIPARAE VIRGINIS.

SI tibi nocturni concedunt Sydera Cœli,
Cedit & auratis Cynthia vecta rotis;
Cedit & Eoo, qui nascitur æquore Titan,
Quique sub occiduam Dorida fessus abit.
Sique Æther totus cedit, si quicquid vbiquè est,
Et tantum æterno sis minor ipsa Deo;
Cedet triste nefas Patrum, labesque vetusta
Cedet, & in cunis non erit illa tuis.

ILLVSTRISS., ac REVERENDISS. D. D. STEPHANO, ABBATI GRADIO,

Cùm illi suos Iambos de Diua Teresia offerret.

PRæsidiū mihi dulce Gradi, lausq. alta Quirinæ
Palladis, Ausonijs, Graijsque haud Vatibus impar
Vates, quem diù sublimi fama ardua laude
Europæ per regna canit, seroquè sub æuo
Vsquè magis duplici clarum quoquè differet Axe.

Cùm

Cùm tibi multiplici deuinctus munere viuam,
Vlla nèc ipse queam prò munere dona referre;
Hi saltèm numeri monumentũ, & pignus amoris
Sint nostri, totoque admitte hanc pectore Diuam,
Quà vix Hesperiæ tellus, vix ardua rupes
Carmeli, seù maius habet, seù Sanctius effert.

AD SANCTAM VIRGINEM
TERESIAM
Religionis Carmelitanæ discalceatæ fundatricem

IAMBVS.

Præcipua illius sanctæ vitæ elogia complectens.

PVellula Afrum littus, & Nomadas truces
Fuga petisses, si datus fugæ locus,
Vitamque, sanguinemque per Maurum nefas
Fudisse auebas Cœlitum Regi hostia,
Ætate iàm maior tua, & soli Ætheri
Affixa pectus. Nullius culpæ rea
Rea plurium tibi visa, quod planè intimo,
Summoque amore iuncta tu esses Numini.
Tua te Virago in membra multiplici iuuat
Sæuisse tormento; precibus, & lacrymis teri
Aßueta sæpè nox. Nec ipsa verbere

Cessas

Cessas cruento auellere artus artubus;
Plagasque hiantes veste post rigida tegis.
Dura omnia optans, aùt pati, aùt mori cupis;
Ætherque fauit. Morbus assiduus comes
Viua adfuit molestus acer; sed tamen
Quò magè molestus ille, læta in magis
Ferendo victrix. Mens tua arduo Ætheri
Illata crebrò, dùm rigent membra omnia
Sublata humo procùl, sacris sc gaudijs
Cœlestium implens fruitur affatu Dei.
Dijque Amoris Nupta regia, & parens
Christi videndam se tibi crebra obtulit,
Gemmisque pallam, auroq; sydereo grauem
Monumentum amoris, ac sui pignus dedit.
Tu prima laudi, gloriæque verticem
Carmeli auitæ reddis. Antiquus rigor,
Et prisca vitæ sanctior seueritas
Tibi reducta; te auspice, ac superstite
Tèr dena, & ampliùs, sacrata Virginum
Stetere claustra, quæ per Europæ procùl
Nunc sparsa fines laudis egregiæ decus
Latè obtinent. Ventura prænosse omnia
Diuinitùs datum tibi, diuinitùs
Scripta exarare, tota queis pietas inest,
Amorque totus Numini additus suo.
O' Virgo præsens vltima Hesperiæ decus
Vi morbi adacta haùd reddis exuuias solo,
Sed Dio Amore cordis antiquo hospite
Ægra anima flagrans vincula abrupit sua.
Cineres præisse haùd signa cessant, aùt sequi
Tuos: Repentè ad funus euiruit nouis
Diù sicca folijs planta: tuque candidæ
Collecta in os columbæ iter ad Axem secas;
Pro-

Propiùsque castas nunc preces mortalium
Audis, rata & sua cuique spes, vota & rata,
Si pronus Aræ aduoluitur supplex tua.

AD SANCTAM

ERMENILDAM

Merciȩ in Britannia Reginam.

Votum pro Anglia.

QVos atra Styx, & dira relligio Deos
Mentita dixit, quæque per vulgus sacra
Abominata sparsit, olim te auspice
Regina regno Mercia eiecit tuo;
Stetitque posthàc regna per Britanniæ
Persuasio Quiritium, & diù fides
Intaminata fulsit, ipsique Ætheri
Persæpè Cælites nouos Sanctus labos.
Et Christiana integritas morum intulit.
Donèc noua Inferis ab ipsis prodijt
Opinionum pestis, atrox, perfida,
Veri hostis, ac falsi tenax, quæ nunc dolo
Captos Britannos, proh pudor! gentem inclytam,
Claramque Diuis ipsa ab Ætherea Domo
Procùl remouit, & Sacra impio pede
Romana calcat. Alterum hoc Patria nefas
O' rursus Ermenilda da Stygio specu
Mergi, Inferisque da scelus reddi suis.
Da cor Britannis (freta Numine id potes)

Illu-

Illuminatum, da hospitam caliginem
Animarum ad almum lucis æternæ iubar
Pulsam redire in noctis æternæ chaos;
Captamque fraude perfida Britanniam
Vni omnium Patri, ac sacrorum Antistiti
Reddi Latino. Id solum ab Æthere poscimus.

AD SANCTISSIMAM

VIRGINEM MARIAM.

Nunquàm ipsius láudes satìs exprimi posse.

SI toto fiam vox sola è corpore, sique
In me linguæ omnes, omniaq; ora sonent,
Non tamèn ipse tuas sic possim euoluere laudes,
Namque omni maior laus tua laude manet.

MARIA, idest illuminatrix.

VNica post Dium lux ò pulcherrima Natum
Irradia culpis pectora cæca suis.

MARIA, idest Stella Maris.

NE dubita æquoreis cõmittere carbasa vẽtis,
Aut metue irati crimina multa sali.
Nauita solue ratem; sub tali sydere nunquàm
Vndoso perijt naufraga cymba mari.

MA-

MARIA, ideſt Domina.

SI Cælum, tellusſque tibi, ſique omnia parent,
Pareat & Dominæ mens mea tota tibi.

MARIA, ideſt Mare amarum.

O' Quæ obitu in Nati ſenſiſti mille dolores,
Saucia fac Dio corda dolore geram.

MARIA, ideſt Illuminata.

NIl par, nilq; tibi ſimile eſt caſtiſſima Virgo,
Nil Cælum à magno Numine maius habet.
Nàm quæ Diui omnes habuere ex Æthere dona,
Hæc tua ſunt, & plus omnibus vna tenes.

VIRGO Salutaris.

SI ſolet à miſeris ſontes auertere culpas,
Cunctaque Cœleſti crimina delet ope;
Si rata ſunt Proli Diuina vota Parentis,
Nonnè eſt prima Deus, Virgo ſecunda ſalus?

VIRGO Mater.

DVm teneros artus dat paruo Virgo Tonanti,
Dum parit, à partu caſtaque tota manet:
Tũc Natura inquit, meus hìc vel naſcitur Author,
Vel quæ me potuit vincere Virgo, Dea eſt.

S. MI-

SANCTVS MICHAEL

ARCHANGELVS

Gladium Abrahæ auertit.

Libratum auertis Nati ceruicibus ensem,
Dum Genitor Dio Natum postponit Amori.

VIRGINEM

Deum parituram in medio rubeto ardens pręmonstrat.

TV Pharijs flammis illæso in stipite flagrans
Signasti intactum Dia Genitricis honorem.

APOSTOLORVM PRINCIPEM è vinculis educit.

QVin etiàm æratos postes, ac horrida claustra
Deijcis, & Vatem nocturno è carcere soluis.

Sagittam ad configendum taurum retorquet.

TEli author telo per te cadit ipse retorto;
Pascitur at placidus Gargano in monte iuuencus.

HE-

HETRVRIA
IN NATALI SERENISS. PRINCIPIS SVI
FERDINANDI III.
Indicit publicos plausus.
IAMBI PVRI.

Dicti à Ioanne Baptista Benesia.

BEnè est. Vtroque ab Axe, vtroque ab Æthere,
Domoque vtraque Solis hìc mihi omnibus
Fauetur ignibus poli. Sed antè tot
Corusca signa, quæ Æthere in sacro micant,
Tot igneas faces, tot astra duplici
Rotata iugitèr polo, fauent mihi
Hetrusca sydera addita optimo Ioui,
Meis secunda Sydera vsquè Regibus.
Quid ergò cesso gaudia intima eloqui?
Suam beare dum Dì Hetruriam volunt;
Simulque Thusca regna Cœlites boni
Tuentur, ac magìs, magìsque muniunt
In omne tempus. Edita Imperl est salus
Noua, & renata Regijs parentibus
Sua est imago, cumque Germine inclyto
Vigere. Copia vbere affluens sinu,
Beata & ipsa faustitas modò vt viget,
Vigere post videbitur, magis quoquè,
Et amplius, si ad ampliùs gradus datur.
Sat hoc. Sed ò Hetrusca Gens mei incolæ,
Amici & hospites, Amici & aduenæ
Diem hanc sacrate gaudijs perennibus.

Cul-

Cultissimę, Suauissimæque Virgini

MARIÆ SELVAGIÆ BORGHINIÆ

CIVI PISANÆ

Pulchro huius ęui ornamento.

O' Decus Italidum, qua te cultissima Virgo
Laude canã? quæ laude viros transcendis, & altum
Iam meditata decus victura ad præmia famæ
Assurgis? tibi se Charites, Veneresque Latinæ
Certatìm dedunt; certatìm laurea serta
Aonides proprijs dant ferre ablata capillis.
Nàm si quid libuit numeris cecinisse superbis,
Haùd canis Arginis, Latijsuè minora puellis,
Quarum iàm laudi tua fama simillima surgit.
Cuncta tibi Natura parens arcana reclusit,
Virgineumque decus formæ præstantis honore
Extulit, vt pulchris Animæ nil dotibus absit.

IN CARMEN,

Quod de Leone Cœlesti

A' SEBASTIANO PISSINIO

VIRO CLARISSIMO

Elegantissimè conscriptum est.

De eodem Leone.

HIc fuit Arcadicis iniuria publica syluis,
Qui nunc Cœlesti flagrat in Axe Leo.

Non

Non tulit Alcides vidui lamenta Molorchi,
Tutaque non ulli Mænala rura pedi;
It contrà, vastaq; feram sub rupe latentem
Occupat; à forti bellua victa Deo est.
Sed nunc Æthereo rediuiua immaniùs Axe
Bacchatur, sæuas conglomeratque faces.
Nunc æstu, morbisque solum lethalibus implet,
Nec timet Herculeas, altera damna, manus.
At gemina Clarij victurus Apollinis arte
Pissinius vinci bis quoquè posse docet.
Huic Leo Cœlestis, Leo Mænalus occubet illi,
Parque sit Alcidæ, Pissinijque decus.

CLARISSIMO, AC EXCELLENTISS. VIRO
DOMINICO GASPARINI
MEDICO PRÆSTANTISSIMO.

SI quippiam fortassè nunc habes otI,
Tuaque ope est defensa Ciuibus rectè
Salus, & omnes exulant procùl morbi,
Aùt si reuersi sæuiunt, iubes ægro
Absistere actutùm thoro, & bona hinc laude
Te prædicant Ciues boni. Sed, vt dixi,
Si quippiam otI est, ad meas vaca nugas
Paulispèr, & quid apprehensio possit,
Labesque sensuum, cape hoc graui casu
Margitis, vmbra qui perit sua victus.

VM-

VMBRA MARGITIS TROIANI

Cùm ab ipso telis peteretur
sic respondet.

QVò ruis? Hæmonius qui Pergama vicit Achilles
In me tela ferat, tot quoq. tela feram.
Centum si vibrat, vibrabo spicula centum,
Nèc de me Æquoreo est palma futura Duci.
Tu me vane petis? tu vulnera dira minaris?
Eludo volucri vulnera cuncta fuga.
Sta quoquè tu, sæuis & nos accingimur armis,
Et sonat in manibus Dardanis hasta meis.
Iàm te confodio; tua te iàm deijcit vmbra,
Me miseram! ah nullo vulnere victus obis.

CLARISSIMO VIRO
LEONI SANTVCCIO
PATRITIO LVCENSI,
Dùm sibi
CLARISSIMI VIRI
IO:LAVRENT.LVCCHESINII
E' SOC. IESV
In Collegio Romano Rhetoricé profitentis
Librum planè aureum dono misisset.

ÆVi Quiritium, aureique sæculi
Tu dona mittis, quæ olìm Horatius libens
Vt

Vt sua probaret Flaccus, ità similis stylo
Stylus est, venusta & elegantia sua
Respondet elegantia omnibus modis
Venusta; puritati & ipsa puritas
Eloquij adest Quirina; visque eadem suo
Diues decore, vitia seù rodi palam,
Suamque sceleri laruam oportet detrahi,
Cultisuè fugiendum nefas carpi iocis.
Tibi ò diserta laus diserta Hetruriæ
Leo quid rependo? gratiæ, & verba omnia,
Quibus obsequia possim intima ostendere,
Minora longè isto aureo sunt munere.
Proindè posthàc deditum vsquè me tibi
Foré, & obligatum maximè semper scias.

CLARISSIMIS VIRIS

VINCENTIO PINI, & SEBASTIANO ANDREOZZI

PATRITIIS LVCENSIBVS.

ME nunc Quirini mœnia, & Tybrim piget
Liquisse, vos quandò vnici omniū Arbitri,
Et Promicondi gratiarum istic simùl
Nunc degitis, simùlque per viam sacram,
Perque fora, perque compita Vrbis Martia
Lateri vsquè vestro culta adhæret comitas,
Salesque culti, & vltrò amabiles ioci,

Queis temperatrix blanda se robustior
Miscet Suada, atq; addita excelsæ indoli
Decora Virtus, quâ ambo vos laude inclyti
Magìs, magìsque amamini à Quiritibus.
Ergò Quirini mœnia, & Tybrim piget
Liquisse, vobis quandò nunc absens procùl
Careo Patronis optimis, & intimis.

Nobilem, ac Generosum Iuuenem

LAELIVM ORSVCCI

PATRITIVM LVCENSEM

Calliope ad syluas Musarum inuitat.

INgredere? Aonidum lucos, viridantia Tempe
Aspicis? hìc resonant Bellerophontis aquæ.
Vt tremuli lapsus, gelidiq; leuesque susurri,
Et trepidat numeris hìc quoquè lympha suis!
Quìd cessas Læli? iuuet hac cecinisse sub vmbrà?
Hìc locus æterno post dabit ore loqui.
Audin? de resonis habitatrix garrula syluis
Vt reddit numeris vltima verba tuis!
En quoquè Pegaseæ lauri tua verba sequuntur,
Et plaudit motis Enthea sylua comis!
Hoc mihi sat. Themis alta suos quoquè spondet honores.
Tu Themidis pergas incubuisse sacris.

CLA-


CLARISSIMO VIRO

LAVRENTIO LEGATI

Grece Humanitatis Bononie Professori,

Post nobilissima Poemaria sibi dono missa respondet.

Mittenti Graias Veneres, Charitesq; iocosque,
Et quicquid Latij gens probet ipsa Soli,
Quid referam? nil; sed Charitesq; iocosq; rogabo,
Vt pro me grates persoluisse velint.



REVERENDISSIMO PATRI

ANGELICO APROSIO VENTIMIGLIA

Egregio huius æui ornamento, dùm lusum de personata illi offerret.

O Cui se Charites, risusq;, leposq;, salesque,
Atq; noui debet quicquid vbiquè ioci est,
His quæso in numeris noli expectare leporem;
At nostri Aprosi pignus amoris habe.

Respondet quędam personata roganti cur habitu virum mentiatur.

Ipsa Viri exuuias non Vir, sed fœmina gesto,
Et mea non cultu mentior ora meo.
Sed quare? insonti iuuat indulgere volupta,
Et fallo lepidos sic sinè labe dies.
Si tibi sint clype.q; agisq; videbere Pallas,
Vel sumptis iaculis esse Diana potes?
Si sit pelta tibi, manibus si missile telum,
Protinùs es Thusco Penthesilea solo?
Quid vultus formosa tegis, toruumque decorem
Ipsa Viri non Vir dissimulata refers?
Mens, & casus abest, tamen hac est sumpta figura,
An Natura aliquid dignius esse cupit?

LVCRETII MANES

Ad Clarissimum, & Excellentissimum Virum

ALEXANDRVM MARCHETTI

Philosophiæ in Academia Pisana Professorem Ordinarium alterum suæ laudis Authorem.

IO reuixi, non pigris ambagibus
Ætas abacta, aut ipsa Fatorum mora
Me sepsit aui vinclis; exurgimus

Ad

Ad lucis auras, sed perennes, sed nouas,
Quas nec vetustas immemor, nec temporum
Fuga insequentum, aut impotens obliuio
Absumat olim. Munus hoc totum tuum est
Marchette, lux tui superba sæculi,
Suadæq; robustæ, omniumq; ò Arbiter,
Et promiconde Gratiarum, nos tibi
Debemus vni nominis vitam noui,
Nouumq. per te gloriæ acceptum decus.
Prima theatrum laudis in Mauortia
Quæsiui, & inueni Vrbe fretus ingenI
Vi, nobiliq; corda succensus face.
Me post amore, & laude flagrantem noua
Per astra, perque duplicis Phœbi vias,
Omnemq; iuuit ire Naturam, ac sinus,
Causasq; causarumque nexus omnium
Tentare, quo me fama posthuma euehat.
Hæc olim. At omnis laus mihi, quæ maxima
Nunc afferetur Italis ab omnibus,
Tua est futura, nàm suauius loqui
Nunc me ore Hetrusco, quàm Latino prædicant;
Nec abnego ipse, quin tuis in posterum
Numeris, magis libenter vtar, quàm meis.



IACOBO ROSPIGLIOSIO
SANCTISSIMI D. N. D.
CLEMENTIS NONI
EX FRATRE NEPOTI
S. R. E. CARDINALI

Creato, in publica gratulatione, & plausu, Nymphæ etiam Arni Pisis honorem testantur.

Dictum à Iosepho de Rossis.

ARne etiã plausus Tyberinis plausibus adde;
Namq; una exoriens cum Tybride laberis unda,
Etsi alio post totus abis in Dorida lapsu,
Utrique exoritur communis causa triumphi;
Partum stat Latio columen, stat rebus Hetruscis.
Vix unquàm Tyrio se murice dignior ulla
Vestiuit Virtus, scit tota Europa, quid ingens
Seù pietas iàm nota Viri, seù viuidus ardor
Pro re Romana possit, quamq; indole tota
A' primo Patrui vestigia legerit auo,
Qui nunc pro Superis rerum præfectus habenis
Sceptra sacrata gerit, geminoq; æquissimus Axe
Imperia exercet Clemens, quiq; Æthera solus
Insontes claudit, vel verso cardine pandit.
Arne Pater cessas? formosis vultibus astra
Emicuere polo, flammis felicibus ardens
Iàm tota aspirat nocturnis plausibus Æthra.
Ut litui Alphei mixto clangore tubarum

In-

Insonuere! atram vincunt funalia noctem
Incensa, & festis latè ardent omnia flammis.
It plausus Cælo; nec fulgura læta per auras
Sulphureis cessant ardere innoxia nimbis.
Audimur. Flauenti Arnus se gurgite tollit,
Arnus, Tyrrheni centum cui flumina regni,
Et totidem magni latices, riuique perennes,
Pegasidumq; etiam nunc fons famulatur aquarũ;
Is toti gaudens partitur lumina pompæ,
Tum sparsum herbosa prensans uligine mentum,
Multaq. læta animo voluens in rupe propinqua
Vndosos artus, ac humida membra locauit.
At Nymphæ Alphęæ sertis viridantibus omnes
Velatæ crinem, pallamq; sinusq; fluentes
Succinctæ omnes, æternoq; decore iuuentę
Præstantes omnes, per mutua brachia nexa,
Implicitaq; manus haud cessant alite motu
Perpetuum longa littus celebrasse chorea,
Testariq; decus, Thuscumq; Heroa superbo
Euehere ad Superos cãtu. Vt quõdã Æthere ab alto
Promissa hæc spes, perfectiq; ambagibus æui
Nunc se tota Viri promissa ostendit imago;
Qui quãquàm excelso Tyrrhenũ à Sãguine cretus
Summas inter opes studijs genialibus æuum
Exigere, & placitæ posset læta otia vitæ
Amplecti, duros tamèn his præferre labores
Maluit, & sola virtute incendere pectus.
Nec placet vllus honos nisi qui sudore paratus,
Delata immeritæ non norit præmia laudi.
Hęc nempè illa via est, qua sese euexit ad Axem
Maiestas Patrui, quo nunc nil maius ab alto,
Quacumq; euehitur, Titan despectat Olympo.
Tum varias addunt curas, obitosque labores,

Seù mos officij, seù res Romana poposcit.
Vt procùl Ausonijs extrema in Belgidis ora
Interpres summi nutus, solijque Latini
Præfuit, & populi sublatus ad Æthera laude.
Atq; adeò refluo Scaldis quà maximus amne,
Quàq; ingens Rhenus celeri pulcherrimus vnda,
Danubiusq; Albisq; fluunt, latè omnia plausu
Ingente ardescunt (namq; istùc ocius Euris,
Alitibusq; Notis sese intulit Itala fama
Ornatum vulgans Heroa insignibus ostri.)
Gensq; omnis, gelidos quacumq; ardere Triones
Aspectat propiùs, longinqui pignus amoris,
Seù cantu Arctoo, seù festis ignibus edit.
Vtq; triumphali iàm Sequana regius amne,
Sequana Borbonios allambens rore penates
Heroi exultat, miro quem nupèr honore
Rex ipse Augustæ accepit penetralibus Aulæ.
Vt domus Austriadum quà latè Solis ab ortu,
Et latè occasu sua regna vberrima fundit,
Post Patrui decus ingenti lætatur honore.
Atq; ipsi Heroi votis communibus acti
Romulidæ assurgunt omnes, ipsiq; micanti
Insignes Ostro Proceres, trabeaque decori
Hoc decus egregium sancto accessiße Senatu,
Atque aliud rebus columen iàm dulce Latinis,
Præsidiumq; ingens (vt spes est certa) parari
Certatìm gaudent, rarum & testantur honorem.
Post Diuæ vnanimes alias, aliasque frequentant
Experta choreas, serisque annalibus æui
Iàm nunc illatum ventura in sæcula nomen
Ducebant memores, plenaque euoluere laude,
Maioriq; orsu Tyrrhenum Heroa parabant.
At choreas, cantusque oriens Aurora diremit.
In

In diem Natalem

REVERENDISSIMÆ CELSITVDINIS

LEOPOLDI CARDINALIS MEDICEI.

Scazon.

AMata toti lux Hetruriæ, toti
Amata lux Orbi redit, sed Augusto
Titane maior, sed sacri memor partus.
O' centies, ò milliesque formosa
Lux! semper ortus sit tibi sinè occasu;
Possis redire semper. Id ratum Diui
Velint; suos Hetrusca gens, suos Orbis
Impendet annos, nèc graue est mori cunctis,
Vni vt perennè vita Principi constet.

Eiusdem

PRINCIPIS CELSITVDINI

Cùm olim ad stipendia Pisana vocaretur.

NEdùm laurentes, aùt magni obiere Leones
Hos iterùm patriæ das Leopolde tuæ.
Sunt similes animi, Augustæq; simillima mentis
Semina, sunt similis visque, vigorque tibi.

Pegasidum syluas, & Graium Helicona reducis;
Quasq; habuit Phocis, nũc habet Arnus aquas.
Si cunctis fauisse optas, sique omnia vota,
Et facili iustas excipis aure preces,
Gens me Alphaa vocat, qui munia culta Minerua
Excipiam, Populi fac rata vota tui.
Fors quoq; Tyrrhenis quondàm me Vatibus addes,
Aonio Princeps si dabis ore loqui.

DE VEHICVLO,

Cùm idem SERENISSIMVS PRINCEPS PISAS peteret.

Bistonijs astat qua iuncta iugalibus, hospes,
Quaque capessenda prona quadriga via;
Hęc petit Alphaa veteres ab origine Pisas:
Ast aliquid sacrum sacra quadriga vehit.
Illi commisit se tota Hetruria curru,
Quicquid tota colit Patria, quicquid amat.
Spes illic priuata sua, spes publica gentis,
Et sua cum charo Principe vecta salus.
Hunc fratri Augusto incolumen seruate, suisque,
O' Superi, & serò sydera vestra date.

Ad

Ad Hetruscam Iuuentutem.
Cùm in Auspicijs Lycei Pisani
A' CLARISSIMO VIRO
VALERIO CHIMENTELLI
Ob initam á Catholico, & Christianissimo Regibus pacem
oraretur.

HEtrusci, redeunt Romana flumina linguæ,
Viuida nec Tulli desinit vmbra loqui.
Et prisci Manes redeunt Demosthenis, & nunc
Plus aliquid Graio dulcius ore sonat.
Neuè Stagyra optanda, aut porticus alta Cleãtis,
Plus aliquid maius Flora superba dedit.
Vt nunc Europa ramum prætendit Oliuæ,
Dùm sua pacatis Regibus ira cadit!
Vt Tagus Hesperia tuto nunc labitur auro,
Et tuta Rhodanus voluitur altus aqua!
Tu Chimentello Tyrrhena applaude Iuuentus,
Dùm tota Europa munera pacis eunt.

AD Eundem MVSÆ,
Nè de itinere æstuoso metuat.

NOs vehimur comites, succedat Iupiter Axi,
Ipse velit nostro Delius Axe vehi.
Nè metue, innocuo radiabit sydere Titan,

Icariusque abdet noxia signa Canis.
Ascræas olim, nunc Floræ ascendimus Arces;
Accinimus, Valeri, Dorica plectra moue.
Cacropij Manes, Tellusq; ignosce Pelasga,
Hic iuuat Argiuum nos posuisse larem.
Quæ Cyrrhæa olim, nunc sunt Hetrusca vireta,
Quæ viruit myrtus Cypria, Thusca viret.
Qui quondam Aonia latices de rupe voluti,
Hi nunc à Thusco Bellerophonte fluunt.
Est Valeri nobis, est tecum dulce vagari,
Nam quæcumq. habuit Gracia, solus habes.

In Odysseam Hetruscè redditam

A' CLARISSIMO VIRO
HIERONYMO BARTOLOMEI
PATRITIO FLORENTINO.

VIdit vt Æoliden Itala descendere pinu
Arnus, & in veteri carbasa Thusca mari.
Vt modò Tyrrhenis claudantur in vtribus Euri,
Italicisque fremant corpora versa minis:
Vt neque iam Graia est, at sit Tyrrhena Calypso,
Qua Iuueni puppes, qua thalamumq. dedit.
Gracia tota mea est, meus est errator Vlysses,
Thelemachusq; inquit, Penelopeq. mea est.
Vos septena Vrbes Argiuo absistite bello,
Non nisi Mæonidem laurifer Arnus habet.

Illustrissimo, & Clarissimo Viro

ANTONIO MICHELOZZI

Patritio, & Senatori Florentino,

Et totius Dominij Florentini
primo Nouem-Viro,
Gratias habet ob aucta stipendia.

Non opis est nostra de me tàm multa meriti,
Quæ satis æqua rear dona referre tibi.
Namq; ego Memnonio rigeam si totus in auro,
Non satis ex auro sìc quoquè totus ero.
At nequè te Cræsi, nèc Regum munera tangunt,
Spes nèc auara suo, fletaque vota Myda.
Sit munus meus ipse animus, quo munera fassus
Agnosco, & memori corde profectus amor.

Nymphæ Mediterranei Maris

SILVESTRVM ARNOLFINI

PATRITIVM LVCENSEM

Ad iter Maritimum in Gallias inuitant.

Solue ratem, faustis suspendes carbasa vèntis,
Nulla erit in nostra Thracia puppis aqua.
At centum Oceani cum Glauca Doride Nymphæ
Nabimus, Æsareæ prænia turba rati.

Quales

Quales Æsonio Iuueni, primæque carinæ
Adnantes vidit Theßalis ora Deas.
Te Regi incolumem, & magna promittimus Aulæ;
Fata secunda vocant, tu modò solue ratem.

Summæ expectationis Iuueni

ROMVLO A' NAVARETTE

PATRITIO PISANO.

Nobilibus curis, pulchroq. insiste labori,
Dum viget, & robur prima iuuenta capit.
Si facis, Aonides tibi limina tota recludent,
Bellerophonteæ quà salit humor aquæ.
Hìc tibi cum lymphis famæ monumenta futuræ
Vnà hauri, latices ad tua vota fluent.
Dicebas Patriæ laudes, pugnataque bella,
Dicenti laudem Patria tota dedit.
Quid faciet, si tu factis ingentibus olim
Augebis Patriæ gesta superba tua?



In Theses Theologicas habitas Genuæ 1672.

PRÆSIDE

D. IOANNE FRANCISCO

ABERCROMBI ANGLO-SCHOTO

Professore Ordinario Philosophiæ in Academia Pisana ex Ordine S. Benedicti

Defendentibus D.D.

ANTONIO MARIA SAVLIO

PATRITIO IANVENSE,

&

BERNARDO BISSO,

MONACHIS CASINENSIBVS,

Tanta eruditionis, ingenijq; laude, vt vix Præsidem loqui oporteret.

Dic Alphea Erato, quæ fracta vocis imago
(Nam strepitus, totusq; canor non fertur ad aures.)
Hìc quoquè longinquis auditi plausibus ardet?
Vrbs Ligurum Princeps, ripæq; Ligustidis vnda
Gratantum resonat strepitu, plausuq; secundo.
Nàm fors sacrato dùm res Diuina duello
Certatur, sanctoq; innoxia spicula Marte
Hinc, ac hinc densata ruunt, vocesq; ministræ
Instaurant aciem, repetitaq; tela sequuntur,

Ac ipsi Proceres, sanctæ qui munia Suadæ
Exercent, totis connixi viribus instant.
Tandem pulchra suo stat pugna à Præside palma,
Quem nunc hic pubes audit Tyrrhena docentem.
Saulius Heroa Ligurum de stirpe creatus.
In partem palmæ, partem quoq. Bissus abiuit.
Hac procul auditi plausus, & causa triumphi.

De NIVIBVS Exquilinis ad Romam.

QVas nunc æstiuo miraris ab Æthere labi,
Et tantùm Exquilias opperuisse Niues;
Hæ tibi custodes Capitoli immobile saxum
Defendent; Teucros proÿce Roma Deos.
Da Tyberi, Danais poterit plus ignibus vnda,
Ereptor Latia nemo futurus aqua.

NIX Exquilina intacta.

NOn hanc ardenti consumere Delius igni,
Aut valet Herculea fax Nemeaa fera.
Necquicquàm fretæ flammis, terraq; poloque
Icariæ flagrant sydera dira canis.
Nix intacta manet, purique sub Æthere Cœli
Edita terrena nil sibi labis habet.

Sed

Sed Diuùm Matri, castoq; accepta Parenti
Nunquàm libandi signa pudoris habet.

NIX Gelida.

NIl Casti pueri, castæq; timete puellæ
Algida virgineæ frigora ferre Niuis.
Hæc olìm tenero custodia fida pudori
Extinguet Paphias rore gelante faces.
Intereà crescant castæ lanuginis anni,
Auctaq; sit multis forma pudica bonis,
Nam satìs illecebris, blandoq. libidinis igni
Has erit algentes opposuiße Niues.

NIX Pura.

DVm cruor Idalius, dum languet blanda cicatrix,
Heù rosa te crini nulla puella gerit!
Ast eadem fragres Zephyritide nobilis aura,
Te gerit, & crini quæque puella cupit.
Sint sinè labe Niues, quid erit formosius illis?
Hæ tamèn à maculis crimen habere solent.
His tua caste puer metire pericula damnis,
Nititur in fragili forma pudica bono.

NIX inimica oculis.

DVm gelidis suffusa nitet pulcherrima pratis,
Nixq; sub alpinis emicat alta iugis;
Tu niueum decus, & sparsas venerare pruinas,
Sed procùl à tali lumina flecte loco.
Nam lucem lux ista rapit, mæstisq. tenebris
Obruit in niueo lumina fixa gelu.
Sic Diuam Exquilijs supplex mirere colendo,
Nam fit ad immensum mens quoq; cæca decus.

NIX fœcunda.

NOn sterili glebæ mæstus diffidet arator,
Si semèl hyberna canduit illa Niue.
Nec macie, tristiq. fluet rubigine messis,
Dùm sedet in teneris cana pruina satis.
Vos, quibus intacto iàm mens iurata pudori,
Curaq. virgineo secubuisse thoro;
Hic steriles tolerate annos, cœlestibus aruis
Semper inoccidua gloria messis erit.

NIX minuta.

QVàm tenui lapsu cedentia nubila tranat,
Dùm petit aerijs hospita saxa iugis!
Exiguı fluitant orbes, ceù candida lana
Demittit niueo stamina laxa sinu;

Puraq;

Puraq; tota manet, sed tantùm in collibus altis,
Neuè ità depresso Nix nitet vlla solo.
Sic animo Superas qui solùm tendit ad Arces,
Purius à maculis pectus habere solet.

NIX Sacra.

SEù gelidi latices, seù dulci murmure lympha,
Aùt leuis æterna prosilit humor aqua;
Non vobis Nymphæ, non Diuis flumina Tauris
Sacra fluunt, nullis subditur vnda Deis.
Cæruleos amnes proles Diuina sacrauit,
Sacrauitq; suas candida Virgo Niues;
Iordane in Solymo dùm Dios abluit artus,
Dumque Niues Virgo misit ab Axe suas.

NIX Septa.

DVm semota iacet conclusis hospita syluis,
Fudit & in viridi vellera cana solo:
Non pecus hanc lædit, durus non calcat arator,
Nèc misera in sæuo vomere læsa gemit.
Sìc quoq. sancta manent, sìc pura innoxia corda,
Quæ possunt casta delituisse domo.
Namq. nefas, quod sæpè vides, quæ crimina sæpè,
Non nisi sunt oculis exitiosa tuis.

NIX feris inuisa.

SI quandò Scythicis syluæ nituere pruinis,
Fusaq. Cymmerijs Nix micat alta iugis;
Non fera candenti credit vestigia sylua,
Aùt rabida quærit pabula tecta fami.
Haùd secùs Æthereo Genitrix, quæ præsidet Axi,
Dùm subijt donis pectora casta suis.
Tùc procùl illecebræ sontes, procùl omnis Auernus
Aufugit, & patrio mens benè fixa polo est.

NIX omnia penetrans.

SIt præclusa domus, nullis sit peruia ventis,
Nèc penetret gelida cærulus imber aqua:
Hùc niuei rores, hùc se penetrabilis humor
Insinuans clausas permeat vsquè fores.
Sìc etiàm obstructas scelerum caligine mentes,
Mersaq; funestis impia corda dolis
Æthereis aperit monitis, & lumina reddit,
Nèc sinit hìc sontes optima Virgo mori.

NIX optabilis.

DVm gemimus lassi, nimioq. resoluimur æstu,
Salsaq. de toto corpore manat aqua;
Nèc iuuat à densis, quæ labitur, vmbra salictis,
Nèc leuat ardentem frigida lympha sitim;
Tunc

Tunc Zephyri murmur, tūc frigora dulcia brumæ,
Et Scythico gelidas poscimus Axe Niues.
Sic quoq. dùm sontes diuexant pectora curæ,
Mens superi melius fertur ad astra poli.

NIX Æthiopica.

MEmnonij Æthiopes gens Indo proxima Soli
Quid cana abluitis corpora fusca Niue?
Vestra nequit facies candescere roribus vllis,
Non tota Oceani sufficit vnda maris.
Hac specie Mauri, tumidisq. incedite labris;
Hæc Phaetontea damna vetusta rotæ.
Sed tamèn hìc niueus, qui deest in corpore candor,
Hìc saltèm in vestris mentibus esse potest.

NIX Scythica.

DEinceps nèc Tanai glacies, nèc mæsta nocebit
Bruma, nèc assiduo terra perusta gelu.
Tristiaq. Arctois nemo conuicia nimbis,
Nemo Parrhasijs crimina dicet aquis.
Deleta est gelidi longinqua infamia Cœli,
Emicuitq; nouis Mænalis Vrsa rotis.
Nàm postquā Exquilia Niuibus micuere sacratis,
Est decus in Scythicas, lausq. profecta, Niues.

NIX Matris suæ Mater.

QVæ me prima parit natiuo gurgite Doris,
Et sinit æternas æquoris ire vias,
Et sinit in nubes è salso gurgite tolli,
Vt mea mutatis forma rigescat aquis;
Hanc ego tunc pario sub tristi filia nimbo,
Atq. eadem matri munia reddo meæ.
Sic ego sum matri, sic est mihi filia mater.
An sic Authorem Nata, parensq. parit?

NIX Romana.

ILia, quæ ripis, quæ Nix in littore fulsit?
Nèc tamèn ardenti sydere tacta perit?
Nùm Superi misère? Poli Regina, marisque
Demisit thalami candida signa sui.
Se castam candore probat, se frigore Virgo!
Nèc dare, nèc sontes carpere posse faces.

NIX Apenninicola.

QVas nunc sydereis immixtas nubibus alpes
Aspicis, & fusas ad latus omne Niues;
Hæ, puer, incipient resolutis roribus alpes
Pingere formosis frondea saxa iugis.
Sed tua nunc ætas cum dulcibus aufugit annis,
Nèc, quæ præteriit, lapsa iuuenta redit.

No-

Oh vtinam castis possis assuescere curis,
Hæc recta ad superas semita ducit opes.

NIX præsaga serenitatis.

NEc vos Pleiades lapsuri sydera roris,
Nec Lybicus madida terreat Auster aqua:
Si modò Tyrrhenis concreti vallibus imbres,
Si tenui rigeat vincta pruina gelu.
Carpite iter tuti, non mitis lumina Phœbi;
Non aberit gelidis Italis aura sonis.
Hospes nil metuas, si votis Virgo secundet,
Non potes æterno non placuisse Deo.

NIX contrectata algorem exuit.

TAnge alacris, versaque manu, nil frigora lædent;
At fugis; à Niuibus quæ tua damna paues?
Hic gelidus rigor, hæc glacies asperrima tactu
Incipiet posito post caluisse gelu.
Merge manus niueo rori, ros ipse dolorem,
Quem facit, extinguit, fitque volupta metus.
Noli blande puer duros odiße labores:
Si pateris, fructus postmodò dulcis erit.

NIX ossa humata seruat.

Corporibus gelidam si Nix alpina quietem,
Si dabit in niueo mæsta sepulchra sinu:
Non exangue decus, non pallidus horror abibit,
Fietuè agrestis tristis imago cinis.
Vos signa Hannibalis, Lybicasque sub alpe pharetras
Quærite: sub niuibus corpora Pœna iacent.
Magnum seruari, sed crebrò funera vitæ
Dat Virgo, & signis floret vbiquè suis.

NIX littorea.

O' Quæcumq. cadis sub tristia littora ponti,
Decidis infausto cana pruina gelu.
Heù tenera forma vicinia salsa nocebit,
Orta mari es, sæuo posceris orta mari!
Iàm tua te facies, te prisca reliquit imago,
Iàm fluis in salsas putidus humor aquas.
Mens semèl illecebris, dulciq. libidine capta
Vix solet è damnis tuta redire suis.



NO-

NOBILI, ac GENEROSO IVVENI

ANTONIO IACOBO DE ANGELIS

Quędam extemporea in laudem
ARCHIEPISCOPI PISANI
ſępiùs rogatus mittit.

POſcere pergis adhùc Claria tu ſtirpe creatus,
Qui ductum Angelijs nobile germen Auis;
Quiquè etiàm cantu laudes imitatus auitas
Nunc certa Aonia gloria ſurgis aqua.
Quæ petis, Ilciadi ſubito nos fudimus aſtu;
At pulchra in ſubitis, quæ ſolet eſſe Venus?
Obſequium Ilciadi placuit, placuitq. voluntas,
Quæ cùm non potuit ſumma dare, ima dedit.
Nunc ſimùl Heroi mecum hìc applaude merenti,
Votaque ſint votis hìc tua iuncta meis.



Extemporaneus lusus

Cùm

ILLVSTRISS. ac REVERENDISS. D.

D. FRANCISCVS

COMES ILCIVS

ARCHIEPISCOPVS PISANVS

Æstuoso Cœlo Florentiam proficisceretur.

Pisę loquuntur.

QVamuis Ilciade nunc Flora ad menia tēdis,
Non hinc totus abis, namq. hic in pectore toto,
Inque animis impressa tui remanebit imago.

Eidem Sol serenum tempus promittit.

CArpe viam, radijs innoxius ibo per Axem,
Sique voles rosea tectus sub nube latebo,
Vel deserta Æthra haud tecum comes ire recusē.

Ei-

Eidem Venti Cęli tranquillitatem spondent.

Nos etiam Æolij fratres, gens turbida Cæli,
Nè strepitu placidi sit lux violata sereni,
Cymmerias vltrò rupes, & saxa petemus.

Eidem Zephyrus sè comitem fore promittit.

Sum comes, Ilciade; egelidæ tibi sibilus auræ
Nusquàm abèrit, nusquàm muti, leniq; susurro
Chlorisq; halitibusq; animæ rorantibus actæ.

Eidem terra, ne puluis concitetur, suam operam promittit.

Scande, Heros, sum prona tuæ, faueoq; quadrigæ,
Nè radios, puluisuè citum circumvolet Axem,
Et Nymphas premit, & nostras ea cura Napæas.

DE PACE PISIS CONCLVSA IN ÆDIBVS BERGAMIIS AB ILLVSTRISSIMIS PRÆSIDIBVS CAESARE RASPONO Pro PAPA ALEXANDRO VII. & ALOYSIO BOVRLAMONTIO Pro LVDOVICO XIV. REGE CHRISTIANISSIMO.

Alludit inſcriptioni, quę ſupra Ædium limen eſt SIT PACIS.

Salue Alphæa Domus, placidi ſaluete penates,
Ter ſalue optato Numine plena Domus.
Nunc dilatus honos, dilata præmia laudis
Vſquè magis creſcent, fama, decuſq. magis.
Omen compleſti Pacis fatale paranda;
Pacata eſt donis Italis ora tuis.
Gallia pacata eſt: iàm magni Tybridis armis,
Et magni Rhodani Thracia regna cadent.
Hìc Piſis poſtes ramis felicibus vmbrant,
Sparſaq. fatales cingit Oliua fores.

At

At binis, summisq. Viris, queis summa potestas
Credita, prò meritis quìd pia Roma dabit?
Nominis æterni laudes, & (vt auguror) addet
Fors quoquè cum Tyrio Murice dulce decus.

In

FRANCISCI REDII

FERDINANDI SECVNDI

MAGNI HETRVRIÆ DVCIS

ARCHIATRI

Librum experientiarum circà generationem insectilium.

Diù quæsita suis, at non inuenta, latebris
Naturæ hìc tandem reddita imago sua est.
Præstitit hoc Redius, dùm Veri incensus amore
Explorat proprijs omnia luminibus.
Argiui procùl este senes, nil tale Cleantis
Porticus, aùt quondàm Græcia tota dedit.
Tuque, hospes, Diuini operis si singula voluis,
Si res, si causas, seminaq; ipsa legis;
Protinùs exclames, aùt hìc Natura loquuta est,
Aùt tali hìc voluit nunc semèl ore loqui.

ERVDITISSIMO IVVENI

IOANNI ANTONIO DE CORAZZIS

Nunc Medicinę Doctori, cùm olìm sibi Phaetontem elegantissimo mœrore elucubratum obtulisset.

DVm tu crudeli funus miserabile luctu,
Versasq; arboreis frondibus Heliades
Ingeminas, dirosq. Deos, dira omnia Diuùm
Numina perpetuis exagitas lachrymis,
Præcipuè Iouis, ah sæui Iouis aspera tela,
Tela necaturis ignea fulminibus
Execrare ipsum iuuenile vrentia corpus,
Cùm iàm vstum flammis incidit Eridano.
Sint Graium commenta licèt, licèt omnia ficta,
Ad lachrymas fictus me trahit iste dolor.
At tu surge animis, vocat altæ ad præmia famæ,
Quæ tibi Pegaseas Musa ministrat opes.

IN

IN NVPTIIS
CLARISSIMI VIRI
PETRI ANDREÆ FORZONII
Omnium elegantiarum promicondi
CVM CVLTISSIMA VIRGINE
MARIA ANGELA
DELLA VERDE.

Venus loquitur.

EX illa ò Charites nunc ſerta innectite myrto,
Queis crinem Argiuis Vatibus implicui.
Nam Forzoniades Regi tèr charus Hetruſco,
Charus Pegaſeis tèr quoq; Virginibus,
Nunc mea caſtra ſubit Vates, quo clarior alter,
Vix eſt in tota qui canit Auſonia.
Vos Diuùm domitrix, ſtirps ò mea mollis Amorū,
Hùc ferte optati flamea connubij.
Ipſa ego nunc myrto præcingam tempora Vati;
Aonides lauri debita dona ferent.


Eidem,

Dum summum in Iurisprudẽtia gradum in Academia Pisana consequeretur.

Scilicèt est aliquid, quamuis mortalibus agris
Ignotum, quod spontè trahit, spontè allicit omnes,
Atque vltrò officijs cogit certasse priores;
Dùm quẽ iàm meritis sua didita fama probauit,
Ac vis ipsa animi toto placidissima vultu
Eluxit, seruatq; suum demissa decorem.
Id Forzoniade diù gloria pulchra Dearum
Pegasidum, Themidisq. recens nunc cura Quirina
Vidimus, haùd solito Thusci de more Lycei,
Dùm tibi certatum studijs, plausuq. superbo
Gratatum à cunctis. Mixta stupuere voluptæ
Primores Patrum, siuè ipsa per abdita Legum
Ingenium vocale effers, siuè ore Latino
Ipse tuæ memoras actæ spatia omnia vitæ,
Ac fando reuocas hùc sacula culta Quiritum.
Hinc lateri glomerata tuo se Thusca Iuuentus
Certatìm affudit, Patresq;, omnisq. Senatus
Primorum Themidis rursùm sua gaudia vultu
Haùd cælant, rursùm miro gratantur honore
In te omnes versi; lætoq. ad sydera plausu
Laus euecta tua est, quæ te quoq. sera sequetur
Post fata; & memori Tyrrhena per oppida cantu
Te magis, atq. magis studijs flagrantibus actæ
Et Diuæ Aonides, fama & iàm parta loquentur.

IN CRINES
Formosissimæ Puellę
LVCRETIÆ FORZONIÆ
Nunc Sacræ Virginis
FRANCISCÆ ALOYSIÆ
Apud
S.VRSVLÆ FLORENTIÆ.

ILla coma aurato Berenices æmula crini,
Illa coma Idaliæ vertice digna Deæ,
Nunc rapitur, magnoq. cadit deuota Tonanti;
Heù quanta est Paphio flenda ruina choro!
Lacteolis effusa humeris, effusa papillis
Vincebat Cypriæ mollia fila comæ.
Fleuistis Charites, teneri fleuistis Amores,
Cùm caderet pulchro vertice raptus honos.
At cur ploretis fului dispendia crinis?
Nunc alto insertus præmicat iste polo.
Illi, illi crines conuersi in sydera lucent,
Et minuunt ignes Cressa Corona tuos.



ILLVSTRISSIMO IVVENI

RAINERIO DE LANFRANCHIS

PATRITIO PISANO,

Dum Summnm in Iurisprudentia gradum in Academia Pisana consequeretur.

HVic Iuueni crinem viridanti innectite mirto
Aonides, laudo tu cinge Astræa capillos.
Dignior haud alius dona hæc meruisse Dearum;
Nec vos clara domus celsis Heroibus acta,
Egregiumq. latet genus, ipsa trophæa supersunt,
Dùm res Alphæa terraq; mariq; vigerent;
Nec cessat Virtus; Eadem se rursus Auorum
In Iuuene hoc vno rediuiua ostendit imago.
Vos igitur Diuæ gratos indicite plausus.

CLARISSIMO VIRO

LEOPOLDO TOMANSIO

Inculpatissimę probitatis exemplo,

SERENISSIMO PRINCIPI

COSMO III.

MAGNO HETRVRIÆ DVCI

A' custodia rei vestiariæ.

SI te spontè bonis totum impendisse laboras,
Et tibi solus amor laudanda capeßere facta,

Hùcq.

Hucq. tua passim cura, passim omnia tendunt
Certatim studia, ipse tuis quid laudibus hostis
Vsquè manes? esto; non sint tibi munera cordi,
Non dona, & prisca, velut es, probitatis imago
Sis æuo nostro; nobis cur talia fandi
Obsequium prohibes? nempè hæc tua maxima laus est
Nullam pro meritis te velle agnoscere laudem.


SANCTA APOLLONIA,

Nè cessent in suo cruciatu Carnifices hortatur.

QVò furor omnis abit? non iàm cessate ministri;
In pœna, & flammis est mihi dulce mori.
Quicquid in ore riget crudeli elidite ferro,
Ora minus patrio sunt mihi chara polo.
Vos mihi vel membris abrumpite mēbra reuulsis,
Et scissa à laceris ossibus ossa cadant.
Seù libet, hoc corpus mersuro immittite ponto,
Obijciaruè auidis dilanianda feris;
Aùt igni absumar, sed sic tamen astra subibo,
Post fata & miseris dulce leuamen ero.

CLARISSIMO VIRO
BASILIO RIGHI
VALLIS GRATIOSÆ,
apud Pisas Priori,
Alijsque in Italia Patribus Carthusianis, qui sibi inuicem Sacrificium Missæ post obitum spoponderunt.

SIc memores lethi suffragia mutua Patres,
Spondete, & sanctis post funera soluite votis.
Vita breuis, mors certa ruit, nèc fata morantur.
Cuique sua noxa, castis quoq. Manibus atrox
Impendet pœna, & flammis vltricibus omnes
Delendæ maculæ; nèc fas super Æthera tolli,
Nì priùs omne nefas, labesq. extincta luendo est;
Aùt Diu in castis altaribus hostia prosit.
Haùd hoc obliti vos diram auertitis vltrò
Pœnarum faciem, nèc vis, nèc robur amicum
Iàm vita functis, & cassis lumine cessat.
Discite mortales; sic certiùs iter ad astra.



CLARISSIMO VIRO
IOANNI KIRTONIO
BRITANNO.

SEmpernè laudi hostis futurus es tuæ?
Amicus interìm omnium laudi, & bonus,

Ger-

Certusq. fautor si vel exigua enitet
In homine Virtus quopiam? ô Britannia
Clarum decus, sed qualis hæc olim fuit
Addicta sacris intimè Quiritium;
Visnè tua vt in me merita ceù gratus parùm
Silentio obruam meo? ignosce, haud tibi
Id obsequar etiam iubenti. Stat sua
Vtrimque meta; nos decet animo bono
Habere grates, quas referre haud possumus;
Animumq. te agnosse, vt facis, gratum decet.
Salue optime, omnibus sed aduenis bonis
Patrone, quos aut Anglia, aut Septentrio
Totus paterna misit huc procul domo.
Tua his vtroq. ianua patet cardine;
Affatui neque os amicum subtrahis
Certus iuuandi, siuè consilio potes,
Tuaq. id opera, siuè amicis Italis
Præstare, vel etiam opibus id præstes tuis.
Hæc laus, & altum duplici à Phœbo decus,
Quo nunc refulges in futura annalium
Monumenta abibit, teque posteritas memor
Gentes per Arctoas, & Italas canet.

* * *

ISABELLAE SCHIPPISIAE

PVLCHERRIMÆ VIRGINI PISANÆ

Dùm

SANCTI DOMINICI

Religionem amplecteretur.

DVm forma geniale decus, castamq. iuuĕtam,
Et quidcumque sui est, datq. dicatq. Deo;
Spretaq. cuncta iacent, mensq. vni addicta Tonanti est,
Non digna hac, Dius cui quoquè nubat Amor?

ALEXANDRI VICTORII

SERENISSIMI PRINCIPIS

FERDINANDI II.

MAGNI HETRVRIÆ DVCIS
Auditoris, &c.

Manes loquuntur.

AVferte fletus, lugubresque nænias,
Auferte inutiles querelas, & graui

Modum

Modum dolori insanienti ponite.
Nasci, & mori idem est, quicquid exoritur semèl
Occidit, Amici, seù virens lanugo, seù
Cana est senectus. Nemini cœca Atropos,
Fatique parcit imminens necessitas.
Decusq., opesq., & ipse fulgor gloriæ,
Vmbræ fugaci similis extemplò perit.
Potens nèc Aula, nèc fauor Regum diù
Iuuare te potest. Cinis citò omnia
Supremus aufert. Ætherem mihi satìs
Coluisse; voti finis hæc fuit mei.

IN FVNERE

IOSEPHI CAETANI

PATRITII PISANI.

Viator, Pręfica, Genius loquuntur.

QVæ tu flebilibus suspiria mixta querelis,
Ingeminasq. truces Præfica rauca Deos?
Quod funus complexa tenes, cui lumina fletu
Imbuis, & crebris planctibus ora feris?
Præstanti Iuueni, qui nunc exangue cadauer,
Hocq. iacet tristi flebilis vmbra rogo;
Hoc quoq. flebilior, quòd primis occidit annis,
Nec Panacæa herbis profuit vlla suis.
Frustrà Phyllirides, frustràq. Machaones omnes
Tentauere Erebi faucibus eripere.

Heù

Heù macie longa, feſſuſq. labore ſupremo
Occidit; hinc flendi cauſa perennis adeſt.
Aduena, ſic Superis placitum; tu Præfica plãctu,
Et vanis lacrymis abſtinuiſſe potes.
Omnes fata manent, nèc ſe ſe opulenta iuuentus
Eximet, aùt opibus fulta ſenecta ſuis.

CLARISSIMO VIRO

ANTONIO MANARI

IVRIS CONSVLTO,

Cùm ſibi Librum de modo conuiuandi apùd priſcos Romanos dono miſiſſet.

HOcnè vocas vnum, Manari candide, donum,
In quo donorum millia multa latent?
Quicquid opum ſeù Graia tulit, ſeù Romula tellus,
Hìc mixtis donis accumulare licet.
Seù libet, Argiuis poſſum hìc accumbere menſis,
Seù libet, hìc priſcas dat mihi Roma dapes;
Dat quicquid longinqua Thetis, telluſq. remota
Educat, hìc votis obuia cuncta meis.
E' ſolis bibitur gemmis, ſoliſq. ſmaragdis,
Seù ſua dat Lesbos, ſeù ſua vina Chios.
Omnia qaid memoro? ſint quamuis omnia chara,
Charior eſt animns, qui dedit iſta, tuus.

NO-

Nobili, ac Generoſo Iuueni
IOSEPHO MARIÆ CASCINA
EQVITI S. STEPHANI,
Poſt nobile exhibitum Epigramma
reſpondet.

QVin tibi Pegaſides, quìn Delphica Numina Cyrrhæ
Non niſi ſunt votis obſequioſa tuis:
Namq. vbì me laudas, & tollis in Æthera cantu
Immeritum, hùc etiàm te tua fama rapit.
Atq. ità ſim felix Romana in nomina tendis,
Nàm modo Romanis Vatibus æqua canis.
Aſcra tibi nunc tota patet, nunc Enthea Phocis,
Fama vocat, famæ fac monumenta tuæ.

Nobili, ac Generoſo Iuueni
GASPARI DE GASPARIS
Poſt oblatum pariter nobile Epigramma
reſpondet.

SEù libuit quicquam tibi dulci includere cãtu,
Non fugit à numeris vlla Thalia tuis.
Seù magis exoptas elementa ediſcere rerum,
Nota tibi in cauſis ſtant elementa ſuis.

Atq.

Atq. adeò quidcumque voles, quidcumq; parabis,
Res nulla ingenio dura futura tuo est.
Ipsa tibi Pallas facili Tritonia vultu
Ridet, & ad magnum te iubet ire decus.

Nobili, & Generoso Puero

FRANCISCO SEPTIMIO PALMERIO,

Dùm in Sacra Basilica Pisana cum miro omnium plausu, & gratulatione publicè dixisset.

VT Tybris Pater, & Nymphæ Tyberinides vnà
Audiuere æui vix duo lustra tui;
Audiuere Arni cognata ad flumina plausus,
Dùm sonat æternis vox tua culta modis:
Dùm vis prima animi tenero sub pectore robur
Non sinit eloquij delituisse sui.
At Pisæ stupuere, & Gens Hetrusca canentem
In Cœlum meritis laudibus vsquè tulit.
Nìl mirum Tyberinus ait, sunt fata secunda,
Palmerio à palma nomen, & omen adest.
Quìn meus est quoq; Romano quod Patre creatus,
Et quod Romano digna Parente canit.

NO-

Nobili, & Suauissimo Puero VALENTINO FARINVLA, Dùm Diui Stephani Equestris Militiæ insigne caperet.

IAm latus Hetrusco succingas fortiter ense,
Et Crucis hoc rosea nobile pignus habe.
Hunc tellus Cyrnea tibi promisit honorem,
Hunc Patruus Thusci gloria magna soli.
Id superest, plenis quondàm dùm viribus ætas
Creuerit, & robur prima iuuenta dabit;
Vt nil te Lybici tempestas horrida ponti,
Nil quoq. te Mauri terreat ira sali.
Sed contrà Ismario prædam rapturus ab hoste
Inuadas medio Thracia vela mari.
Te reducem ponto Thusca admirata iuuentus
Plausibus excipiat terq; quaterq. suis;
Oraque nauali propiùs victricia Marte
Spectet adhùc belli feruere tota minis.
Spectet Bistonias partiri in littore prædas,
Et tua Getulos vincula ferre Duces.
Ista olim. Patrui nunc per vestigia tende;
Hoc Duce ad egregium sis memor ire decus.

Sum-

SVMMVM PISIS

In Iuriſprudentia gradum

HIERONYM. PATARAZZIVS

Qui initio Piſis, poſt Bononiæ ſtuduit, conſequutus

Sic Bononiam alloquitur.

Abimus. Ocni priſca ſalue Ciuitas,
Saluete lymphæ Rhenides;
Abimus. In Sacras Hetruriæ domos,
Hùc vnde nos aduenimus,
Reducit inſtans voce maxima Themis,
Si Piſa originem ſtudî
Dedere? Sacra fas quoquè hìc lauro comam
Vincire pro coronide.

AD PETRARCHAM

A' IACOBO STVRMIO

AVSTRASIO GRETIENSE

Germanicè redditum.

HActenùs Auſonios latices, & Thuſca fluenta
Mulſiſti numeris culte Petrarcha tuis.
Sed molles curas tantùm Auſonis ora legebat,
Et clauſa eſt Italis Itala fama iugis.

Nunc

Nunc aliusque, idemq. tibi procul alpibus ibis
Visere Teutonicas, Martia regna, domos.
Te nunc Danubius ciuem, te maximus Albis
Esse suum, Rhenus te volet esse suum.
Nomen in Italia, famamq. tibi ipse dedisti;
Quæ Germana erit, hanc Sturmius ipse dabit.

In quendam Auarum.

TE Crassi comitentur opes, atq. omnia Ganges
Det sua dona tibi, tu dabis ista rogo.

FINIS.



Nè vacua hæc pagella remaneret visum fuit hoc pulcherrimum ERICII PVTEANI olim

PHILIPPI QVARTI

Hispaniarum Regis Historiographi Epigramma hic Lectori apponere.

Vita somnus via.

VT via sic vita est spinoso plena labore;
Dulcia sunt acidis, sunt bona mixta malis.
Ferre, referre gradum, stare, & labi, eße, nec esse,
Hæc sunt humanæ sortis in Orbe vices.
Inconstans animus, fallax fortuna, caducum
Naturæ robur: quod sinè labe decus?
Diuitias curæ comitantur; liuor honorem;
Plena voluptatum fit Libitina Venus.
His tamen abripimur votis, trahit error euntes;
Blanda per ambages semita cuique placet.
Dum fugis, inuenies obliquo calle laborem;
Aut dolor, aut dolus est; viuere nulla quies.

Ratio interpungendi ferè vbiquè constitit, at sicubi fortè lapsa est, statim à legente emendari potest.

		Errata	Emendata:
Pag. 11	*lin.* 20	*nullis*	*nulli*
30	32	*&*	*en*
40	12	*metuant Thraces*	*Thraces metuant*
42	2	*libare*	*librare*
46	23	*Nemea estas*	*Nemeaa astas*
45	5	*vna*	*vrna*
56	13	*agros*	*agram*
61	13	*onerosas*	*onerosus*
65	15	*preces*	*praes*
66	32	*omnia*	*omina*
68	20	*dunc*	*nunc*
74	27	*secundes*	*secunds*
74	24	*fluit*	*fluis*
74	31	*raptiuaque*	*captiuaque*
78	9	*Regio*	*Regi*
81	5	*Herois*	*Heroi*
84	16	*refugium*	*refugum*
92	20	*nouere*	*neuere*
98	15	*qua*	*quà*
104	12	*emensis*	*emensus*
105	7	*quadriugo*	*quadrijugo*
138	18	*lumine*	*limine*
175	2	*ad*	*ac*
180	2	*volut as*	*volutus*
182	5	*das*	*des*
190	31	*arctus*	*artus*
209	12	*factu*	*fastu*
219	30	*rabie*	*rabie, &*
242	29	*syderamque*	*sydereàmque*
252	29	*quis*	*queis*
290	14	*seta*	*serta*
297	28	*migitibus*	*mugitibus*
367	18	*rotis*	*retrò*
376	6	*lata in*	*lata tu*



